


HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 097 727 770



PRAELECTIONES

JURIS CANONICI



PRAELECTIONES

JURIS CANONICI

AD METHODUM

DECRETALIUM GREGORII IX EXACTAE

QUAS

IN SCHOLIS PONTIFICII SEMINARII ROMANI

TRADEBAT

PHILIPPUS DE ANGELIS

CANONICUS BASILICAE LIBERIANAE

Tomus Tertius — Pars Prima

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA DELLA PACE
Piazza della Pace 35
1880

PARISIIS
APUD P. LETHIELLEUX
Rue Cassette Num.° 4
1880

Italy

LIBER IV.

DECRETALIUM GREGORII IX.

Exponentes hunc Librum monemus nos in quaestionibus tradendis secuturos esse ordinem Titulorum a B. Raymundo servatum, proinde data opportunitate singula propondituros, quamvis fortasse rationabilior methodus expostulasset, ut aliqua prius edoceri, alia postmodum exhiberi debuissent. Ex quo tamen haec adveniet pro addiscentibus utilitas, ut in quavis resolvenda quaestione, et praesto habeant juristextus et Doctorum placita, quod in aliis Libris declarandis jugiter explevimus.

TITULUS I.

De Sponsalibus et Matrimoniis.

1.° Bipartitus est hic Titulus, ita ut primo de sponsalibus agendum sit, dein de matrimoniis. Sponsalia in jure assumuntur aliquando pro matrimonio de praesenti contracto nondum consumato, ut in *cap.* 2 *et cap. fin. de sponsa duorum et cap.* 13 *de praesumpt.* At stricto sensu accipiuntur pro contractu respiciente futuras nuptias,

ut in praesenti titulo. Et sic sumpta sponsalia definiuntur « promissio vera, libera, mutua et signo » sensibili expressa futuri matrimonii inter per» sonas de jure habiles. »

2.° Ad habendum proinde eorum completum conceptum sequentia sunt attendenda: - (a) dici *promissionem;* non sufficit quidem propositum, ex quo non oritur obligatio; et ipsum verbum sponsalium indicat hanc promissionem; - (b) hanc vero promissionem debere esse *veram;* si deficit enim animus et intentio se obligandi, vinculum obligationis non exurgit; atque hinc *ficta et simulata promissio* obligationem non inducit, prout clare colligitur ex *cap. un. h. t. in VI et cap.* 26 *in fin. h. t.* Verum hic probe notandum est, quando signa externa expressionis voluntatis sunt concludentia, praesumi semper in foro judiciali ecclesiastico promissionem esse veram, et secundum hoc esse judicandum, usque dum fictio *concludenter* probetur, sicut docet Innocentius III *cit. cap.* 26 *h. t.;* - (c) *liberam* quoque oportere esse promissionem; nam ubi non est libertas, ibi sponsalia non sunt ex *cap.* 24 *h. t.;* hinc ubi est coactio, aut error vel usus rationis non expeditus, pariter sponsalia non habentur; et haec libertas debet esse *formalis* et *directa*. Disputant inter se Doctores, an sponsalia metu gravi extrinseco injusto et directo inita sint nec ne valida; atque pro affirmativa sententia dedimus responsum in *lib.* 1 *tit. XL.* Si autem haec sententia praeferatur, consequens

est ex talibus sponsalibus etsi metu initis oriri impedimentum publicae honestatis, quod iis quoque resolutis per querelam partis passae metum manet, prout natura est hujus impedimenti; - (d) *mutuam* deinde hanc promissionem esse debere suadet natura istius contractus, cum sponsalia sint *ultro citroque obligatoria;* proinde non sufficit promissionis acceptatio, sed requiritur *repromissio.* Equidem promissio acceptata de futuris nuptiis obligat promittentem, et graviter aut leviter in conscientia, prout haec promissio sit *adminiculata.* At judex ecclesiasticus super hac re adiri nequit, neque sententiam profert, quam tantummodo edit in causa *mutuae promissionis.* Hinc est, quod Doctores hanc simplicem promissionem etsi acceptatam retineant sub levi obligare, vel esse de se retractabilem, utpote incompletam; et multo magis ex ea praedictum impedimentum publicae honestatis oriri denegent. - (e) Demum *signo sensibili expressam* promissionem exigi. Contractus enim inter homines sine manifestatione voluntatis esse nequeunt, neque proinde obligatio oriri. Jus autem non determinat nec verba nec signa, at ea requiruntur, quae consensum internum contrahentium sufficienter exprimunt, vel ex propria significatione aut natura, vel ex consuetudine loci, prout edicitur in *cap.* 7 *h. t.* Quod si dubium sit de prolatione verborum, aut signorum positione, tunc judex absolvet negantem, cum facta non praesumantur sed probentur; quemadmodum

si dubitetur de vi verborum aut signorum an concludant necne. In hac ultima tamen hypothesi si accesserit copula libera, tunc praesumuntur vim obligationis praesetulisse, et ad eam suscipiendam fuisse prolata vel posita ex *argum. cap.* 5 *de condit. appos.* Sola autem copula non est argumentum indubium sponsalium contractorum, quemadmodum nec alia indeterminata signa; licet retinendum pro certo sit, quod sponsalia ex signis indubiis firmari et exprimi valeant ex *cap.* 23 *h. t.* Caeterum personae inter quas sponsalia eduntur, debent esse de jure habiles, nempe tales, inter quas matrimonium aliquando valide et licite iniri valeat, cum promissio rei illicitae vel impossibilis non teneat ex *reg.* 58 *jur. in VI;* sicut quod illae personae debeant esse determinatae; etenim nonnisi cum determinata persona valet matrimonii tractatus. Legitimitas haec personarum strictius debet intelligi in sponsalibus, quam in matrimoniis; dum enim, prout in subsequentibus videbimus, matrimonio obstare possunt impedimenta vel mere impedientia, quae illud reddunt illicitum solummodo vel dirimentia, quae reddunt invalidum; quaecumque obstant sponsalibus, illa reddunt semper invalida propter enunciatam rationem.

3.° Sponsalia sunt vel *ecclesiastica* coram parocho et testibus vel *civilia* nempe absque parochi praesentia, et ista pariter vel *publica* vel *clandestina,* prout in foro externo probari possunt sive per testes, instrumenta, vel potius quovis desti-

tuuntur adminiculo probationis. Profecto retinendum est ex jure communi quaevis sponsalia habita esse valida, etsi in foro externo sponsalia clandestina propter defectum probationis non attendantur. Neque Concilium Tridentinum aliquid hac super re immutavit, sed omnia sub veteris legislationis dispositione manserunt, prout ex Responso dato a S. Congregatione Concilii *sub die 19 Decembris* 1596 demonstrat Benedictus XIV. *Instit. eccles.* 46 *num.* 12. Equidem non defuerunt veteres et recentiores petitiones nonnullorum Episcoporum, quibus rogabant, ut nulla et invalida fierent ea sponsalia, quae non fuissent in determinata forma inita, sicut petitio continebat data *sub die* 24 *Novembris* 1865 ad Cardinalem Poenitentiarium Majorem, cui Epistolae, sicut et caeteris antiquis petitionibus ex Audientia SS.mi responsio data est « *nihil esse innovandum.* » Neque defuerunt Synodales aliquae constitutiones, quae nulla esse sponsalia declararent, nisi contracta fuissent coram Parocho et testibus, vel quae in scripturam non fuissent redacta. Quae tamen constitutiones nullam vim habent, cum sicut docet Benedictus XIV *de Syn. Dioeces. lib.* 12 *cap.* 5. Episcopi non habeant potestatem neque imponendi matrimonio nova impedimenta, neque vetera abrogandi. Taceo ab afferendis nonnullis sanctionibus synodalibus similis tenoris, quae hodie emendari incipiunt. Ex jure proinde hodie valent sponsalia et effectus producunt quacumque sub forma inita.

Ab hac antiqua et servata praxi aliquantulum deflectere visa est S. Congregatio Concilii, cum in *Placentina diei* 31 *Januarii* 1880 ad dubium: - An sponsalia, quae in Hispania contrahuntur absque publica scriptura sint valida? - Respondit: - Negative. - Licite quoque sponsalia sub quacumque forma ineuntur, etsi *deceat sine teste non fieri*, ut probari possint, si forte altera pars negaret contracta sponsalia, prout allegata Doctorum auctoritate in *cit. Instit. Eccles.* 46 probat Benedictus XIV. Hoc autem viget inspecto jure ecclesiastico cum Civiles Codices moderni nullum neque ex sponsalibus in forma ab ipsis constituta initis aliud vinculum juridicum oriri admittant, nisi tantum ad indemnitatem, si quae alteri parti propter eorum non adimplementum damna secuta sint.

4.° De sponsalibus initis sub conditione agemus in *tit. V* et de aetate necessaria ad ea contrahenda agemus *tit. II;* nunc vero ante quam de eorum vi agamus, nonnulla praemittemus de arrhis et poenis. Praeter nonnullas donationes, quae solent inter sponsos intervenire, quaeque vocantur *jocalia, dotalia, dona sponsalitia* etc., aliquando in contractu sponsalitio interveniunt *arrhae,* quae definiuntur « *res quaedam, a sponsis vel eorum parentibus in vel post contracta sponsalia sibi invicem quasi pignora in securitatem matrimonii datae.* » Arrharum positio est a jure civili et canonico admissa, velut constat ex *can. si quis uxorem caus.* 27 *quaest.* 2 et *can.* 3 *et* 7

caus. 30 *quaest.* 5. Arrhas porro istas datas deperdit, et acceptas restituet, qui absque causa recedit a fide sponsalium adimplenda; è contra illa pars, cui per recessum a fide fit injuria, acceptas lucratur, et datas recuperat. Controvertitur autem a Doctoribus ex interpretatione *cap.* 29 *h. t.* an jus canonicum admittat *conditiones poenales* in sponsalibus, sicut admittuntur a jure civili. Et quamvis pro negativa et affirmativa sententia non desint nec rationum momenta, nec Doctorum auctoritas; mihi tamen cum Gonzalez in *Comment. ad cap.* 29 *h. t.* rationabilior videtur media sententia duas hypotheses assignans, quae sic exponitur. Conditiones enim istae poenales in sponsalibus valent apponi vel - 1° a sponsis, eorum parentibus, tutoribus, cognatis, magnis amicis, vel etiam ab extraneis cum illorum tamen mandato, vel - 2° apponuntur ab extraneis simpliciter absque dicto mandato. - Porro si haec altera hypothesis interveniat; tunc mihi certum videtur nullam esse rationem, quae has poenales conditiones interdicat; jure enim civili cum permittantur, nullo juris canonici textu vetantur; neque valent impugnari ex expositione aut interpretatione *cap.* 29 *h. t.* cum nemo prohibeatur committere poenam in factum alienum, quando haec poenae commissio non gravat agentes. At in prima hypothesi haec poenae appositio posset laedere libertatem matrimonii, namque ne quis poenam incurreret, coacte matrimonium iniret; et maxime interest quod matri-

monia libera sint; proinde jus canonicum has commissiones poenales interdixit. Neque dicatur matrimonium post sponsalia fieri ex justitia debere; namque etsi hoc verum sit, Ecclesia nihilominus non censuit partes esse poenis et censuris adigendas ad fidem implendam, sed potius monendas, ut ex inferius dicendis patebit; et sic hanc poenarum adjectionem tamquam gravantem abolevit. Neque dicatur secundo idem esse judicium de arrhis. Namque hoc non est verum, cum arrhae sint modicae donationes; è contra commissiones poenales soleant esse immodicae et gravantes, ut partes contrahentes tutae sint de adimplemento promissionis.

5.° Inita sponsalia obligant ad matrimonium contrahendum tempore determinato, si quod determinatum sit; si autem nullum tempus praefixum fuerit, quam primum una pars rationabiliter exigit. Quae obligatio est *ex justitia*, cum sit verus contractus, et est *sub gravi*, quia in re gravi versatur obligatio; si vero juramentum accesserit, accedit quoque obligatio ex vi religionis, ut edocemur *cap.* 16 *h. t.* Ex sponsalibus proinde, praeter impedimentum dirimens publicae honestatis, de quo *tit. IV* agemus, inducitur quoque impedimentum impediens, prohibens nimirum cum qualibet alia persona nuptias praeter quam cum sponsa, cum non liceat viris plures simul habere uxores, nec mulieribus viros. - Atque ad hanc exigendam obligationem potest adiri quoque judex ecclesiasticus,

qui justitiam non denegabit; prout habetur in pluribus textibus hujus tituli, et ex praxi tribunalium ecclesiasticorum. At hic difficultas maxima habetur in determinando modo, quem in talibus judiciis judex ecclesiasticus servare debeat, cum in *cap.* 10 *h. t.* edicat Pontifex esse adimplementum sponsalium ex petitione partis urgendum poenis quoque et censuris interminatis; dum è contra in *cap.* 17 *h. t.*, ex consideratione quod coacta conjugia soleant difficiles exitus habere, injungatur a Pontifice partem reluctantem monendam potius esse quam cogendam. Plures excogitati sunt ab interpretibus modi hujus antinomiae tollendae, prout videre est apud Auctores. Rationabilior videtur esse sequens, nempe ad evitandos difficiles exitus, quos fere semper solent habere coacta connubia, partes non esse a judice cogendas sed potius monendas, sicut praescribitur in *cap.* 17 *h. t.* At si in casu particulari difficilis exitus non timeatur, tunc datur locus etiam coactioni, ut indicitur in *cap.* 10 *h. t.* Et haec est consueta methodus, qua istae causae tractantur etiam apud S. Congregationem Concilii. Solent enim proponi duo dubia, nempe: - « 1° An constet de sponsa» libus in casu? - Et quatenus affirmative. - 2° An » sit locus coactioni in casu? » - Atque data responsione affirmativa ad primum dubium, fere semper subjicitur responsio negativa ad alterum. Qui exitus judicii demonstrat judicem ecclesiasticum recognoscere in casu obligationem sub

gravi adimplendi datam fidem, sed abstinere a poenis et censuris, ne deterius aliquid contingat; et prudentia aliquando suadet abstinere a sanctione infligenda ad mala majora vitanda. Secus vero dicendum est, quando judicium provocetur non modo propter non adimpletam sponsalium fidem, sed etiam propter deflorationem aliumve detrimentum sub fide sponsalium mulieri illatum; tunc enim non tantum monitioni locus est, sed et coactioni; cum tales injuriae non valeant nisi secuto matrimonio compensari. Haec est constans praxis tribunalium ecclesiasticorum; quamquam hodie civilis legislatio etiam super hoc non admittat nisi indemnitatem in pecunia, quando sponsalia facta sunt in certa forma, de factis expensis.

6.° Contracta autem sponsalia pluribus modis dissolvi possunt, et - (a) *per mutuum dissensum* ex *cap.* 2 *h. t.* sicut enim consensu firmantur, ita dissensu cessant. Idque valet, etiamsi sponsalia sint jurata; nam juramentum sequitur naturam contractus, qui in casu est per dissensum resolubilis; unde valide et licite hoc modo resolvuntur sponsalia. Una fit exceptio quoad sponsalia impuberum, quae durante impubertate nequeunt resolvi per mutuum dissensum ex *cap.* 8 *de desponsat. impuber.* ne propter animi levitatem impuberes pluribus se implicent sponsalium nexibus, atque imprudenter ab ipsis resiliant, ut fusius notabitur in eo titulo cum aliis nonnullis differentiis, quae a jure inductae sunt inter sponsalia impuberum,

et puberum. - (b) *Per susceptionem ordinis praesertim sacri, et per professionem religiosam quoque non solemnem, imo per ingressum in religionem contracta dissolvuntur sponsalia.* Circa quod notandum est, licere alterutri parti post sponsalia contracta cogitare vel de ordinibus suscipiendis vel de religiosa vita capessenda, quia juxta Glossam *cap.* 16 *h. t.* talibus promissionibus semper est implicita conditio: « nisi de meliori statu amplectendo deliberavero. » Unus tantum casus est relatus in *cap.* 16 *h. t.*, in quo propter adjectum juramentum dicitur: « tutius esse prius religione juramenti servàta contrahere, et postea, si quis elegerit, ad districtionem religionis migrare, si carnalis copula dignoscatur non intervenisse. » Quo casu excepto ob reverentiam juramenti et in hypothesi conversionis ad religionem approbatam (cum ex professione solemni solvatur antecedens matrimonium ratum) de reliquo licet etiam altera parte irrequisita ad ordines atque ad religionem pergere, et per susceptionem ordinis sacri, aut per professionem quoque non solemnem sponsalia dissolvuntur, cum talis promissio sponsalitia nequeat absque scelere adimpleri. Per ingressum vero in religionem vel per susceptionem minorum ordinum, altera pars potest se reputare a vinculo sponsalium liberam, cum hic actu demonstraverit se velle ordines sacros suscipere vel religionem profiteri, et non teneatur altera pars expectare tempus professionis vel susceptionis ordinis sacri. - (c) *Per*

subsequens matrimonium etsi simpliciter ratum ex *cap.* 31 *h. t.*, dissolvuntur sponsalia antecedentia, prout melius exponetur *tit. IV;* qnoniam sponsalium adimplementum redditur impossibile stante hoc conjugio. An vero eo matrimonio dissoluto reviviscat prima sponsalium obligatio, controvertitur inter Doctores: probabilior tamen videtur sententia affirmativa, cum cessante obstaculo naturale sit quod vis antiquae promissionis iterum vigeat. - (d) resolvuntur pariter *per discessum sponsi vel domicilium mutare volentis vel brevi non redituri* ex *cap.* 5 *h. t.*, hoc enim casu nimium gravaretur sponsa quae vel domicilium mutare, vel nimium expectare teneretur. - (e) *Per fornicationem subsequentem,* quae dat facultatem parti innocenti resiliendi a fide sponsalium juxta notum principium: « frangenti fidem, fides frangatur eidem. » Atque ex hac tam viro quam mulieri datur jus recedendi. Quod canonistae communiter extendunt ad fornicationem spiritualem, puta haeresim, apostasiam et schisma. Longe aliter meo judicio retinendum est de fornicatione antecedente, quae magis imputatur et nocet mulieri, quam viro, ut nunc ostendetur. - (f) Pariter *per notabilem mutationem animi, corporis aut fortunae supervenientem sive antecedentem sed non cognitam* ex *cap.* 25 *de jurejurando.* Traditur siquidem in eo capite duas conditiones in quavis promissione semper esse implicitas, nempe: - 1° valere promissionem *si res sunt, sicut apparent;* - 2° promissionem vigere,

si res perseverant, sicut sunt. - Ergo ad recedendum a sponsalibus eadem ratione dat causam gravis mutatio seu defectus superveniens, ac gravis defectus antecedens non cognitus. At graves defectus non eodem modo mensurantur in mulieribus, quam in viris: sic puta fornicatio antecedens non cognita vix in viro attenditur, nisi fuerit per modum habitus, vel eum corruptis esse moribus demonstret; cum è contra mulieri gravissime noceat etiam una vice admissa. Imo etsi mulier fuerit per vim ab alio corrupta sivè post inita sponsalia, sive antea; cum primo hoc a sponso rescitur, potest a sponsalium fide impune recedere; nimium enim probro viro est ducere ab alio corruptam. Jure autem diximus attendendam esse quamcumque gravem mutationem sive corporis sive animi, sive fortunarum; nam quomodocumque inducta nocet, prout multis modis exemplificant Doctores. Spectat autem ad Theologiae moralis tractatores resolvere quaestionem: « an pars laborans occulto defectu teneatur illud aperire ante sponsalia, vel iis contractis ante matrimonium. » Videatur S. Alphonsus *De Matrim. num.* 864. Omnes Doctores conveniunt hanc notabilem mutationem *in deterius* consequentem sponsalia vel primo cognitam dare jus alteri parti resiliendi a sponsalibus; sed non desunt Auctores, qui putant esse causam justam recedendi a sponsalibus insperatam et longe gravem mutationem *in melius*, ita ut qui illam ex-

pertus sit, habeat hanc facultatem, quam opinionem satis docte defendit P. Ballerini in *Compendio Theolog. Moral. Gury. De Matrim. num.* 731 *not. (a)*. - (g) *Per impedimentum dirimens superveniens*, resolvuntur quoque sponsalia, prout exponetur in *tit. XIII*. - (h) Demum sponsalia dirimi possunt *per dispensationem*. Etsi Ecclesia ex dictis intendat fidem esse servandam sponsalium, et judices ecclesiastici nequeant in iisdem dispensare alterutra parte invita, jus enim huic quaesitum est; nemo tamen negare poterit id juris competere Romano Pontifici, qui ceteroquin huic juri tertio quaesito non praejudicat, nisi expresse dicat, et nisi habeantur causae satis graves et praesertim respicientes publicum bonum. Haec dispensatio conceditur a S. Congregatione Concilii ex Audientia Papae; et ipsa raritas hujusmodi dispensationum arguere facit difficultatem gratiae. Nostris autem temporibus non omnino infrequentia sunt haec Rescripta ob infaustam promulgationem legis sic dictae matrimonii civilis. Aliquando enim evenit, ut quis spreta fide sponsalium matrimonium civile cum altera contrahat, et ex ea filios suscipiat, deinde vero petat cum hac matrimonium in facie Ecclesiae celebrare. Obstante Parocho adsistere huic matrimonio propter impedimentum sponsalium, et sponsâ nolente juri suo renuntiare, Summus Pontifex rogatur, ut stante impossibilitate morali contrahendi nuptias cum sponsa, quas lex civilis etsi per injuriam legitimas non haberet

ad consulendum tamen bono filiorum et praesertim conscientiae Oratorum, Summus Pontifex hanc dispensationem concedit per medium supradictae S. Congregationis.

7.° Quae diximus circa facultatem risiliendi a sponsalibus ita sunt accipienda, ut huic juri valeat quis renuntiare, atque in iisdem sponsalibus manere, quam manendi voluntatem manifestare idem valet vel verbis vel factis, ut constat ex *cap.* 6 *de privileg.* Expedita autem est sponsis libertas resiliendi a sponsalibus, *si causa recessus certa sit,* neque attendenda est praeventiva sententia judicis, quia numquam hoc in jure cautum habetur. At si dubium sit an causa subsistat, judicis ecclesiastici sententia est necessaria, cujus est impedire ne quis peccatum admittat. - Haec, quae de sponsalibus relata sunt, olim erant in quotidiana applicatione; cum nullum fere matrimonium celebraretur, quin huic praecessissent sponsalia, sive haec in ecclesiastica forma fierent, sive in privata et civili; et promissioni sponsalitiae semper erat juramentum adjectum. A modernis vero moribus hoc recessit, praesertim cum Civiles Codices praedictae promissioni nullam vim recognoverint ad petendum adimplementum, ut dictum est; proinde quaestiones de sponsalibus et in tribunalibus ecclesiasticis et apud S. Congregationem Concilii rarissimae sunt. Ob eamdem rationem fere absoleverunt illae oppositiones, quae sub formula » *Nihil transeat* » fiebant in Curiis Episcopalibus,

ne daretur licentia contrahendi matrimonium in detrimentum promissionis sponsalitiae.

8.° Ad aliam partem tituli accedentes loquimur de Matrimoniis. Matrimonium spectari potest ut contractus et ut sacramentum. Si spectetur ut contractus definitur: « maris et foeminae legitimarum personarum conjunctio individuam vitae consuetudinem retinens. » Ubi vero consideretur ut sacramentum definitur: « contractus baptizatorum legitimus et indissolubilis inter virum et foeminam, quo traditur et acceptatur mutua corporum potestas in ordine ad actus de se aptos ad prolis generationem elevatus a Christo ad dignitatem sacramenti et conferens gratiam ex opere operato. » Quarum definitionum verba in tractatione exponentur. Matrimonii porro duae sunt divisiones; primo enim dividitur in *legitimum, ratum* et *consummatum*. *Legitimum* est quod a non-baptizatis contrahitur servatis legibus naturalibus, divinis, et *forte* civilibus. Addidimus illud verbum *forte*, quia non desunt Doctores, qui teneant potestatem civilem nihil addere posse ordinationibus juris naturalis et positivi divini neque in matrimonio a non-baptizatis contracto; etsi numerosiores Doctores aliter sentiunt, prout nostra sententia est, quod aliqua in hoc infidelium matrimonio addere et ordinare valeant civiles potestates, salvo tamen jure naturali et positivo divino primigenio. *Ratum* quod a baptizatis contrahitur nondum carnali copula completum ex *cap.* 7 *de divort.*

Consummatum demum quod carnali copula accedente est completum. Iterum matrimonium est *verum*, *putativum*, et *praesumptum*. *Verum* appellatur, cujus conditiones omnes objective subsistunt. *Putativum* nominatur, quod penes communitatem et contrahentes, aut saltem alterutrum istorum errore probabili habetur ut validum, sed ex latente impedimento dirimente est invalidum; de quo agetur in *tit. XVII* hujus libri. Demum *praesumptum* matrimonium dicitur, cum inter sponsos de futuro copula libera intercedit ex *cap.* 30 *h. t.*, de quo ibi dicitur, quod *etsi praesumptum matrimonium videatur, contra praesumptionem tamen hujusmodi non est probatio;* atque hinc talis praesumptio est *juris et de jure.* Circa hoc matrimonium *praesumptum* sequentia sunt notanda. - (α) Ut ex *cit. cap.* 30 *h. t.* dicatur matrimonium *praesumptum* sponsalia debuerunt esse *valida*, et copula carnalis *perfecta; primum* quidem ex hoc, quod Canon retineat consensum de futuro in sponsis versum esse in consensum de praesenti, et quod videatur copula illa haberi virtute praecedentis obligationis sponsalium, quae non verificarentur si sponsalia inter eos non fuissent valida; alterum vero ex hoc, quod manifeste traditur ex *cap.* 32 *h. t.*, ubi asseritur, quod conatus ad copulam, qui non habuit effectum, non facit matrimonium inter sponsos *praesumptum.* - (β) Hinc non est verum, quod asseritur a nonnullis Auctoribus, in locis, ubi nondum Concilium Tridentinum

quoad *cap.* 1 *sess.* 24 *de reform. matrim.* est promulgatum, prima sponsalia adhuc integra dissolvi per altera sponsalia, si copula carnalis in istis intercesserit; nam tunc ex subsequente copula in foro externo matrimonium censetur ipso facto contractum ac animo perfectum, si sponsalia fuerint valida, quod in casu non verificatur. - (γ) Haec autem praesumptio etsi sit *juris et de jure*, et non admittat probationes in contrarium, applicari nequit foro conscientiae; adeoque homini in confessione asserenti, se post sponsalia de futuro valida copulam cum sponsa habuisse animo fornicario, non esset deneganda facultas ad alia vota transeundi; unde aliquando oriri potest oppositio inter decisionem fori. externi, et fori conscientiae relate ad haec conjugia in locis, ubi ex non facta publicatione d. Capitis Concilii Tridentini adhuc habet locum matrimonium praesumptum. Imo nec in foro externo valet juxta nonnullos auctores haec praesumptio, si contrarium *evidenter* constet, cum non censeantur comprehensi illi casus, de quibus contrarium evidenter constet, prout censet Schmalzgrueber *de desponsat. impub. num°.* 12. Ad quod recte intelligendum, referimus hic ex Instructione die 17 Januarii 1821 a S. Congregatione de Propaganda Fide data Episcopis et Vicariis Apostolicis in Imperio Sinarum responsionem ad duo Dubia sequentis tenoris. « S. Congregatio respondit *ad primum*. Si in praefatis regionibus, ubi publica» tum non fuit decretum S. Concilii Tridentini,

» duo sponsi carnalem inter se deinde habeant
» copulam, eam tamen non ex affectu maritali,
» sed ex affectu illicito et fornicario, haec eorum
» copula minime transire facit praecedentia eo-
» rumdem sponsalia in verum matrimonium coram
» Deo, seu in foro conscientiae; sed liberi maneant,
» atque poterunt, si praedicta eorum sponsalia ex
» aliqua legitima causa dissoluta fuerint, nuptias
» alias legitime inire. Nihilominus, si eorum co-
» pula in foro externo et judiciali probetur, po-
» terunt iidem ex praesumptione *juris et de jure*,
» contra quam non admittitur probatio, per ec-
» clesiasticam potestatem adigi ad sese habendos
» tamquam veros conjuges, quibus, vivente con-
» sorte, quodvis conjugium interdictum sit ex *cap.*
» 30 *de sponsal. et matrim. Ad secundum:* Si
» quis fidelium post sponsalia et copulam dein
» habitam cum una muliere, cum altera muliere
» publice matrimonium contrahat, atque in hoc
» statu ad missionarium aliquem in tribunali poe-
» nitentiae accedat, debebit eum interrogare, an
» copulam istam cum illa prima muliere habuerit
» ex affectu maritali, an vero ex affectu illicito
» et fornicario. Si alterum hoc respondebit, nul-
» lum de validitate praesentis sui matrimonii du-
» bium ei movebit. Sin autem primum responde-
» bit, graviter ipsum commonebit, eum maritum
» esse non secundae sed primae mulieris, ad eam-
» que omnino redire debere. Additur vero ad eo-
» rumdem missionariorum instructionem, quod si

» forte homo iste probare non valens in foro ex-
» terno carnalem copulam ab se habitam cum pri-
» ma illa muliere, cogetur hinc per ecclesiasti-
» cam potestatem cum altera muliere remanere,
» qua cum publice matrimonium contraxit, debe-
» ret is poenam quamlibet, ipsamque excommu-
» nicationem humiliter potius sustinere, quam
» cum altera hac muliere carnale commercium
» exercere non sine lethali culpa, ex *capite* 44
» *de sententia excommunicationis.* »

9.° De matrimonio christiano tractatus praesens praecipue verba facit, etsi de legitimo seu de contracto matrimonio in infidelitate nonnulla interserantur. Christus Dominus matrimonium in nova lege extulit ad dignitatem sacramenti; atque haec veritas de fide catholica est post Concilium Tridentinum *sess.* 24 *can.* 1 *de sacram. matrim.* Quoniam vero ex ejusdem Christi mandato sacramentorum administratio *exclusive* pertinet ad Ecclesiam juxta illud Apostoli *Ep.* 1 *ad Corinth. cap. IV v.* 1 « sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores Mysteriorum Dei » hinc matrimonium christianum regitur ab Ecclesia *exclusive.* Et quandoquidem in matrimonio christiano id quod est contractus est etiam sacramentum; hinc Ecclesia est, quae *exclusive* ejus honestatem et honorem tuetur legibus, et de ejus honestate et honore judicat in casibus particularibus. Leges istae habito respectu ad indolem matrimonii, qui non desinit esse contractus, respi-

ciunt legitimitatem personarum, et vocantur *impedimenta* vel *dirimentia* vel *impedientia*, prout, si non observentur, reddunt matrimonium vel *invalidum*, vel *simpliciter illicitum*. Utramque Ecclesiae potestatem respexit Concilium Tridentinum, et quidem jus Ecclesiae imponendi impedimenta praesertim dirimentia *sess.* 24 *can. III et IV de sacram. matrim.*, potestatem vero judicandi in causis matrimonialibus *ead. sess.* 24 *can. XII;* in quorum canonum interpretatione aliquantisper est insistendum. Atque imprimis asserendum est canones illos esse dogmaticos, quod praeter praemissa de *doctrina de sacramento matrimonii* patet quoque ex eo quod in illis canonibus anathemate plectitur qui eam doctrinam non profitetur, quod non potest fieri, nisi illa doctrina sit de fide. Sed in illis canonibus non potest esse de fide, nisi potestas Ecclesiae de ponendis impedimentis et de causis matrimonialibus judicandis; sequitur proinde hanc potestatem Ecclesiam non habuisse mutuatam a civilibus potestatibus, sed eam habere participatam a Christo; quia concessiones factae a principibus civilibus Ecclesiae, eorumque indulta et ab ipsis participata Ecclesiae potestas non est objectum dogmatis. Videantur Litherae Apostolicae Pii IX « *Ad Apostolicae* » *diei* 22 *Augusti* 1851 (*Syllabo errore* 69 *et* 70). Ecclesia proinde jure proprio id est sibi a Christo concesso, non vero mutuato a principibus civilibus utramque potestatem habet, ut contra jansenistas

et regalistas aperte asseruit Pius VI in *Constitut. « Auctorem fidei » in condemnata propositione* 59 *et* 60 *de matrim.* Ex quarum propositionum damnatarum sensu manifestum factum est, sub nomine ecclesiasticarum personarum in illis canonibus non venire societatem ecclesiasticam lato sensu sumptam, maxime vero principes christianos, ut contendebant jansenistae, sed hierarchicam potestatem ecclesiae. Quae deinde hanc duplicem potestatem habet etiam *exclusive* quoad civilia gubernia seu principes laicos, ut ex citatis canonibus non incongrue eruitur. Dum enim Concilii Tridentini propositum esset proscribere errorem Lutheri, qui potestatem in ponendis impedimentis praesertim dirimentibus et causis matrimonialibus videndis, quam Ecclesiae denegabat, saecularibus principibus tribuebat, quando determinate definivit potestatem illam Ecclesiae esse propriam, eo ipso principibus saecularibus non competere judicavit. Sed cum sequioribus temporibus ex conatibus Jansenistarum, Febronianismi, aliorumque regalistarum potestas haec leges ferendi et judicandi de matrimoniis christianorum vel potestatibus civilibus exclusive tribueretur, vel saltem eis diceretur esse cum Ecclesia communis, tunc Romani Pontifices utrumque denegarunt, et utramque potestatem Ecclesiae exclusive vindicarunt, ut, praeter jam citatam constitutionem *Auctorem Fidei* luculentissime patet ex *Brevi* Pii VI directo ad Episcopum Motulensem

edito *die* 16 *Septembris* 1788, ex quo sequentia gravissima verba referimus: « Tamquam regius » delegatus ausus es solvere sacramenti vinculum, » et id gloriae duxisti tuae, ut in causis nullitatis » matrimonii tribueres laicis potestatibus aucto- » ritatem leges dicendi in nuptiis, auctoritatem, » inquam, quam saeculi ipsae potestates sibi ar- » rogarunt numquam: hoc enim jus, quo late patet » in sola Ecclesia residet universum. » Quam doctrinam subsequentes Pontifices contra gliscentes errores proclamare non destiterunt, ut Pius VIII in *Encyclica diei* 21 *Maii* 1829, et Gregorius XVI *Encyclica diei* 15 *Augusti* 1832. Sed jam ab antiquo Ecclesia hanc potestatem constanti sua praxi sibi exclusive asseruit cum approbatione saecularium principum; et hoc ex eo praesertim ostenditur, quod Ecclesia leges civiles jam de matrimoniis latas, nonnullas probavit, alias correxit, alias demum primitus toleravit, dein abolevit, prout sunt leges de cognatione legali, quae probatae fuerunt, leges de divortiis, et de permisso maritali foedere inter consobrinas, quae fuerunt correctae, leges de interdictis matrimoniis filiorum familias et servorum absque assensu patris familias vel domini, quas primo toleravit, deinde vero Ecclesia abolevit, ut ex sequentibus patebit; et ex altera parte eadem Ecclesia alia impedimenta praesertim dirimentia constituit, quibus matrimonia christianorum regerentur; et principes laici haec Ecclesiae mandata humiliter receperunt. Imo adeo

se incompetentes hac in re recognoverunt, ut si vellent legislationem hac super re modificandam, ad Ecclesiam recurrerent, ut sua auctoritate id praestaret; prout exemplum luculentissimum praebuerunt Reges Galliae, cum per oratores rogaverunt Patres Concilii Tridentini ut vellent irritare matrimonia clandestina et contracta a filiis familias absque parentum consensu, quas preces quoad primam partem admissae sunt, quoad alteram rejectae ut patet ex *sess.* 24 *cap.* 1 *de reform. matrimonii.* Antiquam hanc et exclusivam Ecclesiae possessionem recognovit ipse Van-Espen, qui *Jur. Eccles. univ. part.* 2 *tit.* 13 *num.* 16, ita ait: « Constat jam a pluribus saeculis Ec-
» clesiam, et quidem *privative* et cum exclusio-
» ne principum saecularium impedimenta diri-
» mentia inter catholicos ordinasse, eaque pro tem-
» porum et locorum circumstantiis nonnumquam
» extendisse vel limitasse, aut etiam relaxasse; ac
» per consequens negari non potest, quin Ecclesia
» hac potestate a primis saeculis pacifice usa
» fuerit. »

10.° At vero nonnulla ab assentatoribus potestatis civilis et vetera et nova proponuntur sophismata seu difficultates, queis putant probare fuisse ex Ecclesiae usurpatione, quod ea sibi vindicaverit hanc potestatem leges ferendi et judicandi de matrimoniis christianis; et proinde eam esse principibus laicis reintegrandam, prout praesenti aevo per matrimonii civilis inventum facti-

tatum est. Juverit proinde in iis diluendis difficultatibus aliquantulum immorari. Matrimonium, ipsi ajunt, etsi sacramenti dignitatem induerit, non desiit tamen esse contractus, et sic ad instar aliorum contractuum et pactorum, manet sub regimine auctoritatis civilis. Verum facilis est responsio. Praecisione enim facta a legibus, quae effectus civiles matrimonii moderentur, quas nemo negat posse a civili gubernio condi, et de quibus inferius loquemur; id certum est principum saecularium auctoritatem fuisse valde limitatam etiam antequam matrimonium ad dignitatem sacramenti a Christo eveheretur; sed post hoc Christi factum, illis quaecumque potestas fuit sublata *per subtractionem*, ut ajunt, *materiae* nempe quia matrimonium ad superiorem ordinem fuit elevatum. Revera principum saecularium potestas nequivit aliquid statuere contra indissolubilitatem matrimonii, quam hoc consecutum est in prima sui institutione ex auctoritate et interventu divino, id est longe antequam matrimonium a Christo elevaretur ad dignitatem sacramenti; prout in litteris ad Episcopum Agriae sub *die* 11 *Julii* 1789 asserit Pius VI. Relatis siquidem nostri protoparentis verbis: « *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* etc. » subiungit: « Quo manifeste patet, matrimonium vel in ipso statu naturae, ac sane multo ante quam ad proprie dicti sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum

» indissolubilemque nexum, qui proinde nulla civili
» lege solvi queat. Itaque licet sacramenti ratio
» a matrimonio sejungi valeat, velut inter infideles;
» adhuc tamen in tali matrimonio, siquidem ve-
» rum est matrimonium, perstare debet, et omnino
» perstat perpetuus ille nexus, qui a prima ori-
» gine divino jure matrimonio ita cohaeret, ut nulli
» subsit civili potestati. » Verum, ut habetur in cit. *Brevi* ad Episcopum Motulensem cum illud idem « matrimonium, quod ante adventum Christi nihil
» aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus,
» post Christi adventum evaserit unum ex septem
» legis evangelicae sacramentis a Christo Domino
» institutum », tunc in ordinem rerum spiritualium et in dominium Ecclesiae transivit matrimonium ab ipsa Ecclesia ut reliqua sacramenta ministrandum et ordinandum salva substantia ex institutione divina; et sic subtractum est in totum ab ordinatione principum civilium. Ad hoc enim ut auctoritas civilis posset super hoc matrimonio leges ferre et de eo judicare, necesse esset ut scinderetur matrimonium Christianorum in duo, et haberetur unum super quo civilis auctoritatis cura exerceretur, et aliud quod esset sacramentum, quasi contractui accessorium ab eoque separabile quod auctoritatis ecclesiasticae ordinationi subesset. Atque Concilium Tridentinum non distinxit inter haec duo matrimonia, sed declaravit simpliciter et absolute *sess.* 24 *can.* 1 *de sacram. matrim.* « Si quis dixerit matrimonium non esse

» vere et proprie unum ex septem legis evange-
» licae sacramentis a Christo Domino institutum,
» sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque
» gratiam conferre: anathema sit. » Error pariter est a Pio IX in litteris Apostolicis « *Ad Apostolicae* » 22 *Augusti* 1851 damnatus: « matrimo-
» nii sacramentum non esse nisi quid contractui
» accessorium ab eoque separabile » *Syllab. errore* 66. Item error est damnatus in *Epistola a Pio IX ad* « *Regem Sardiniae* » *diei* 9 *Septembris* 1852 et in *Allocut. Acerbissimum* 27 *Septembris* 1852 « vi contractus mere civilis potest inter
» christianos constare veri nominis matrimonium;
» falsumque est, aut contractum matrimonii inter
» christianos semper esse sacramentum, aut nul-
» lum esse contractum, si sacramentum exclu-
» datur. » Quae omnia statuta sunt cohaerenter ad ea, quae decrevit Concilium Tridentinum, dum *sess.* 24 *cap.* 1 *de reform. matrim.* juxta Benedictum XIV in Epistola *Redditae* ad Missionarios Hollandiae sub *die* 17 *Septembris* 1746: « qui
» praeter formam a se praescriptam matrimonium
» contrahere attentant, eorum non sacramentum
» modo, sed contractum ipsum irritum diserte
» pronuntiat, atque ut ejus verbis utamur, eos ad
» sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et
» hujusmodi contractus irritos esse decernit. » Ergo ratione contractus principes saeculares nequeunt in matrimonio christiano nec leges ferre, nec judicare. Ex quo deducitur quid tenendum sit

de sententia nonnullorum theologorum, qui putabant in christianorum matrimonio ita contractum a sacramento dividi posse, ut illum omnino perfectum quandoque consistere crederent, quin sacramenti eminentiam pertingeret, quique retinentes sacramenti matrimonii ministrum esse sacerdotem, formam autem esse in benedictione sacerdotali, autumabant matrimonia clandestina, quae ante Concilium Tridentinum debebant haberi valida, ea dicebant constitisse in ratione contractus, non vero in ratione sacramenti. Nam si sermo sit de *divisione conceptuali*, et forte etiam *subjectiva;* utique alia est *ratio contractus* alia *sacramenti*; sed si de divisione *reali* et *objectiva* agatur, haec ex dictis admitti nequit; cum pro christianis non existat nisi unum matrimonium illudque essentialiter sacramentum, extra quod matrimonium sacramentum non habetur nisi exitialis concubinatus; ac proinde omnis vulgo nominatus contractus matrimonialis *mere civilis* pro christianis est *sacrilegium*. Illa proinde matrimonia clandestina ante Tridentinum, et quae in locis contrahuntur, ubi Decretum Tridentini promulgatum non est, etsi illicita, subsistunt tamen tum in ratione contractus, tum in ratione sacramenti. Inde est matrimonii ministros esse contrahentes, formam vero verba vel signa quibus consensus exprimitur, juxta ea quae habet Eugenius IV in Instructione ad Armenos: « septimum est sacra-
» mentum matrimonii - Causa efficiens matrimo-

» nii regulariter est mutuus consensus per verba » de praesenti expressus. » Quod si Concilium Tridentinum praesentiam parochi requisivit, eum adhibuit uti *testem auctorabilem* non vero ut *ministrum*, quemadmodum si ab antiquo Ecclesia religiosos ritus in matrimonii celebratione praescripsit, non ideo id fecit ut *sacras* faceret nuptias, quasi sine illis *sacrae* non essent, sed ex eo quod *sancta sancte tractanda sunt*.

11.° Aliud argumentum ad asserendam principibus laicis potestatem statuendi impedimenta matrimonium christianum dirimentia, deque eo judicandi affertur; nempe matrimonium spectari posse ut officium naturae, ut officium communitatis, et ut officium religionis, ac sub quolibet hoc respectu attingi a lege naturali, civili et ecclesiastica; atque a lege civili quidem quatenus ordinatur ad bonum politicum. Sed ex enunciato principio non sequitur, talem esse auctoritati civili asserendam potestatem. A lege naturali siquidem regitur matrimonium, ne fiat contra honestatem; ab Ecclesia vero ad determinandas conditiones, ut contractus naturalis aptus dici possit ad sacramentum; nempe ex jure naturali et ex jure ecclesiastico possunt apponi impedimenta matrimonium dirimentia, et haec debet respicere et inviolata servare auctoritas civilis, saltem nihil statuendo in contrarium, cum ad bonum politicum ordinat matrimonium. Hinc leges, quae super matrimonio emanant ab auctoritate civili non possunt

esse tales, ut directe vel indirecte non recognoscatur validum illud matrimonium, quod catholicus contraxit juxta leges Ecclesiae; quemadmodum auctoritas civilis nequit recognoscere ut verum matrimonium, quod catholicus contrahere tentasset contra leges Ecclesiae, et quod non fuisset ab Ecclesia recognitum; proinde proponere nequit impedimenta matrimonium christianum dirimentia. Quod etiam ex alia ratione excluditur, cum in casu haberentur *duo suprema* in eodem genere, quae unum eumdemque hominem in oppositas partes agerent; quod repugnat. Atque ab hac conclusione admittenda etiam adversarii refugiunt, dum hanc potestatem concedentes principibus laicis, quia matrimonium subditur statui, deinde Ecclesiae denegent, quia tenent matrimonium esse sacramentum *accidentaliter*. Neque dicatur a Guberniis non posse *efficaciter* ordinari matrimonium ad bonum civile et politicum, nisi imponendo impedimenta ipsum dirimentia. Atqui tamen id falsum est, namque ad prospiciendum bono publico et bono familiarum jam satis abunde provisum est per impedimenta posita tum jure naturali et positivo divino, tum jure ecclesiastico; et optime sibi prospiceret auctoritas civilis, si talia impedimenta ipsa recognosceret. At agnosce audaciam prorsus incredibilem! Quae gubernia civilia putant se posse censurae subjicere impedimenta dirimentia ab Ecclesia proposita, et aliqua velut inutilia tollunt, alia deinde ut utiliora et aptiora substituere non

reformidant. Cum ergo satis prospectum sit bono societatis civilis et domesticae, si gubernium aliqua intendit matrimonia rationabiliter impedire, habet ad manum omnia media praeventiva et poenalia, quibus efficaciter suum finem consequatur, quin sibi arroget superflua, et civium conscientias inique vexet.

12.° At iis supervenit aliud argumentum, quod nostris temporibus maximum sibi vindicat pondus ex nova societatum conditione. Ajunt ergo: fortasse statum civilem in sua legislatione quoad matrimonium catholicorum teneri respicere ad eorumdem religionem, cum populi unica est religio nempe catholica; sed hodie omnes societates sunt mixtae religionis, habetur principium libertatis conscientiae, et omnium religionum protectio. Porro in hisce statibus Gubernium, ut pro omnibus civibus servet uniformitatem, nequit in legibus considerare matrimonium nisi sub respectu tantum civili et facta abstractione a symbolo sectarum religiosarum; proponet hinc pro omnibus civibus eamdem matrimonii contrahendi formam, eadem praescribet impedimenta, et assecutionem omnium effectuum civilium alligabit observationi omnium articulorum suae legis. At isti enormiter falluntur; ex invocato enim principio libertatis religionis, quo quivis satisfacere pleno valet obligationibus conscientiae, quin leges civiles ei obstent sed potius protegant, consequitur omnino contrarium. Ex hac siquidem lege fieret, ut catholicus obligaretur illud

matrimonium non retinere validum, quod secundum dictata Ecclesiae validum est; et è contra illud conjugium habere validum, quod juxta placita suae Ecclesiae invalidum est cum omnibus corollariis practicis, quae ex hoc sequuntur nempe lucri vel non effectuum civilium. Neque ad excusandam talem injustitiam et usurpationem satis est allegare rationem *uniformitatis legis*. Quandoquidem si verum est, quod leges civiles alicujus populi debeant modificari et inflecti secundum placita religionis, quod ab iis omnibus admittitur, qui non tuentur omnimodam independentiam status a jure quoque naturae; profecto quando populus est mixtae religionis, nequit in omnibus servari *uniformitas materialis* in legibus, sed recurrendum est ad *uniformitatem formalem*. Isti autem conditores legum civilium considerant populum mixtae religionis velut populum atheum, quod verum non est.

13.° Ex dictis consequitur, quid censendum sit, de invento et applicato *matrimonio civili,* quam calamitatem catholica quoque Italia nunc persentit. Matrimonium porro civile illud dicitur, quod initum coram civili magistratu ad praescriptum legis ab iis personis, quarum legitimitas a Statu exclusive determinatur, *unice* validum recognoscitur ad consequenda jura conjugalia et effectus civiles. Incognitum toti antiquitati christianae initium habuit ex Lutheri et Protestantium haeresi denegante matrimonio christiano dignitatem sacramenti, crevit

vero ex atheismo magnae Revolutionis Gallicae, infecitque plures nationes data lege, in qua excludebantur omnia impedimenta dirimentia ab Ecclesia proposita, quae originem haberent ex obligatione religiosa, nempe voti solemnis, cognationis spiritualis, disparitatis cultus, ordinis sacri, et publicae honestatis, atque etiam raptus. Cum autem jam illae nationes lugere incipiant mala gravissima, quae ex illo exorta sunt, et in aliquibus datae sint petitiones, ut haec pars legislationis dispareat, sin minus reformetur habita ratione religiosi dictaminis; ecce venenata haec merx in Italiam invehitur, nostrique legislatores ut eam facilius venditent illis omnibus utuntur sophismatibus, quae jam a doctis viris fuerunt disjecta. Quin imo, cum haec infausta lex sit jam civitate donata, hodie exasperare illam conantur imponentes celebrationem matrimonii civilis debere esse praeventivam cujuscumque matrimonii religiosi, quod schema legis admissum a Camera Deputatorum, est in discussione in Senatu. Nec sufficit, namque et de inducenda lege divortii sunt petitiones, de quibus agitur in dicta Camera Deputatorum. Quae pravorum molimina nisi Deus avertat, eveniet profecto, quod in societate gentilium reprehendebat Sapiens *cap.* 14 *v.* 26: « Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio moechiae et impudicitiae. » Porro hoc matrimonium civile in locis, ubi promulgatum est Decretum Tri-

dentini Concilii *sess.* 24 *cap.* 1 *de reform. matrim.* retinendum est pro catholicis omnino invalidum propter defectum formae substantialis ex *cit. Ep.* Benedicti XIV « *Redditae sunt Nobis.* » Nec ullum est suffragium legis civilis, quippe quae potestas ex dictis est in hac re prorsus incompetens ac proinde nulla esset ratio, cur a fidelibus deberet praestari obedientia, qui prompti reddere Caesari quae sunt Caesaris, reddunt tamen Deo quae sunt Dei. Ad redimendas vero injustas vexationes propter bonum prolis et ad tollendum periculum poligamiae Ecclesia tolerat, ut fideles illi se subjiciant eos tamen instruendo, quo animo debeant illud praestare; et quid in hac re juxta doctrinam Ecclesiae debeant tenere. In hunc sensum S. Poenitentiaria insistens praecipue jam allegatis Litteris Benedicti XIV « *Redditae sunt nobis* » dedit Instructionem Parochis Italiae *die* 15 *Januarii* 1866, cujus tenor hic refertur: -
« 1. Ciò che già da gran tempo temevasi, ed i » Vescovi o singolarmente, o collettivamente con » rimostranze piene di zelo e di dottrina e persone » d' ogni ordine colle loro erudite penne, e lo stesso » Sommo Pontefice colla autorità della sua voce » procurarono di tenere lontano, vediamo pur » troppo stabilito in Italia. Il così detto contratto » civile di matrimonio non è più un male, che » la Chiesa di Gesù Cristo, debba deplorare oltre » le Alpi, ma è un male, che trapiantato in queste » contrade d'Italia minaccia co' suoi tristi effetti

» contaminare la famiglia, e società Cristiana. » E questi funesti effetti sono stati ravvisati dai » Vescovi ed Ordinarii de' Luoghi, altri de' quali » con opportune istruzioni han già messo in guar- » dia il loro gregge, ed altri hanno fatto sollecito » ricorso a questa Apostolica Sede, per avere » norme sicure onde regolarsi in affare così im- » portante, e pericoloso. E sebbene per comando » del Sommo Pontefice questo S. Tribunale abbia » già dato non poche risposte, ed istruzioni alle » dimande particolari; tuttavia per soddisfare alle » istanze, che di giorno in giorno si moltiplicano, » il Santo Padre ha ordinato, che per mezzo di » questo medesimo Tribunale sia inviata a tutti » gli Ordinarii de' Luoghi, dove è stata pubbli- » cata l'infausta legge, una istruzione da servire » di norma generale a ciascuno di loro, per rego- » lare i fedeli, e procedere concordemente a soste- » nere la purità de' costumi e la Santità del ma- » trimonio Cristiano. - 2. Nell'eseguire però gli » ordini del S. Padre questa S. Penitenzieria crede » superfluo di rammentare ciò, che è domma no- » tissimo della nostra Santissima Religione, essere » cioè il matrimonio uno de' sette Sagramenti, » instituiti da G. C. e perciò alla Chiesa, cui lo » stesso Gesù Cristo affidò la dispensa de' suoi » divini misteri, appartenere solamente il rego- » larlo. Così ancora crede superfluo ricordare la » forma prescritta dal S. Concilio di Trento *sess.* 24 » *cap.* 1 « *Reformat. matrimonii,* » senza l'osser-

» vanza della quale non potrebbe nei luoghi ove
» è pubblicato contrarsi validamente matrimonio. -
» 3. Ma da queste ed altre massime e dottrine
» cattoliche i Pastori delle anime devono formare
» istruzioni pratiche, con cui facciano bene inten-
» dere ai fedeli quello, che la Santità di Nostro
» Signore proclamava nel Concistoro segreto dei
» 27 *Settembre* 1852, cioè *inter fideles Matrimo-*
» *nium dari non posse, quin uno eodemque tempore*
» *sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam*
» *inter christianos viri et mulieris, praeter Sa-*
» *cramentum, coniunctionem etiam civilis legis vi*
» *factam nihil aliud esse, nisi turpem atque exi-*
» *tialem Concubinatum.* - 4. E da ciò potranno
» facilmente dedurre, che l'atto civile avanti gli
» occhi di Dio, e della sua Chiesa non può essere
» considerato in conto alcuno non che di Sacra-
» mento neppure di contratto e che come la po-
» testà civile è incapace a legare alcuno de' fedeli
» in Matrimonio, così è incapace a scioglierlo, e
» che perciò, come questa S. Penitenzieria ha già
» dichiarato in qualche risposta ai dubbii partico-
» lari, ogni sentenza di separazione intorno a con-
» jugi uniti in matrimonio legittimo avanti alla
» Chiesa, pronunziata da laica potestà, sarebbe
» di niun valore, ed il conjuge, che, abusando
» di tale sentenza, ardisse di unirsi con altra Per-
» sona, sarebbe un vero adultero, come sarebbe
» vero concubinario chi presumesse di stare in ma-
» trimonio in forza del solo atto civile, e l'uno

» e l'altro sarebbe indegno di assoluzione finchè
» non rinsavisse e sottoponendosi alle prescrizioni
» della Chiesa, non tornasse a penitenza. - 5. Quan-
» tunque però il vero matrimonio de' fedeli. allora
» solamente si contrae quando l'Uomo e la Donna
» scevri di impedimenti dichiarano il mutuo con-
» senso avanti il Parroco e testimonii, giusta la
» citata forma del S. Concilio di Trento, ed il ma-
» trimonio così contratto abbia tutto il suo valore,
» nè abbia affatto bisogno d'essere riconosciuto,
» o confermato dalla Potestà civile: tuttavia per
» evitare vessazioni e pene, e pel bene della prole,
» che altrimenti dalla Laica Potestà non sarebbe
» riconosciuta per legittima, e per allontanare an-
» cora il pericolo di poligamia si ravvisa oppor-
» tuno ed espediente, che i medesimi fedeli, dopo
» d'aver contratto legittimo Matrimonio avanti alla
» Chiesa si presentino a compiere l'atto imposto
» dalla legge, con intenzione però (come insegna
» Benedetto XIV, nel Breve dei 17 *Settembre* 1746
» « *Redditae sunt Nobis* ») che presentandosi al-
» l'ufficiale del Governo non fanno altro, che una
» ceremonia meramente civile. - 6. E per le stesse
» ragioni e non mai in senso di prestar mano al-
» l'esecuzione dell'infausta legge, i Parrochi non
» dovranno ammettere indifferentemente alla cele-
» brazione del matrimonio avanti alla Chiesa quei
» fedeli, che, per essere proibiti dalla legge, non
» sarebbero poi ammessi all'atto civile, e quindi
» non riconosciuti per conjugi. In ciò devono usare

» di molta cautela e prudenza sentire il parere
» dell' Ordinario, e questi non esser facile nell' an-
» nuire; ma ne' casi più gravi consultare questo
» S. Tribunale. - 7. Che se è opportuno ed espe-
» diente, che i fedeli col presentarsi all' atto civile
» si facciano conoscere per legittimi conjugi in
» faccia alla legge; non devono però mai compiere
» un tal atto senza aver prima celebrato il matri-
» monio avanti alla Chiesa. E se mai la coazione,
» od un' assoluta necessità, che non deve facil-
» mente ammettersi, portasse di invertire un tale
» ordine, allora deve usarsi di tutta la diligenza,
» affinchè quanto prima sia contratto il matrimonio
» avanti alla Chiesa, ed intanto i contraenti stiano
» separati. Ed intorno a ciò si raccomanda di at-
» tenersi alla Dottrina sviluppata da Benedetto XIV
» nel mentovato Breve a cui Pio VI nel suo Breve
» a' Vescovi di Francia « *Laudabilem majorum*
» *suorum* » dei 20 *Settembre* 1791, e Pio VII nelle
» sue lettere scritte gli 11 *Giugno* 1808 a' Vescovi
» delle Marche rimettevano per istruzione i Vescovi
» medesimi, che avevano chiesto norme per rego-
» lare i fedeli in simile contingenza di atto civile.
» E dopo tutto questo è facile vedere, che non
» resta in alcuna maniera alterata la prassi fin quì
» osservata intorno al matrimonio, e segnatamente
» intorno a' libri parrocchiali, sponsali, ed Impe-
» dimenti Matrimoniali di qualunque natura sta-
» biliti o riconosciuti dalla Chiesa. - 8. E queste
» sono le norme generali che in ossequio degli

» ordini del S. Padre questa S. Penitenzieria ha » creduto di segnare, e sopra le quali gode l'animo » di vedere, che molti Vescovi ed Ordinarii hanno » già modellato le loro istruzioni, e si nutre fiducia, » che altrettanto faranno tutti gli altri, e così mo» strandosi pastori vigilanti n'avranno merito e » premio da Gesù Cristo Pastore di tutti i Pastori. - » Dato in Roma dalla S. Penitenzieria li 15 *Gen- » najo* 1866. » - In iis vero regionibus in quibus Tridentini Concilii Decretum non fuit promulgatum, pariter lex de civili connubio nullius est roboris, sed quia lex ecclesiastica nullam praescripsit matrimonio formam ad ejus validitatem necessario exigendam, ideo talia matrimonia coram civili magistratu inita valida sunt, si aliud canonicum impedimentum dirimens non obstet. Semper tamen ibi matrimonium civile est vetitum et illicitum, quia Ecclesia Dei jure praecepit, ut matrimonium utpote sacramentum in forma liturgica contraheretur.

14.° Denegata Guberniis civilibus auctoritate in regendo matrimonio christiano quoad vinculum, non tamen ii sumus, qui quamcumque curam eis interdicamus. Libenter siquidem recognoscimus in potestate laica: - 1.° Jus imponendi nonnullas conditiones in forma impedimentorum impedientium praeter appositas ab Ecclesia etiam in matrimonio christiano, quoties publicum bonum id exigat, puta ne minorum matrimonia fiant absque consensu parentum, ne militiae addicti matrimonia contrahant

nisi certis servatis regulis ac de venia auctoritatis militaris. - 2.° Jus communiendi sanctione has praescriptiones, quae sanctio potest quaelibet esse aut in mulctis pecuniariis, aut in carcere, aut in amissione jurium, dummodo non attingat validitatem contracti matrimonii ex dictis. - 3.° Jus denegandi talibus a se vetitis connubiis nonnullos effectus civiles, quae res aliqua eget explicatione. Porro sub nomine effectuum civilium juxta communem Doctorum opinionem veniunt: - (a) Jura reciproca conjugum individuae nempe vitae consuetudinis, ut teneantur ad invicem officia maritalia sibi exhibere, nec valeant ad alias nuptias primis per mortem non resolutis convolare. - (b) Recognitio constitutionis dotis aliorumque instrumentorum aut pactorum respicientium assignationes bonorum causa matrimonii. - (c) Legitimitas filiorum. - (d) Istorum successio intestata in haereditatem parentum, aliarumque personarum cum illis sanguine conjunctarum; - (e) Successio eorumdem in feuda, aliosque honores a statu familiis tributos praesertim in societate imparium. - Jam vero status nequit omnes istos effectus civiles denegare iis matrimoniis, quae valida sunt, etsi contra interdictum prohibens illius sint contracta. Si enim status aliquod matrimonium ut validum habet, nequit absque contradictione permittere, ut sine ulla causa resolvatur individua vitae consuetudo, quemadmodum nequit permittere, ut primo contempto aliud ineatur conjugium; proinde non

potest non tueri jura reciproca conjugum. - At è contra valet status in talibus conjugiis a se vetitis denegare recognitionem constitutionis dotis, aliorumque instrumentorum et pactorum respicientium assignationes bonorum causa matrimonii. Cum enim istarum pactionum juridicus valor pendeat a constitutionibus civilibus; imo sint adinventia civilia, quandoquidem penes diversas nationes diversa viget lex et consuetudo; hinc status est velut in dominio proprio; unde si jure impedit illa conjugia, jure pariter eis denegat in talibus suam tutelam. Ita ad sedandas justas catholicorum et praesertim Episcoporum querelas explicatus fuit sensus renovati a Ludovico XIII Rege Galliarum Edicti Henrici Regis anno 1629 et 1639, in quo constituebantur *invalida* matrimonia celebrata a filiis familias absque consensu parentum; nempe in eo edicto: « non agi de sacramento matrimonii, neque de ejus essentialibus ceremoniis, sed de validitate conventionum matrimonialium, de accessoriis matrimonii, de dotis validitate etc. » - Disputant Doctores, an status filiis ex talibus matrimoniis genitis valeat denegare legitimitatem civilem, quam profecto habent coram Ecclesia. Si enim status recognoscere tenetur illud matrimonium ut validum, quomodo filiis denegare valebit legitimitatem saltem quoad omnes suos effectus, cum legitimus filius ille sit, qui nascitur ex justis seu validis nuptiis? Quemadmodum disputant Doctores an status valeat filiis ex istis conjugiis ge-

nitis denegare jus successionis in haereditatem parentum intestatam; haec enim successio etsi a jure civili fuerit determinata, tamen habet fundamentum in jure naturae. Omnes tamen Doctores conveniunt quod denegatio istorum duorum effectuum civilium esset insipiens et crudelis, cum status puniret directe in filiis delictum parentum, quando aliae poenae sunt magis directae et efficaces, quibus ea conjugia valent impediri. Hic tamen notandum est aliud esse repellere a jure successionis personas haec interdicta matrimonia ineuntes, et aliud privare jure successionis filios ex istis matrimoniis natos: primum inconditionate a statu fieri potest, ut in renovato edicto Ludovici XIII jam citato; alterum est quod nos ut improvidum et crudele reprehendimus. Demum status potest denegare filiis ex interdictis conjugiis genitis successionem in feuda aliosque honores proprios nobilitatis in societatibus quae constant pluribus ordinibus; nam talia jura sunt ex omnimoda status institutione, potest proinde ad assecutionem eorumdem emolumentorum et honorum quascumque conditiones imponere. Revera aliquando ista emolumenta et honores fuerunt denegati, quia non fuit adimpleta conditio ut nobilis aeque nobili desponsaretur, a fortiori, si matrimonium initum sit a statu interdictum etsi ab eo ut validum recognitum. - 4. Demum status habet *jus registrandi* matrimonia, atque considerandi hanc registrationem ut legalem probationem existentiae supradicti ma-

trimonii; nam legalitas probationum pendet a decisione status, et ipse valet quoque exigere, ut aliquod factum una potius quam alia ratione probetur. Imo si haec registratio non fiat infra determinatum tempus, potest status punire conjuges negligentes etiam mulctis pecuniariis, aliisque mediis. At quandocumque fiat, eam tenetur semper recipere etiam serotinam, et tunc retinendum erit matrimonium existere non a tempore registrationis, sed ab eo tempore, quo constet esse contractum, quamvis de registratione non opportuno tempore facta infligi possit poena. Imo ex aequitate receptum est, ut haec probatio legalis per aequipollentem suppleri possit, quando impossibile est per obvenientes circumstantias, ut registratio locum amplius non habeat.

15.° Matrimonium Christianum, ut ex disputatis liquet, regitur legibus, quarum aliquae dicuntur *impedimenta dirimentia*, illudque reddunt invalidum, aliae appellantur *impedimenta impedientia* et reddunt illicitum. Impedimenta quidem dirimentia alia sunt ex jure naturae, alia ex jure positivo divino, alia demum ex jure ecclesiastico; impedimenta vero impedientia, quae respicit directe jus canonicum, sunt ex jure ecclesiastico. At quaenam est in Ecclesia auctoritas, quae haec impedimenta imponit, quilibet ne Ordinarius, aut suprema tantum potestas, nempe Concilium Generale et Romanus Pontifex? Loquimur primo de impedimentis dirimentibus. Quidquid sit de anti-

quissima praxi Ecclesiae, ex qua Episcopi pro sua dioecesi fortasse poterant leges dicere imponendo matrimonio impedimenta quoque dirimentia, certum est hodie et jam a pluribus saeculis eis sublatam esse hanc potestatem, factamque esse *causam majorem* supremae auctoritati in Ecclesia reservatam, nempe Pontifici aut Concilio generali, uti probat Benedictus XIV « *De Synod. dioeces.* » *lib.* 12 *cap.* 5 *num.* 2 afferens auctoritatem Sanchez et Pontii; quod factum esse videtur ad servandam uniformitatem in negotio adeo arduo, in quo difficultates oriri facile possunt. Pontifex autem vel Concilium generale haec impedimenta proponere valet aut *ad modum legis*, pro universa Ecclesia, aut *ad modum praecepti* cum nempe in aliquo particulari eventu prohibet, ne inter peculiares personas matrimonium contrahatur, simulque decernit, ut si contra suam prohibitionem contrahatur sit irritum, prout pluribus exemplis probat Benedictus XIV *loc. cit. num.* 2; quae tamen clausula irritans non est praesumenda adjecta esse decreto, sed probanda est esse talis, cum nimis gravet. At contra alii Ordinarii praeter Romanum Pontificem id nequeunt praescribere neque *ad modum regulae*, neque *ad modum praecepti*, qui scilicet Episcopi etsi valeant severissimis poenis communire observantiam legum ecclesiasticarum non possunt tamen sua abuti auctoritate adhibentes clausulam irritantem cum a lege actus est simpliciter vetitus sed non irri-

tus effectus; prout *loc. cit.* laudatus Pontifex diserte confirmat. De impedimentis vero impedientibus dicendum est ea pariter posse proponi vel *ad modum regulae* pro universa Ecclesia, vel *ad modum praecepti pro aliquo casu peculiari.* Asserta vero Pontifici et Concilio generali facultate ea proponendi utroque modo quod attinet ad alios Ordinarios dicendum est eos non valere proponere talia impedimenta *ad modum regulae,* propter eamdem rationem uniformitatis, bene vero ad modum praecepti, ut demonstrat Benedictus XIV *de Syn. dioeces. lib.* 8 *cap.* 14 *num.* 5; tunc enim potius est impedire infractionem jam existentis legis ecclesiasticae, ad quod Ordinarii locorum debent totis viribus attendere. Consuetudine quoque ecclesiastica posse impedimenta etsi dirimentia inolescere receptum est. Et revera impedimentum *cultus disparitatis* quamvis dirimens ortum habuit ex consuetudine, cum nulla ecclesiastica lex scripta statuerit invalida esse matrimonia a baptizatis inita cum non baptizatis, sed tantum consuetudine, cujus brevem historiam dabimus cum de illo impedimento agemus. Verum hodie quid praestare poterit consuetudo tum in inducendis novis impedimentis praesertim dirimentibus, sive in antiquis abolendis? Respondendum est quod ad servandum idem principium *uniformitatis,* consuetudo si est particularis, tum si inducat novum impedimentum tum si antiquum aboleat, est semper irrationabilis, proinde carens effectu, prout docet Bene-

dictus XIV *Constitut.* « *Singulare Nobis* » *diei* 9 *Februarii* 1749. At si est generalis, tunc inolelescere non permittitur nisi ex expressa approbatione Summi Pontificis propter materiae gravitatem; et potius lex scripta evaderet, ut tenet Fagnanus in *cap.* 1 *de cognat. spirituali et cap.* 5 *de consanguin. et affinit.*

16.° Postquam visum est quaenam sit potestas a qua proveniant impedimenta, nonnulla nunc dicamus de iis qui talibus legibus subduntur. Impedimentis dirimentibus propositis a jure naturae vel a jure positivo divino ligari universum humanum genus ex eo constat, quod jus naturae ea praecipiat quae sunt contractui substantialia, et ea vetet, quae intrinsece inhonesta sunt; quae proinde praecepta aut vetita afficiunt omnes homines. Jus vero positivum divinum cum editum sit in ipso primo connubio nostrorum protoparentum prout suo loco ostendetur, fuit velut forma omnium matrimoniorum, quae in progressu a filiis celebranda forent. Legibus autem ab Ecclesia hac in re propositis non ligari infideles certissimum est, qui sicut non sunt judicio Ecclesiae subiecti, juxta illud Pauli « quid mihi de his, qui foris sunt, judicare » sic non persentiunt legislativam auctoritatem Ecclesiae. Ex adverso nemo negare valet Ecclesiasticis impedimentis teneri fideles, cum lex liget subditos. Tota proinde quaestio est de haereticis, schismaticis, deque iis omnibus qui dum per susceptio-

nem baptismi subditi Ecclesiae facti sunt, ab ejus tamen communione sunt divisi, et a societate ecclesiastica penitus avulsi. Et quoad hos dubium non est in hoc; an scilicet Ecclesia habeat nec ne potestatem eos suis legibus obligandi: nam cum baptisma semel susceptum numquam amittatur ex *cap.* 7 *de divort.*, isti permanent subiecti potestati Ecclesiae, quamvis privati sint omnibus bonis et privilegiis societatis ecclesiasticae (in quo consistit ratio excommunicationis, seu exclusionis a societate ecclesiastica). At quaeritur an Ecclesia intendat eos hac de re obligare seu adigere ad observantiam legum, quamvis eos sciat futuros contumaces, et ipsi retineant valida esse matrimonia quae Ecclesia fecit invalida? Super qua re mihi videtur aptior esse sequens responsio, quae certis probatur argumentis, nempe: « Quidquid censendum sit de impedimento dirimente clandestinitatis a Concilio Tridentino inducto, de quo agemus singillatim *tit. III.*, retinendum est, hos etsi ejectos a societate Ecclesiae, et quoque efformantes alias societates haereticorum aut schismaticorum in genere teneri ad observantiam istarum legum matrimonialium » Diximus *in genere*, quia hic non loquimur de haereticis et schismaticis orientalibus diversorum rituum, qui habent hac in materia legislationem prorsus diversam, atque de ipsis non potest conclusio generalis proponi. Duobus vero argumentis gravissimis probatur propositio, quorum primum est: Impedi-

menta ista jam erant ab Ecclesia proposita, quando modernae societates haereticorum exortae sunt, non est proinde arguendum Ecclesiam in iis edendis illos non respexisse; et ex altera parte nullum habemus indicium Ecclesiam deinde eos voluisse excipere ab earumdem observatione. Qui proinde initio tenebantur, quomodo probatur exinde fuisse a legum observatione exemptos, cum istae leges non tam sanctificationem individuorum respiciant, quam bonum publicum societatis ecclesiasticae, et multum conferant honori matrimonii, et bono societatis ecclesiasticae? Alterum argumentum non minus concludens hoc est, quod Ecclesia haereticos, aliosque baptizatos a sua communione separatos retinuerit obnoxios supradictis impedimentis; nam quod pertinet ad impedimentum dirimens cultus disparitatis, Ecclesia censuit hoc non solum ligare fideles sed et haereticos, prout docuit Benedictus XIV in citata Constitutione « *Singulare Nobis.* » Quod autem spectat ad impedimentum consanguinitatis in gradibus jure ecclesiastico prohibitis S. Sedes matrimonia in haeresi contracta quoad haereticos ad unitatem catholicam revertentes sananda per dispensationem Episcopis indulserit. Revera inter facultates quas S. Universalis Inquisitio concedit Episcopis Imperii Austriaci legitur sequens: « dispensandi in tertio et » quarto consanguinitatis simplici et mixto re- » late ad fideles in matrimoniis contrahendis...... » in contractis vero cum haereticis conversis etiam

» in secundo simplici et mixto, dummodo nullo » pacto primum attingat.» Ergo illa matrimonia in talibus gradibus in haeresi contracta erant invalida; sed non obstabat nisi impedimentum juris ecclesiastici, proinde lex impedimenti ecclesiastici haereticos ligat. Quae argumenta talia sunt, ut non admittant nullam in contrarium exceptionem.

17.° Juxta hodiernam Ecclesiae ordinationem impedimenta impedientia sunt quatuor comprehensa sequenti versu: « Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum. » Impedimenta autem dirimentia a nonnullis canonistis recensentur *quatuordecim*, ab aliis *quindecim*. Haec tamen differentia non est ex hoc quod alii non admittant, alii è contra recenseant decimum quintum impedimentum, sed solummodo ex eo, quod nonnulli impedimentum *aetatis* teneant esse speciem generalis impedimenti *impotentiae*, alii ex adverso probent non esse confundendum impedimentum aetatis cum impedimento impotentiae, quorum ultimorum opinio videtur esse magis fundata et praeferenda, ut videbimus *tit.* 2. Haec porro impedimenta dirimentia comprehenduntur his versibus:

« Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
» Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
» Aetas, affinis, si clandestinus et impos,
» Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae. »

Cum autem fere de omnibus hisce impedimentis habeantur in Decretalibus Gregorii IX tituli speciales, hinc de iis in citatis titulis pertractabimus,

exceptis impedimentis quatuor dirimentibus, nempe erroris, vis et metus, cultus disparitatis et raptus de quibus, cum non habeantur tituli speciales, in hoc primo titulo sermonem instituemus.

18.° Et primo de impedimento erroris. Errare ille dicitur, qui aliud pro alio putat: unde error differt ab ignorantia, quia haec est carentia scientiae, error autem scientiae oppositus, est enim falsa scientia. In casu proinde contractus matrimonialis erroneus est, cum quis putat se contrahere cum hac persona, aut cum persona talibus qualitatibus praedita, quae tamen ea non est, aut tales qualitates non habet. Unde error esse potest vel *circa personam* vel *circa qualitates*: esse pariter potest vel *antecedens*, qui dedit causam contractui, vel *concomitans* seu *incidens*, sine quo contractus etiam intervenisset. Porro error circa personam est substantialis, unde sive sit antecedens sive concomitans, sive vincibilis sive invincibilis facit semper irritum matrimonium, *errantis enim nullus est consensus*, ut constat ex *can.* 2 *quaest.* 1 *caus.* 29; atque est impedimentum intrinsecum ipsi contractui, et juris naturalis et reddit matrimonium invalidum, nisi quis *cum persona praesente QUAECUMQUE EA SIT* contrahere vellet. Error in nomine personae caeteroquin notae et praesentis non obstat ex *cap.* 26 *h. t.* et ex Responso S. Congregationis Concilii in *Romana nullitatis matrim. diei* 9 *Augusti* 1817.- Verum error circa qualitatem personae (excepto

errore conditionis, de quo in titulis sequentibus) regulariter non irritat matrimonium, etiamsi sit antecedens et ex dolo inductus ex *cap.* 18 *h. t.*, dolus enim non constituit de se impedimentum matrimonii. Haec tamen ultima conclusio patitur duas exceptiones, quarum *prima* est: si quis alligasset consensum existentiae qualitatis, in qua errat, *ut conditioni, sine qua non* peregisset contractum: id tamen debet ostendi concludentibus argumentis, et in foro externo id non praesumitur etiam posito errore et dolo. Exceptio *altera* est, si qualitas in qua error verificatur, adeo emineat saltem in conceptu contrahentis, ut censeatur refundi in personam, ut si quae putaretur esse filia magni principis territorialis, quae in veritate non esset nisi de familia privati hominis, et ita porro de aliis exemplis, quae ab auctoribus afferuntur. Atqui hoc in casibus particularibus est difficilis omnino probationis, nempe quod ea qualitas ita emineat, ut ejus defectus censeatur constituere aliam prorsus personam.

19.° Alterum impedimentum dirimens est *vis et metus*. De his locuti sumus *lib.* 1 *tit. XL*, in quo sermo fuit de valore actuum, qui vi metusque causa fiunt. Hic tantum addendum est: - *1°* requisita metus, ut matrimonium sub illo censeatur esse nullum, debere esse, quod metus sit extrinsecus, gravis, injustus et directus ad consensum extorquendum, ut habeatur ratio gravis injuriae in ordine ad matrimonium. - *2°* Concilium Tri-

dentinum *sess.* 24 *cap.* 9 *de reform. matrim.* poenam statuisse in eos, qui ad matrimonia contrahenda talem incuterent metum, nempe excommunicationem majorem ipso facto incurrendam. - *3°* Antiquitus matrimonium metu initum revalidatum fuisse longa cohabitatione, ex qua vel praesumptive vel vere constaret metum hunc fuisse depositum ex *cap.* 21 *h. t.* Verum post Concilium Tridentinum, ex quo consensus quomodocumque elicitus non valet ad ineundum matrimonium, sed coram parocho et duobus vel tribus testibus debet proponi, rem esse immutatam, nam si publice constat metum fuisse iniustum, tunc eo modo non purgatur, cum S. Congregatio Concilii in *Panormitana nullitat. matrim. diei* 30 *Septem.* 1719 responderit: « S. Congregatio saepius respondit hodie post Concilium Tridentinum matrimonium metu contractum, et purgato metu per cohabitationem cum carnali copula aliosque actus non convalidari; nisi iterum contrahatur adhibita rursus ejusdem Concilii forma. » Monet autem Benedictus XIV *Institutione ecclesias.* 87 § *magno studio* hanc juris immutationem non advenisse, nisi cum impedimentum metus est publicum; contra vero si est occultum, et solemnitas a Tridentino praescripta fuit jam adhibita, tunc manere veteris juris dispositionem, ita ut non sit necessarium nisi clam renovare consensum ex declaratione Pii V et subsequentibus decisionibus S. Congregationis.

20.° Tertium impedimentum dirimens est *Raptus*. Prout hic consideratur raptus est: « violenta mulieris abductio de loco in locum in » ordine ad contrahendum matrimonium. » Unde ad hoc impedimentum inducendum requiritur: - 1° ut sit abductio mulieris de loco in locum; - 2° ut fiat ad finem conciliandi matrimonii; - 3° ut fiat abductio ex violentia, cui aequiparatur dolus, dummodo in utroque casu habeatur mulier invita. Indoles autem hujus impedimenti est ex Concilio Tridentino *sess.* 24 *cap.* 6 *de reform. matrim.*, ut inter raptorem et raptam non possit verum consistere connubium, quamdiu rapta sub potestate raptoris fuerit, seu, prout explicant Doctores, quamdiu loco tuto reddita non sit. Et jure citamus Concilii Tridentini decretum cum *raptus* impedimentum proprie ab illo decreto inductum est. Etsi enim crimen raptus jam ab antiquo non minus imperialibus quam ecclesiasticis legibus fuerit interdictum et severissime punitum, non inducebat tamen ante Tridentinum Concilium matrimonii impedimentum distinctum ab impedimento *vis et metus*, ceu aperte colligitur ex textu *cap.* 7 *de raptor.*, cujus tenor hic est: « Rapta puella legitime con- » trahet cum raptore, si prior dissentio transeat » postmodum in consensum, et quod ante displi- » cuerat, tandem incipiat complacere, dummodo ad » contrahendum sint legitimae personae ». Atqui hoc verificabatur in vi et metu; nam si sublata fuisset vis aut cessasset; item si metus purgatus

fuisset, et prior dissensus transiret postea in consensum, tunc legitimum erat matrimonium. At hodie post supradictum Concilii decretum non ita est, nam etsi rapta facta sit ex nolente volens, quamdiu tamen manserit sub potestate raptoris, inter hunc et raptam nequit esse verum conjugium. Manet ergo impedimentum usque dum manet factum existentiae mulieris raptae sub raptoris potestate, quia lex praesumit durante hoc facto consensum mulieris raptae non esse undequaque liberum, et perseverare vim vel metum. Antiquitus ergo in crimine raptus obstabat matrimonio *impedimentum vis vel metus veri*; hodie post decretum Concilii Tridentini obstat *impedimentum vis vel metus praesumpti*. Quae tamen praesumptio est *juris et de jure* non admittens probationem directam in contrarium, quae nempe praesumptio generalis legis non frustratur, et proinde dispositio manet, etiamsi in casu particulari non verificetur: quod obtinet quoties leges considerantes id quod plerumque fit, de omnibus casibus uniformiter disponunt, quin excipiant casum, in quo aliter extraordinarium contingit. Quod in hac materia facilius explicari potest, cum talis dispositio licet praecipue ad tuendam mulierum libertatem in connubiis edita sit; sed non excluditur tamen esse in odium et poenam gravissimi illius criminis inductam. - Raptus duae sunt species, alius enim dicitur *violentiae*, alius *seductionis*. Raptus quidem violentiae habetur, cum: - *1°* aliqua mu-

lier de loco in locum invita violenter abducitur, vel: - 2° cum ad locum dolo illecta, ibi dolo vel vi retinetur, namque in hoc casu dolus vi aequiparatur. Raptus autem seductionis est: - 1° cum mulier ipsa cum viro libere consentit in fugam, imo et eam expetit ad matrimonium, obstant tamen, utpote inviti vel inscii sunt, parentes aut tutores, sub quorum potestate est constituta: ideo autem licet improprie seducta dicitur, quia hujus criminis raptus censetur principalis auctor vir, qui mulierem depravaverit seductione. - 2° cum mulier blanditiis, illecebris, dolisque simul illecta consentit in fugam et in matrimonium, et est vel dicitur vere seducta invitis vel insciis parentibus sub quorum potestate est. Nemo dubitare potest quin impedimentum dirimens sit raptus violentiae primae et secundae speciei; ibi enim dolus talis est, ut apertae violentiae aequiparetur, et eodem modo noceat ac violentia. Inter Doctores autem controvertitur, an raptus seductionis fuerit in decreto Concilii comprehensus; et pro utraque sententia non desunt nec nomina Doctorum nec argumenta; nos quid probabilius censeamus duabus propositionibus exponemus: - I.° Non videtur posse rationabiliter sustineri comprehendi in impedimento raptus statuto *ex cap. .6 sess. 24 de reform. matrim. casum primae speciei*, quo mulier libere consentit cum viro in fugam, imo et eam expetit ad matrimonium, obstantibus seu invitis aut insciis parentibus vel tutoribus, sub quorum

potestate ea mulier est constituta, quae species est improprie dictae seductionis. - Qui auctores tum veteres tum recentiores contrariam tuentur sententiam, eam probant argumento fuse exposito a Cardinali De Luca in *annotation. ad Conc. Trid. discur.* 28 et a Riganti in *regul. Cancellar. IL num.* 84; nempe Concilii Tridentini dispositio in *cap.* 6 *sess.* 24 *de reform. matr.* manet in omnibus illis casibus, in quibus juxta terminos juris civilis habetur crimen raptus; nam interrogata S. Congregatio: « an raptores mulierum, quae raptui consenserint, comprehendantur quoad poenam et matrimonii prohibitionem decreto Concilii Tridentini? » *sub die* 24 *Januarii* 1608 respondit: « Concilium procedere etiam in muliere volente, dum tamen sit raptus juxta terminos juris civilis; » atqui etiam consentiente muliere imo et expetente fugam ad matrimonium conciliandum, est tamen semper crimen raptus juxta civilem legem, quando mulier est sub parentibus vel tutoribus, nam crimen raptus potest committi contra puellam et ejus parentes ac tutores, vel simpliciter contra parentes et tutores; ergo etiam in casu habetur impedimentum. Ast hujus argumenti major propositio in sui generalitate non est vera, namque: - (α) Omnes conveniunt etiam patroni contrariae sententiae, quod raptus mulieris ad explendam libidinem vel propter alios fines, quam ad conciliandum matrimonium sit verum crimen raptus punitum ut tale a legibus imperialibus, et tamen omnes Doctores

pariter conveniunt hos casus non comprehendi in Lege Concilii Tridentini, et ita fuisse declaratum refert in notis ad Conc. Trid. Gallemart a Congregatione Concilii *die* 23 *Januar.* 1585. Quod probatur quoque ex stylo Curiae Romanae, quae in omnibus literis dispensationum Ordinariis commissarum inserit clausulam: « *dummodo mulier PROPTER HOC rapta non fuerit* » quae verba *propter hoc* id est matrimonium, inepte inducta fuissent, si in decreto Concilii comprehenderetur raptus mulieris factus ob aliam causam quam ad matrimonium, prout recte notat De Justis *de dispens. matrim. lib.* 2 *cap.* 18 *num.* 48. - (β) Insuper, ut ex propositionis positione patet, certum est quod in casu crimen raptus non fuisset commissum contra mulierem ex hypothesi volentem et expetentem fugam ad matrimonium, sed tantum contra parentes vel tutores sub quorum potestate ea erat constituta, qui erant inviti vel inscii, et ex hoc matrimonium esset invalidum ob raptus impedimentum: hoc autem nonne demonstraret esse ad matrimonii validitatem filiorum familias necessarium consensum parentum? Atqui tamen Concilium Tridentinum eadem *ses.* 24 *cap.* 1 *de reform. matrim.* eos anathemate damnat, qui falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. - (γ) Quid quod ipsa S. Congregatio idem aperte declaravit? Nam *in causa Rubensi Raptus et censurarum die* 3 *Martii* 1714

respondit: « Raptori non obstare raptum ad con» trahendum matrimonium cum puella rapta, con» stito quod raptus fuerit executus nedum consen» tiente, sed et sollicitante ipsa puella. » - (δ) Demum illi quoque qui contrariam defendunt sententiam tenent raptorem puellae invitis ejus parentibus, cum qua jam contraxit sponsalia de futuro, si ipsa sit consentiens, non incurrere in interdictum decreti Concilii Tridentini, ut habet P. Thesaurus *de poenis ecclesiasticis cap.* 2 *verb. Raptus* asserens jus civile correctum esse a Concilio. Ex quibus omnibus ruit argumentum Card. De Luca, et nostrae propositionis veritas ostenditur. At dicet quispiam: quomodo explicatur declaratio S. Congregationis *diei* 24 *Januar.* 1608 superius relata? Respondeo vel dicendum esse S. Congregationem progressu temporis mutasse sententiam, et recessisse ab ea nimis rigida interpretatione data in decisione anni 1608, vel, ut aliis Doctoribus placet, illa verba esse intelligenda limitata ad probationem consensus, quatenus nisi evidenter constet mulierem libere omnino consensisse, retinendum sit eam sub metu consensum edidisse. - II.° Probabilius nec in interdicto ejusdem *cap.* 6 *sess.* 24 *de reform. matrim.* comprehenditur *casus secundae speciei,* cum mulier blanditiis illecebris dolisque simul illecta consentit in fugam et in matrimonium, et est vel dicitur vere seducta invitis vel insciis parentibus vel tutoribus, sub quorum potestate est. Revera inter hunc et primum casum

haec est differentia, quod hic ex parte viri habeat locum mulieris depravatio blanditiis illecebris dolisque, ita ut quae prius erat nolens facta sit volens, et quae erat bona facta sit prava. Verum quae prava facta est nunc ex hypothesi vere vult fugam ad matrimonium conciliandum, nec ejus voluntati ulla vis infertur. Cum ergo in casu non habeamus nisi injuriam illatam parentibus, et non desit nisi eorum consensus, applicantur ad casum eaedem rationes prius propositae. Quod pertinet autem ad duos casus, et praesertim quoad hunc ultimum id est notandum, quod nisi plenissime ostendatur mulieris consensum fuisse omnino liberum semper praesumitur intervenisse violentiam, et mulieris consensum fuisse metu extortum, cum raptus crimen imputetur viro. Et quia difficilis probatu est haec omnimoda libertas consensus, hinc est quod plures emanent a S. Congregatione decisiones, quae videntur probare ab Ea admitti raptum seductionis, cum revera non sint nisi de raptu violentiae, quae semper praesumitur nisi evidentissime excludatur, ut in *causa Herbipol. Matrim.* 24 *April.* 1858 et *Parisiens.* 27 *August.* 1864. - Raptus autem constituit impedimentum matrimonii, quaecumque sit mulier, quae rapitur, virgo, deflorata, vidua, bonae vel malae famae mulier, ut cum communi Doctorum sentit P. Thesaurus *op. et loc. cit.*, ratio est, quia attenditur in eo decreto Tridentini ad libertatem pro matrimonio, et cuique mulieri fit injuria, si in hoc

gravatur. In quo Decretum Concilii correxit dispositionem juris civilis qua non habebatur crimen, si raperetur mulier inhonesta. At è contra non videtur comprehendi casus raptus viri, quod late ostendit Sanchez *De Matrim. lib.* 7 *disput.* 12 *et* 13 *num.* 16, quia decretum loquitur de raptu mulierum, et non comprehenditur sub lege casus insolitus. Neque dicatur libertatem eodem modo requiri in viris ac in mulieribus; hoc enim verum est, et proinde si vir metu adactus matrimonium iniverit, hoc est invalidum sed in casu praesenti sermo est de *metu praesumpto*. - Advertit insuper P. Thesaurus *loc. cit.* dictum decretum Concilii in hoc quoque correxisse legem civilem, quod cum ista *Auth. de rapt. mulier.* statuat matrimonium esse nullum, si rapta consentiat nubere raptori, hoc juxta Concilium procedat usque dum rapta fuerit sub potestate raptoris; nam semel ac in loco fuerit tuto constituta valet matrimonium inire cum eo. - Quando vero dicimus Decretum Concilii non applicari nisi raptus fuerit admissus ad matrimonium ineundum, nos loquimur de vi decreti importantis nullitatem matrimonii; nam quoad alias poenas applicatur decretum semper, et sic fuisse a S. Congregatione decisum refert Giraldi *exposit. Jur. Pont. part.* 2 *sect.* 123 nempe « Raptores quarumcumque mulierum, etiamsi eas non rapiant ad effectum contrahendi cum ipsis matrimonium sed ob alias causas esse ipso jure excommunicatos. » - Super hoc impedimento sicut et in metu

dispensatio ab Ecclesia non datur, ne videatur dispensatio attingere substantialia contractus nempe consensum, et ut integra libertas in matrimoniis servetur. Hinc, ut antea fuit animadversum, in dispensationibus matrimonialibus apponitur conditio: « dummodo mulier propter hoc (matrimonium) rapta non sit. » Quae clausula importat non modo quod in impedimento raptus non dispensetur, ut dictum est; verum etiam sensum habet, ut si aliqui obtineant dispensationem nulla facta mentione raptus in supplicatione, obtenta dispensatio a quocumque alio impedimento est subreptitia, et Episcopus debet denegare executionem, etiamsi rapta sit separata a raptore et libere consentiat eum in virum habere, ut decisit S. Congregatio *die* 10 *Novembris* 1583 *Dub. ad cap.* 6 *sess.* 24 *de reform. matrim.* - Cohaerenter ad ea quae diximus de metu ejusque purgatione post Concilium Tridentinum hic addimus matrimonium cum raptus impedimento initum, postquam mulier de viri potestate egressa est, non sanari per longam cohabitationem aliosque modos, sed esse necessarium illud inire iterata forma Concilii, etsi talis forma in primi matrimonii celebratione fuisset servata in iis tamen locis ubi decretum de abolendis matrimoniis clandestinis fuit promulgatum.

21.° Quartum impedimentum, de quo in hoc titulo agitur, est impedimentum *disparitatis cultus*. Est autem haec vel *proprie* talis, vel *improprie;* iterum *antecedens* matrimonio, vel *subsequens*. Lo-

quimur hic tantum *de antecedente*, cum de subsequente sermo erit instituendus in *titulo XIX de divortiis*. Cultus disparitas *antecedens proprie dicta* est, quando matrimonium inter duas personas initur, quarum una est baptizata, altera vero baptizata non est. *Impropria* autem habetur, cum matrimonium contrahitur inter duas personas baptizatas, quarum tamen una est catholica, altera pertinet ad aliam qualemcumque societatem heterodoxam. Primo sensu accepta cultus disparitas est impedimentum dirimens, sub altero vero est impedimentum impediens, et matrimonia contracta cum hoc impedimento impediente vocantur matrimonia *mixta* seu *mixtae communionis*. Hoc porro impedimentum dirimens non provenit christianis vel ex jure naturali, vel ex jure positivo divino, quemadmodum fuse demonstrant Auctores tum Theologi tum Canonistae, et declarat Benedictus XIV Epistola decretali: « *Singulari Nobis* » *diei* 9 *Februarii* 1749 jam citata; verba enim B. Pauli *Ep. 2 ad Corinth. cap.* 6 « *nolite jugum ducere cum infidelibus* » exposita fuerunt de impedimento impediente ab Apostolis inducto, quod in antiquitate legitur habuisse etiam aliquas exceptiones, cum ex singularibus virtutibus partis christianae nedum videretur remotum periculum perversionis, sed fundata spes affulgeret conversionis infidelis conjugis ad Christum. - Neque *proprie dicta lex ecclesiastica* talia matrimonia irrita fecit, sed hoc dirimens impedimentum in-

ductum est ex consuetudine generali vim legis habente jam ab initio saeculi duodecimi Ecclesiae, ut probat Bellarminus *De Sacramen. Matrim. lib.* 1 *cap.* 23; quo ex tempore mores populi adeo exhorruerunt conjugia cum paganis, mahomedanis et judaeis a christianis inita, ut ea dissocianda penitus judicarent. Quam legem hodie vigere, et obligare quoque haereticos, ac quoscumque baptizatos etsi a communione ecclesiae ejectos, similiter attingere quaecumque loca, licet nuperrime evangelii legem susceperint, docet Benedictus XIV in *cit. Epistola*. In hac lege generali non dispensat nisi Romanus Pontifex, et in Epistola referuntur nonnulla dispensationis exempla, imo et facultas Missionariis Japoniae aliarumque finitimarum Insularum concessa, ut novos illos christifideles ab hoc impedimento solverent. Dispensatio haec in locis infidelium raro et gravibus de causis concedi solet pro matrimoniis jam contractis vel contrahendis; in locis vero christianorum tantummodo pro matrimoniis jam contractis. In utrisque autem apponuntur sequentes conditiones, nempe: - (α) ut cohabitatio cum infideli nec ullum periculum perversionis, nec ullam creatoris contumeliam includat, scilicet quod fidelis ad peccatum ab infideli non pertrahatur; - (β) ut proles ex tali matrimonio suscepta in christiana religione educetur; - (γ) ut spes probabilis habeatur de infidelis conversione. Lato sensu accepta disparitas cultus, nempe inter haereticum baptizatum et catholicam vel vi-

ceversa constituit impedimentum *impediens* matrimonium, et hoc est unum ex *vetitis* Ecclesiae in jure notatis. Periculum subversionis causa praecipua fuit cur Ecclesia haec matrimonia interdiceret, et jam a tempore apostolico indictum fidelibus est, ut haereticum hominem devitarent; ex quo deinde damnata snnt talia conjugia in *can.* 14 Concilii Chalcedonensis, aliisque legibus sequioribus temporibus latis; atque hoc impedimentum impediens hodie in viridi observantia est penes universam Ecclesiam.

22.° Dispensationem hoc super impedimento ad matrimonium licite contrahendum non posse nisi a Romano Pontifice concedi, non autem a quovis Ordinario locorum explorati juris est, cum agatur de lege generali Ecclesiae. Romanorum Pontificum autem hac super re pro diversis temporibus diversa praxis fuit. Namque nullae olim concessae sunt dispensationes in contrahendis hujusmodi matrimoniis *nisi haeresi* per partem acatholicam *ejurata,* prout refert Cardinalis Petra in *Constit. XII Joannis XXII tom.* 4 *num.* 14. Imo Innocentius X cavit, ne dispensationes hujusmodi concederentur, nisi per authentica documenta prius demonstratum esset haereticam labem a contrahente heterodoxo ejuratam fuisse, ut refert Cardinalis Albitius *De Inconstantia in fide cap.* 18 *num.* 14. Et Clemens XI in Congregatione S. Officii coram se habita *die* 16 *Junii* 1610 mandavit inhiberi per litteras Archiepiscopo Mechliniensi,

ne ullas omnino licentias aut dispensationes impertiretur pro matrimoniis inter partem catholicam et haereticam celebrandis, nisi abjuratio haeresis *reipsa* praecessisset. At subsequentibus temporibus exigentibus circumstantiis ab hoc rigore temperatum est, et permissum ut dispensato impedimento matrimonium inter tales personas iniretur. Sed, prout advertit Benedictus XIV Constitutione *« Magnae nobis » diei* 29 *Junii* 1748 § 4 *et* 5 concessiones istae rarissimae fuerunt, et pleraeque earum pro matrimoniis inter supremos principes contrahendis, nec nisi gravissima urgente causa eaque ad publicum ordinem pertinente factae sunt: insuper adjecta semper est opportuna cautela, ne conjux catholicus ab haeretico perverti posset: imo potius ille tenebatur spondere sub juramento, se pro viribus curaturum, ut hunc ab haeresi retraheret; et invicem acatholicus pariter sub jurisjurandi fide promittere debebat, se permissurum, ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio procreanda in catholicae religionis sanctitate educaretur; et pars catholica id se facturam pariter sub eadem jurata fide spondere debebat. Hodie ad aliquorum civilium guberniorum aemulationem cessandam non insistitur in exigendo hoc juramento de procuranda conversione partis acatholicae, ut in *Instructione Cardinalis Antonelli diei* 15 *Novembris* 1858 *ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos data,* sed in exigenda promissione insistitur ut liberum sit parti catholicae

exercitium suae religionis et universa proles in sacris itidem catholicis educetur. Quin imo, cum nonnulla gubernia civilia hanc promissionem de educatione universae prolis in religione catholica juramento firmari a parte acatholica prohibuissent, ut Rex Borussiae edicto *dato die* 7 *Junii* 1855 pro suo exercitu vetuit, neque amplius ex indulgentia Ecclesiae hoc juramentum in illis regionibus exigitur, sed sufficit, si habeatur etiam quaecumque spontanea promissio. - Quia tamen haec Ecclesiae concessio non est nisi mera tolerantia hinc denegatae fuerunt *denuntiationes* seu *proclamationes* talium matrimoniorum a parochis catholicis faciendae, prout docuit Pius VI in *Epistola ad Cardinalem Archiepiscopum Mechliniensem diei* 13 *Julii* 1783; atque hodie in genere ita servatur excaepto quod in aliquibus regionibus puta Bavaria per *Instructionem Cardinalis Bernetti de die* 12 *Septembris* 1834 aliisque regionibus Germaniae et Hungariae per tolerantiam conceditur ut a parocho catholico tum consuetae proclamationes fiant, tum etiam de factis proclamationibus litterae merae testimoniales concedantur, in quibus (si nullum adsit dirimens impedimentum) unice enuncietur nihil aliud praeter vetitum Ecclesiae ob impedimentum mixtae religionis matrimonio conciliando obstare, nullo alio addito verbo, ex quo consensus aut approbationis vel levis suspicio sit oritura. Ex eadem ipsorum matrimoniorum mera tolerantia factum est, ut quando praecessisset dispensatio

pontificia de talibus matrimoniis conciliandis, et a contrahentibus praescriptae ab Ecclesia conditiones fuissent admissae, concederetur adsistentia parochi, sed mere passiva seu materialis, nempe ut adsistat, sed non in loco sacro, nec aliqua veste sacrum ritum praeseferente indutus, neque recitet super contrahentes preces aliquas ecclesiasticas, et nullo modo ipsis benedicat, ut ex cit. Epistola Pii VI. Atque ita hodie communiter servatur, nisi quod in Germania praxis fere communis videtur invaluisse, ut quotiescumque conditiones Ecclesiae, praesertim de prole catholice educanda suscipiuntur, benedictio quoque sponsis concedatur, et in iis pari modo procedatur ac in catholicorum matrimoniis exclusa semper Missae celebratione; quam praxim tolerante S. Sede inductam ex eo plerique arguunt, quod in citatis Litteris Cardinalis Antonelli modus adsistentiae remittatur arbitrio rationabili Episcoporum in gravioribus casibus, et prudentia ab hoc rigore in tali casu recedendum suaserit. Dispensationes istae super matrimoniis mixtis aut conceduntur ab Episcopis locorum ex facultate a Summo Pontifice concessa, vel a Suprema Congregatione S. Officii. Quando conceduntur ab Ordinariis locorum, advertendum est haberi decretum Congregationis de Propaganda Fide sub die 30 Aprilis 1865, quo ex jussu Summi Pontificis Pii IX nequeunt hac dispensandi facultate uti in Italos « de quibus non

constet italicum domicilium omnino deseruisse. » Quando autem dispensatio datur a Congregatione S. Officii, si personae etiamsi exterae maneant in Italia, semper praecipitur, ut matrimonium contrahant extra Italiae fines. Et faxit Deus quod haec laudabilis exceptio possit pro Italis et pro Italia manere.

23.° Matrimonia mixta ea communiter appellantur, quae a partibus ineuntur, quarum utraque est baptizata, sed ad diversas communiones christianas pertinet. At aliquando intervenit ut baptismus vel non fuerit collatus, aut invalide is praestitus fuerit, vel de ejus collatione aut valore dubitetur; unde hi casus possunt intervenire, nempe: - (α) quod neutra pars baptismum receperit, vel invalide utraque eum susceperit, aut: - (β) quod una valide sit baptizata, alia vel non susceperit baptismum, aut certe invalide, aut: - (γ) quod una sit baptizata, de alterius vero baptismi collatione aut de ejus validitate dubitetur, vel: - (δ) quod una non sit baptizata aut invalide, de alterius vero baptismi collatione aut validitate dubitetur, aut demum: - (ε) quod de utriusque baptismi collatione sive de ejus validitate dubitetur. Isti autem casus hodie sunt maxime frequentes, quia a pluribus sectis haereticorum maxime protestantium aut negligitur administratio baptismi, aut de ejus validitate potest rationabiliter dubitari propter vitium rationalismi, quo istae

sectae inficiuntur, seu propter innumeros errores, quos profitentur. Porro si primus casus adveniat, censendum est illud non esse matrimonium mixtae religionis, sed potius matrimonium in infidelitate contractum; unde si nihil obstet ex parte juris naturalis vel divini positivi, illud profecto subsistit, atque in hoc concors est Doctorum sententia, atque subveniunt juris ecclesiastici certa dictata, cum tales personae non dicantur proprie loquendo esse haeresi infectae, sed potius infideles; at inter infideles non attenduntur quoad matrimonium nisi impedimenta juris naturalis et positivi divini, non autem juris ecclesiastici. In secundo casu matrimonium non solum est illicitum, sed quoque invalidum si attentetur, quia non obstat mixta religio, at cultus disparitas *proprio sensu accepta*; est siquidem matrimonium copulatum inter personas, quarum una est baptizata, alia non est, et ad illud contrahendum valide necessaria esset dispensatio ab Ecclesia data ab impedimento cultus disparitatis. Si occurrat tertius casus vel sermo est de matrimonio contrahendo vel jam contracto; si agatur de matrimonio contrahendo, posito quod adsint graves causae ad dispensandum, et baptismus sub conditione nequeat dari ex contumacia alterius partis pertinaciter remanentis in haeresi nec volentis ad catholica sacra transire et baptismum recipere, necessarium est, ut *sub conditione* concedatur dispensatio ab impedimento dirimente cultus dispa-

ritatis, ne validitas matrimonii celebrandi in discrimen vocetur. Si vero matrimonium est contractum, tunc reiteratio haec baptismi intelligitur esse facta sine praejudicio matrimonii, prout notatum est in *tit.* 42 *lib. III num.* 4, et ex Responso Congregationis S. Officii *diei* 17 *Novembris* 1830. Et ratio evidens est; nam baptismus si est quoad validitatem dubius, iteratur sub conditione propter ejus necessitatem: at è contra matrimonium quando actum est, tenendum est pro ejus validitate, *usque dum non constet illud fuisse invalidum*, quod non verificatur quamdiu dubii sumus de ejus valore. Quartus casus, qui verificari nequit nisi de matrimonio jam celebrato resolvitur ex sequenti responso S. Officii dato *die* 20 *Julii* 1840: « Vir quidam protestans anglicanae » ecclesiae vult amplecti religionem catholicam. » In Anglia matrimonium fecerat cum muliere, » quae ad sectam anabaptisticam pertinebat, et » quae, prout ipse affirmat, numquam baptizata » fuit. Quum vero ipse baptismum a ministro » protestante anglicano receperit, de validitate ejus » proprii baptismatis ratio quoque dubitandi gra- » vis existit. Propter jurgia continua mulierem » anabaptistam vir praefatus deseruit, venitque N. » ubi matrimonium iterum fecit sed cum muliere » lutherana. Quaenam ex istis mulieribus tamquam » ejus uxor haberi debet? » S. Congregatio respondit: « Dummodo constet de non collatione » baptismi mulieris anabaptistae, primum matri-

» monium fuisse nullum; secundum vero, dum» modo nullum aliud impedimentum obstet, fuisse » validum. » Quintus demum casus item videtur esse resolutus ex Rescripto Congregationis S. Officii *diei* 5 *Februarii* 1851, quod editum est in casu quo unus contrahentium ad catholicam fidem conversus sub conditione rebaptizatus est, altera parte, de cujus pariter baptismi valore serio dubitabatur, remanente in haeresi. Rescriptum autem est sequentis tenoris: « generatim loquendo qui » in Hollandia convertuntur ad catholicam fidem, » habendos esse ex capite baptismatis tamquam » valide conjugatos, nisi forte certe et evidenter » constet in aliquo casu particulari haereticum de » quo agitur, fuisse revera nulliter baptizatum; » sed oratorem, quoties occurrunt casus particu» lares hujus generis, recurrere debere cum expo» sitione omnium omnino casus circumstantiarum » ad S. Sedem. Et detur decretum authenticum » feriae IV *diei* 17 *Novembris* 1830 a Pio VIII » approbatum. » - Quando autem dubium vere sit in baptismate suscepto vel in validitate ejus, id colligitur ex qualitate probationum ex utraque parte.

TITULUS II.

De Desponsatione Impuberum.

1.° Quae unice principalis proponitur hoc titulo quaestio est: quaenam sit aetas apta sponsalibus, aut matrimonio conciliando? Post eam vero veniunt dependentes aliae quaestiones. Porro quod respicit sponsalia, attendendum est ex jure ecclesiastico sponsalia non consistere, nisi fiant aut saltem rata habeantur a sponsis, contra quod jure romano statutum erat, ut filiae sponsum, et filio sponsam pater ex sua auctoritate unice eligeret. Jus equidem ecclesiasticum in hoc recognovit omnimodam libertatem filiorum familias, actumque proprium exegit in sponsalibus conciliandis saltem taciturnitatis illorum praesentium patre promittente, ut explicat Giraldi *Expositio juris pontif. part.* 1 *sect.*. 666. Ex quo sequitur

aetatem aptam sponsalibus a jure canonico eam designari, in qua usus rationis ita evolutus est, ut quis intelligat quid agat sponsalia ineundo, seu se obligando ad futuras nuptias. Haec autem aetas ordinarie loquendo est aetas septennii pro utroque sexu, ut clare habetur *cap.* 4, 5 *et* 13 *h. t.* ita tamen ut si ante hanc aetatem habeatur jam evolutus rationis usus, valeant sponsalia, prout post S. Thomam *in* 4 *dist.* 27 *quaest.* 2 *art.* 2 tenent Sanchez, Fagnanus, ac praecipui Doctores apud Schmalzgrueber *h. t. num.* 10.

2.° Licet vero sponsalia etiam ante pubertatem ex dictis contrahi valeant, plures tamen habentur differentiae inter sponsalia a puberibus vel ab impuberibus contracta. Imprimis enim sponsalia haec in impubertate inita nequeunt neque mutuo dissensu dissolvi antequam ad pubertatem sponsi devenerint; idque ostendunt Doctores ex auctoritate *cap.* 7 *h. t.*, ne propter lubricum judicium ipsi sponsalia facile et saepe temere contrahant, iterumque dissolvant. Imo si impubes cum pubere contraxit, pubes neque de consensu impuberis resilire potest, antequam hic pubertatem adeptus sit, quia ob aetatem impubes caret consensu sufficienti ad sponsalium dissolutionem, ut notat Sanchez *De matrim. D.* 51 *n.* 10. At postquam ad pubertatem devenit, potest a sponsalibus initis resilire etiam altera parte invita, quamvis nullam recessus causam alleget, ut pariter probant communiter auctores ex *cap.* 7 *h. t.*;

parcitur siquidem immaturo eorum judicio, ut non teneantur inviolabiliter observare, quod in non satis firma aetate fecerunt, nisi id postea ratum habuerint. Et cum haec resiliendi libertas unicuique impuberi competat, hinc ex interpretatione *d. cap.* 7 *h. t.* ille, qui prior pubertatem est assecutus, statim valet a sponsalibus resilire, etiamsi alter nondum pubes factus fuerit. Quod si sponsalia contracta fuerint a pubere et impubere, tunc hoc privilegium puberi non conceditur, si impubes pubertatem adeptus stare velit sponsalibus. Eruunt id Doctores ex *cit. cap.*, et sibi imputet pubes, si deterioris conditionis est altera comparte, quemadmodum juxta leges civiles accidit in majoribus contractum agentibus cum minoribus. Quamvis autem ita impune absque causa impubes adepta pubertate valeat altera parte invita resilire a sponsalibus, nihilominus contractum publicae honestatis impedimentum manet, ut ostendunt Auctores ex *cap.* 4 *in fin. h. t.* Consulto diximus impuberes pubertatem adeptos posse ab antiquis sponsalibus resilire, quia nisi id faciant, sola taciturnitate ea sponsalia firmantur cum praesumatur ille consensus perseverare, qui ab initio in sponsalium editione datus est. Ita tenet Pirhing *n.* 7 *h. t.* cum communi. Quando vero teneantur isti resilire, ne eorum taciturnitas pro ratihabitione sumatur, disputant Doctores apud Schmalzgrueber *h. t. num.* 31. 32. etsi omnes admittant eos teneri

statim resilire, quod verbum diversimode interpretantur.

3.° Concessae facultati resiliendi a sponsalibus datae impuberibus qui ad pubertatem pervenerunt, duae fiunt exceptiones, quarum *prima* notatur in *cap.* 8 *h. t.*, cum nempe ante pubertatem legalem impuberes se carnaliter cognoverunt; tunc siquidem jure antiquo habebatur matrimonium praesumptum, de quo jam egimus *t.* 1. Sed hodie haec exceptio amplius non est, ubi fuit publicatum Decretum *cap.* 1 *sess.* 24 *de reform. matrim.* Concilii Tridentini. Alteram exceptionem innuunt Doctores ex *cap.* 10 *de sponsal. et matrim.* nempe quando sponsalia sunt *jurata.* Disputantibus autem ipsis circa vim et extensionem hujus juramenti hoc mihi probabilius videtur nempe (a) non obstante hoc juramento sponsalia impuberum, quando ad pubertatem sponsi pervenerunt, posse mutuo consensu dissolvi, quin necesse sit ab iis praevie peti juramenti dispensationem, cum id licere ex eadem ratione explanatum sit *tit.* 1 circa sponsalia a puberibus contracta, et juramentum sequatur naturam obligationis, cui additur. (b) Cum hoc juramentum videatur ad hoc esse directum, ut impuberibus eam facultatem tollat, qua facti puberes absque causa et altera parte irrequisita valeant resilire a sponsalibus in impubertate initis; hinc puto probabilius esse, quod haec sponsalia ad eam firmitatem per additum juramentum redu-

cantur, qua gaudent sponsalia puberum, quae tamen non obstante juramento per justam causam aut ex communi partium dissensu possunt dissolvi. Et ad illud privilegium servandum non esse necessariam relaxationem juramenti a legitima auctoritate ecclesiastica obtentam. Quod autem per additum juramentum sponsalia impuberum aequiparentur sponsalibus puberum maxime rationabile videtur, tum propter respectum juramenti, tum ex eo quod majori consideratione edatur ille actus, qui deinde juramento firmatur. (c) Hinc non puto esse recurrendum ad illam distinctionem propositam a Reiffenstuel *h. t. num.* 16, Schmalzgrueber *h. t. num.* 43, aliisque, scilicet inter impuberes pubertati proximos, et ceteros pubertati non proximos.

4.° Ad matrimonium praeter expeditum usum rationis, ex quo valeant partes consentire, requiritur quoque potentia generandi, seu habilitas ad copulam carnalem perfectam, quae communi verbo vocatur pubertas. Hanc vero pubertatem jus civile Romanorum determinavit ex annis, ita ut viri haberentur puberes decimo quarto aetatis anno completo, foeminae vero aetatis anno decimo secundo pariter completo, cum ea aetate viri soleant acquirere potentiam generandi, et mulieres esse viri potentes; atque hinc ante illam aetatem interdictum est matrimonium, ex *leg.* 14 *digest. de sponsal.* Hanc regulam secuti sunt quoque canones ex *cap.* 2 *h. t.*, quo districtius inhibetur, ne aliqui

quorum uterque aut alter ad aetatem legibus vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur. Hoc est quod dicitur impedimentum aetatis. Non ita tamen absolute jus canonicum adoptavit regulam a jure civili propositam, ut exceptionem non admitteret. Namque attendens ad factum notatum in *cap.* 3 *h. t.* nempe eum esse puberem, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et esse puerperas, quae in annis puerilibus pariunt; deinde in *cap.* 9 *h. t.* regulae propositae de aetate pubertatis citra quam vetantur conjugia, dedit limitationem scilicet, *nisi malitia suppleat aetatem;* hoc est, nisi ante aetatem statutam a lege personae intelligant quid agant, cum matrimonium contrahunt, et simul ad copulam habendam potentes sint. Quae si verificantur, ad contrahendum matrimonium ante annos pubertatis non est necessaria venia superioris, cum haec limitatio regulae a jure expresse ponatur; judex proinde intervenire tantum debet, quando dubium est, an verificetur exceptio nec ne, at non cum de exceptione constat, ut in hypothesi.

5.° De impedimento autem aetatis olim quaerebatur, esset ne juris naturalis, aut positivi humani? Profecto, cum ille impedimento aetatis non laboret, qui ita adolevit, ut habeat expeditum rationis usum intelligens vim contractus matrimonialis, et simul sit *actu* ad copulam perfectam maritalem habilis, si hoc impedimentum esset juris naturae, arguendum esset, tum potestatem edendi

consensum sufficientem ad matrimonium, tum potentiam actualem ad habendam copulam maritalem esse ex jure naturae; atqui licet primum sit de jure naturae necessarium (non enim est contractus sine consensu, nec consensus sine expedito usu rationis), nequit quoad alterum sustineri; proinde solo jure positivo humano ad valorem matrimonii pubertas requiritur. Id post S. Thomam in 4 *distinct.* 36 *quaest. unic. art.* 5 tenent communiter Doctores paucis exceptis. Conformiter ad hoc rem omnem explanat Benedictus XIV in citata Epistola « *Magnae Nobis* » *data die* 29 *Junii* 1748, in qua postquam exposuerit cumulativum jus esse inter Apostolicam Sedem et Judices Ordinarios locorum cognoscendi et pronuntiandi, an in facto malitia suppleat aetatem et dandi declaratorias litteras, subsumit: « *privativum* Apostolicae Sedis jus esse » concedendi dispensationem ad contrahendum ma- » trimonium impuberi, qui per aetatem nondum » conjugali copulae maturus est, sed tamen ra- » tionis usu ita pollet, ut matrimonii contrahendi » vim et naturam intelligat. Etenim ad validitatem » matrimonii, quemadmodum rationis usus requi- » ritur de jure naturali et divino, ita actualis ad » conjugalem copulam potentia de jure positivo » canonico. Romanus autem Pontifex est supra » jus canonicum. » Qua decisione vetus illa quaestio terminata est, quamvis fatendum sit dispensationes super tali impedimento rarissime concedi, et nonnisi urgentissima interveniente necessitate,

prout habet Nicolaus I *cap. 2 h. t.*, et de hac difficultate concessionis explicantur verba Gregorii XIII negantis posse Sedem Apostolicam in hoc dispensare. His vero sic dispensatis, antequam sint ad copulam potentes, non permittitur cohabitatio propter periculum incontinentiae. - Ex impedimento aetatis sic determinato sequitur matrimonium contractum ab eo, qui annos pubertatis excessit, esse validum, etsi nondum cum foemina carnaliter commisceri valeat, cum jus ecclesiasticum aetatem constituerit, quam is jam adeptus est, et actualis potentia ad validitatem matrimonii jure naturali non requiratur.

6.° Ex *cap. ult. h. t.* et ex *cap. unic. h. t. in VI* receptum erat, ut si inter impuberes fuisset initum matrimonium de praesenti, si hoc non valebat ratione conjugii, obstante impedimento aetatis, valeret tamen ut sponsalia de futuro, invocato principio: « actus valet, ut potest valere non sicut agitur. » Id etiam valere post Tridentinum Concilium eo casu quo impuberes matrimonium clandestine contrahunt tenent Perez, Sanchez et Garcia apud Gonzalez in *Commentar. ad cap. ult. h. t. num.* 5, quia Tridentinum dumtaxat veris matrimoniis clandestine celebratis formam praescripsit ac restitit, non iis, quae pro sponsalibus habentur, et declarasse S. Congregationem Concilii *in una Viterbiensi mensis Julii* 1587 refert Panimollus *decis.* 123, *adnot. II, num.* 12 nempe: « id pendere ex dispositione juris communis, quod

quantum ad hunc casum nihil prorsus correxit aut immutavit Concilium Tridentinum. » At illius principii applicatio habet locum tantum in hoc casu, non vero in aliis matrimoniis a puberibus clandestine contractis, quae ut docet Gonzalez *loc. cit.* cum communi Doctorum nec pro sponsalibus de futuro habentur, sed prorsus inutilia sunt. Verum sponsalia haec non transeunt post Tridentinum in matrimonium de praesenti, si accedat copula, at adveniente pubertate debet habere locum consensus de praesenti observatâ formâ praescriptâ a Tridentino. Imo declaravit S. Congregatio *die* 10 *Martii* 1583 apud Panimollum *loc. cit. num.* 13 si vellent contrahere matrimonium eos debere servare formam Tridentini, etiamsi hanc prima vice servassent.

TITULUS III.

De clandestina desponsatione.

1.° Antiquissimus modus ab Ecclesia praescriptus celebrandi matrimonia fidelium fuit cum benedictione Sacerdotis in conspectu communitatis; unde veteres canones clamant omnes homines laicos tam nobiles quam ignobiles debere facere nuptias publicas, ut habet Concilium Varnense sub Stephano III *can.* 15, et in *cap.* 2 *h. t. in* 2 *collect.* legitur: « Nullus fidelis cujuscumque conditionis occulte faciat nuptias, sed benedictione accepta nubat in Domino: si ergo Sacerdos tales nuptias benedixisse occulte inventus fuerit, triennio suo officio suspendatur. » Quae prohibitio fuit confirmata in *cap.* 3 *h. t.* Rationes istius providae constitutionis evidentissimae sunt; nam consulitur ex una parte bonis moribus communitatis, quae

dignoscit quaenam maritales conjunctiones legitimae sunt: nec in unaquaque timet latere concubinatum; ex altera prospicitur bono conjugum, quorum tuendis juribus requisitus judex ecclesiasticus efficaciter potest intervenire, cum è converso, ut habetur *cap.* 2 *h. t.* « si matrimonia » ita occulte contrahuntur, quod exinde legitimi » testes non appareant, ii qui ea contrahunt, ab » Ecclesia non sunt aliquatenus compellendi. » Hanc vero matrimonii celebrationem ex antiquissimo pariter more praecedebat presbyterorum investigatio, utrum aliquod impedimentum obsisteret: quae cautela ad evitanda illegitima conjugia aucta fuit in Concilio Lateranensi IV, in quo specialem quorumdam locorum (praesertim Galliae et in primis Dioecesis Parisiensis auctore Archiepiscopo Odone de Soliaco) consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statutum est, ut cum matrimonia fuissent contrahenda in Ecclesiis per presbyteros publice proponerentur competenti termino praefinito, ut intra illum qui vellet et valeret legitimum impedimentum opponeret, et interim presbyteri ab investigatione non cessarent.

2.° Gravissimae poenae fuerunt propositae contra violatores istarum praescriptionum, prout ex citatis canonibus compertum est. At ista manserunt sub categoria impedimentorum impedientium, quibus scilicet non observatis matrimonia inita erant illicita, sed tamen valida. Hinc validum habitum est matrimonium praesumptum ex

cap. 30 *de sponsal.*, sicut validum habitum est matrimonium ita occulte contractum, ut nullae ejus essent probationes, quando personae contrahentium illud voluissent publicare, nisi aliud impedimentum obstitisset, ut ex *cap.* 2 *h. t.* Imo Concilium Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 1 *de reform. matrim.* postquam asseruit sanctam Dei Ecclesiam ex justissimis causis detestatam semper esse matrimonia clandestina atque ea prohibuisse, deinde docet dubitandum non esse haec clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia Dei ea irrita non fecit, et eos anathemate damnavit qui ea vera et rata esse negarent. Animadvertens autem S. Synodus prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, et gravia peccata perpendens, quae ex clandestinis conjugiis ortum habebant, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanebant, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contraherent et cum ea in perpetuo adulterio viverent, cui malo ab Ecclesia, quae de occultis non judicat, succurri non poterat, statuit aliquod efficacius remedium adhibere, quod eo decreto praestitit. Innovata proinde dispositione *cap.* 3 *h. t.* de faciendis denuntiationibus deinde formam substantialem matrimonio proposuit. Et quoniam quae spectant ad clandestinitatis impedimentum omnia in Ecclesia juxta hoc decretum

ordinantur, hinc putamus cuncta exponere per partes illud explanando.

3.° In enunciato decreto Concilium Tridentinum instat pro praemittendis matrimonio denunciationibus. Et istae quidem faciendae sunt *tribus vicibus* diebus festivis inter Missarum solemnia a proprio sponsorum parocho, et si sponsi sint diversarum parochiarum ab utroque parocho: imo non solum a parocho domicilii sed etiam originis, nisi in loco domicilii mora contrahentium fuerit continua per plures annos. Quae omnia expressis decisionibus S. Congregationis firmantur relatis a Giraldi *oper. cit. part.* 2 *sect.* 114. Dispensatio autem a lege denuntiationum a Concilio Tridentino relinquitur prudenti arbitrio Ordinarii, qui ex causa sibi bene visa poterit eas remittere, etsi fuerit alia causa, quam ea quae a Concilio expressa fuit, dummodo aeque gravis vel gravior, prout tenuit S. Congregatio *in Novarien.*, et refertur *in lib.* 2 *Decretor. pag.* 73. Qui pariter Ordinarius valet in totum remittere, vel quoad singulas vices, vel constituere ut fiant ante vel post celebratum matrimonium ante consumationem, prout etiam sinere ut fiant diebus festivis in vesperis, aut etiam diebus ferialibus. Nomine autem Ordinarii non solum venit Episcopus, sed et Praelatus vere *Nullius*, quin imo et Vicarius generalis, nisi expresse id fuerit ei interdictum. Quando autem sponsi sunt diversa-

rum dioecesum non sufficit unius Ordinarii dispensatio, sed necesse est, ut et alius remittat, nisi testetur de statu libero sui dioecesani. Quae pariter omnia disertis decisionibus S. Congregationis firmantur relatis a Giraldi *op. et sect. cit.* Ratio, propter quam inducta est lex denuntiationum ea est, ut dignoscatur an adsint impedimenta, quae futuro matrimonio obstent; hinc intelligitur quemque de populo scientem aliquod impedimentum teneri illud revelare *sub gravi*, dummodo id fieri possit absque magno incommodo suo et damno; quod a Doctoribus multiplici ratione ostenditur. Hinc illa verba *cap.* 3 *h. t.* « *qui voluerit et valuerit* » a glossa in eo capite exponuntur hoc modo, quod quisque de populo admittatur ad revelandum impedimentum, ad quod faciendum tenetur, nisi graviter ex hoc laedatur, tunc enim potest jure reputari quod non valeat id praestare. Poenas, quibus puniri possunt tam Parochus adsistens, quam contrahentes matrimonium non praemissis denuntiationibus, ac etiam testes dolose illi praesentiam impendentes refert Benedictus XIV *De Synod. dioeces. lib.* 12 *cap.* 6 *num.* 2, ubi notat quod poena contra parochum est quidem ferendae sententiae, sed cum ab Episcopo lata est, eam non valet per successivam absolutionem aut in totum dimittere aut pro parte quia tempus a jure est determinatum, licet pro applicatione ministerium Ordinarii exigat. At si non fuerit observata lex denuntiationum matrimo-

nium deinde contractum quamvis illicite initum, tamen est valide celebratum, nisi aliud obstet impedimentum, et proles ex hoc enata habenda est ut legitima. At filii nati ex matrimonio non praemissis denuntiationibus celebrato, quod ex latente impedimento etiam a partibus ignorato fuerit invalidum, sunt illegitimi de parentum ignorantia nullum habituri subsidium, cum illi taliter contrahendo, non tam expertes scientiae, vel saltem affectatores ignorantiae videantur, prout dicitur *cap.* 3 *h. t.*

4.° Ulterius progressum est in citato Decreto Concilium Tridentinum, siquidem ex expositis rationibus formam dedit substantialem conjugio christianorum sub verbis: « Qui aliter, quam prae» sente parocho, vel alio sacerdote de ipsius pa» rochi aut Ordinarii licentia, et duobus vel tribus » testibus matrimonium contrahere attentaverint, » eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino » inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos » et nullos esse decernit, prout eos praesenti de» creto irritos facit et annullat. » Post quod decretum non quisque consensus personarum vel verbis vel actibus manifestatus, sed tantum consensus legitimarum personarum editus coram illis designatis personis constituit matrimonium, et aliter datus consensus est *informis* proinde invalidus, quia forma est substantialis: et non solum non habetur sacramentum; sed nec contractus, qui irritus et nullus est prout eo decreto Conci-

lium illum facit irritum et annullat. In vim proinde decreti illius matrimonium antiquum dictum *praesumptum*, de quo agitur *cap.* 30 *de sponsal.* sublatum est, et matrimonium clandestinum pariter desiit esse ratum et validum, quia Sancta Dei Ecclesia illud irritum fecit hoc decreto. Ut autem hoc impedimentum dirimens clandestinitatis ex forma respiceret quoque legitimitatem personarum juxta quem respectum tantum possunt procedere impedimenta, ideo Sancta Synodus illa locutione usa est, quod inhabiles omnino redderet personas ad aliter contrahendum matrimonium, quam sub forma praescripta. Quo ex decreto Concilii nullo modo infertur parochum esse sacramenti matrimonii ministrum; quin imo sententia contraria hodie velut certa teneri potest, praesertim ex eo quod nequeat dubitari matrimonium non posse inter baptizatos in facto subsistere ratione contractus, nisi quoque subsistat in ratione sacramenti. - Aliqua nunc dicenda sunt de Persona Parochi, deque ejus adsistentia sicut de delegato ab ipso vel ab Ordinario. Parochus debet esse proprius contrahentium aut alterutrius istorum, exceptis vagis, quorum parochus proprius quoad adsistentiam matrimonii est ille, in cujus parochia actu commorantur et quoad eos servandum est quod statuitur ab eodem Concilio Tridentino *sess.* 24 *cap.* 7 *de reform. matrim.* Sufficit autem ut unus ex contrahentibus sit vagus ad hoc ut parochus loci in quo actu commorantur, possit matrimonio ad-

sistere valide. Nec videtur praeferenda Sanchez sententia, qui putat quemque parochum posse vagorum matrimonio adesse etsi in ejus parochia actu non commorentur. Proprius vero parochus dicitur ille, in cujus parochia quis habet domicilium, non vero parochus originis, prout pluries decisit S. Concilii Congregatio, praesertim in *Mutinensi Matrimonii diei* 18 *Novembr*. 1701. Quis sit parochus domicilii statim intelligitur, cum domicilium quis ibi habere dicatur, ubi habitat cum voluntate eo loco perpetuo manendi. Et cum jure canonico quis possit plusquam unum domicilium verum habere habitationis, hinc coram utrolibet parocho matrimonium indistincte contrahere valet, ceu communiter censent Doctores cum Sanchez *De matrim. lib.* 3 *dist.* 24 *num.* 2 ex *cap.* 2 *de sepult. in VI*, etiamsi convenientius sit matrimonium fieri coram eo parocho in cujus parochia quis degit tempore celebrationis matrimonii. At quaestio apud Doctores est circa parochum quasi domicilii, cum praesertim quoad matrimonium ipsi non conveniant in conceptu quasi-domicilii. Major Auctorum numerus quasi-domicilii sequentem dat definitionem: « habitatio in aliquo loco cum intentione ibi manendi per majorem anni partem, aut saltem per semestre. » Hanc retinent inter caeteros Gonzalez in *cap.* 3 *h. t.* Reiffenstuel *h. t. num.* 60, Schmalzgrueber *num.* 150, Pirhing *n.* 19, Piehler *num.* 18, Ergel *num.* 12, Sanchez *de matrim. lib.* 3 *disput.* 23 *num.* 12,

Lessius *de justit. et jure lib.* 2 *cap.* 40 *dub.* 18 *num.* 121, Benedictus XIV *Resol. S. C. Conc. in Jadren.* 24 *Aug.* 1720 aliique plures. Et hanc intentionem dicunt isti Auctores revelari posse etiam per indolem negotiorum quae geruntur, ut puta ex ratione studiorum, officii publici vel famulatus, aut etiam ex necessitate, puta ex relegatione aut condemnatione, proinde hoc manendi propositum per majorem anni partem vel est voluntarium vel necessarium. È contra Fagnanus cum aliquibus tenet eum contrahere quasi-domicilium ex habitatione in aliquo loco dummodo sit ex causa, quae brevi non expediatur, seu ut statim non sit ad proprium domicilium ipse reversurus, licet haec causa non attingat majorem anni partem vel etiam semestre in cap. *significavit de paroch. et alien. parochian.* Tandem nonnulli Doctores putant post Constitutionem Benedicti XIV « *Paucis ab hinc* » *diei* 19 *Martii* 1758 moram seu habitationem unius mensis in aliquo loco sufficere ad inducendum quasi-domicilium, quin debeat haberi ratio intentionis manendi vel pro majori anni parte, vel ex causa non brevi duratura. Hanc ultimam excludi opinionem, qua attenditur ad materialem moram mensis, quin habehatur ratio intentionis manendi in loco aut per majorem anni partem aut saltem ex causa, quae brevi tempore non deficiat, nec ullo pacto esse recipiendam satis superque deducitur - 1° ex hoc quod Benedictus XIV in ea Epistola non pu-

tavit aliquid esse innovandum et S. Congregatio Concilii in decisionibus relatis a Giraldi *op. cit. part.* 2 *sect.* 115 constanter tenuit, non posse valide celebrari matrimonium coram Parocho loci ubi quis causa rusticationis, aut valetudinis recuperandae, aut rei familiaris negotia tractandi degit, quia ut habet Rota Romana apud Sanchez *op. et lib. cit. disp.* 25 *num.* 12: « *probatum est contrahentes non solere esse ruri majore anni parte neque etiam pro dimidia, sed tantum per tres vel quatuor menses* » - 2° ex hoc quod in Instructione missa ad Episcopos Angliae et Americae septemptrionalis ex decreto S. Officii *die* 24 *Martii* 1867 declaratum aperte est: « In Constitutione Benedicti XIV « *Paucis ab hinc* » nullo pacto ejusmodi tempus (acquirendi quasi domicilii) coarctatum fuisse ad unum mensem. » Inter duas autem alias sententias mihi videtur praeferenda esse prima ex hoc - (a) quia in citata Instructione S. Officii aperte declaratur tempus legitimum ad quasi domicilium acquirendum esse majorem sive dimidiam anni partem, deinde - (b) quia sententia Fagnani, quatenus primae opponitur, non habet solidum fundamentum, cum ut advertunt Doctores eam defendentes non est necessarium tempus semestris debere praeterlabi, antequam matrimonium celebretur, sed potest post aliquam moram etiam brevem matrimonium iniri coram parocho loci, in quo quis moratur cum intentione ibi manendi per majorem aut saltem dimidiam anni partem;

et tunc nihil probant illa S. Congregationis responsa ad defendendam opinionem Fagnani in oppositione ad aliam.

5.° At haec cum ita sint, quomodo explicatur responsio data in cit. Epistola « *Paucis ab hinc* » a Benedicto XIV, quae videtur nostrae theoriae opposita? Propositae enim quaestioni « quid nam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum? » Pontifex respondet: « In hac re nullo alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis, ille qui contrahit habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur » deinde subsumit se nihil addere de necessitate subsequentis habitationis quam magni momenti adminiculum faciunt Doctores et de qua nihil a decisionibus Congregationis Concilii dictum est, quia non vult hac de re quid quam novi decernere. Libenter sequor in hoc nonnullorum nuperorum Doctorum sententiam, qui tenent Benedictum XIV assignasse in ea Epistola spatium *unius elapsi* mensis non ad definiendum et coarctandum legitimum quasi domicilii tempus, sed ad suppeditandum Parocho et judici *juridicae praesumptionis argumentum in aliquo casu;* et Parocho quidem ut tuta conscientia intersit matrimonio contrahendo; judici vero, ut de celebrati matrimonii validitate sententiam ferat. Dixi *in aliquo casu.* Nam posita definitione quasi domicilii quod sit « habitatio in loco cum intentione ibi manendi per majorem aut saltem per dimidiam anni partem »

possunt evenire sequentes casus, nempe: - 1° quod constet de intentione manendi per illud tempus a jure statutum, ut in juvenibus pergentibus ad universitates causa cursus studiorum, in publicis officialibus ad provincias regendas destinatis, in famulis, et in damnatis ad carceres etc. - 2° quod constet de voluntate contraria, nempe manendi in eo loco per breve tantum tempus, aut quod non adaequet majorem anni partem, aut semestre. - 3° quod occulta maneat contrahentis voluntas permanendi in loco matrimonii toto tempore necessario ad acquirendum quasi-domicilium. Profecto si primus casus interveniat certum apud omnes est, quasi-domicilium contrahi etiam a primo die habitationis, et cum Natali Alexandro *Theologia Dogmat. et Moral. lib. 2 de Matrim. cap. 2 art. 2 regul.* 6 advertit in laudata Epistola Benedictus XIV posse contrahi matrimonium, si tanto tempore eo in loco ubi copulantur, contrahentes fuerint commorati, ut ibidem jam cogniti sint atque perspecti. Si secundus casus autem interveniat, matrimonium ibi celebratum numquam habetur ut validum, nisi *sex habitationis menses* fuerint praeterlapsi; tunc enim, cum tempus habitationis in quasi-domicilio sit definitum, nempe major anni pars aut semestre, quando hoc expletum est, quasi-domicilium est jam contractum (secus ac est in domicilio, in quo tempus est *indefinitum*, hoc est *perpetuum*, saltem in animo seu in proposito habitantis). In tertio casu aptatur *regula mensis*

proposita a Benedicto XIV, nam si mensis habitationis fuerit elapsus, tunc praesumi jure potest, quod quis habeat intentionem manendi per tempus a jure statutum; proinde poterit permitti matrimonium celebrandum a Párocho, et judex de matrimonio jam celebrato poterit decidere, quod sit validum. Quae praesumptio juris non est, si mensis habitationis non fuerit completus. At haec praesumptio juris cedit veritati; proinde si fuerit deinceps recognitum, quod animus producendae commorationis non extendatur ad majorem anni partem, vel saltem ad semestre, matrimonium contractum censendum est invalidum. - Animadvertendum est legem domicilii respectu validitatis matrimonii non vigere ubicumque non viget lex Tridentina de clandestinitate, sive illi, qui in eum locum se conferunt, veniant e loco a Decreto Tridentino pariter immuni, sive etiam è loco eidem subjecto sed *absque fraude*, hoc est non intuitu matrimonii simpliciter conciliandi. De his enim, qui intuitu matrimonii patria sua Tridentina lege affecta in locum ab ea immunem transeunt aut accedunt, exceptio facta est per celebre Urbani VIII decretum, quod incipit « *Exponi nobis* » *datum die* 14 *Augusti* 1627 relatum a Benedicto XIV post Epistolam « *Paucis abhinc* »; quo decreto illi adiguntur ad quasi domicilium in loco, per quem transeunt, vel ad quem accedunt acquirendum, ut valide contrahere matrimonium possint: quae tamen lex non respicit vagos, qui in matrimonio

conciliando tenentur quoad validitatem servare leges loci in quo matrimonium ineunt. - De aliis casibus, qui respiciunt Parochum quasi domicilii quoad matrimonii celebrationem, videndus est Benedictus XIV in *Institutione Ecclesiastica* 33 et Giraldi *op. et part. cit. sect.* 115. Notandum est hac etiam in re haberi hodie oppositionem inter praeceptum legis canonicae et civilis, dum enim ut diximus lex canonica in quasi domicilio duo elementa agnoscit, nempe habitationem et animum eam perducendi ad sex menses, leges civiles pro hoc quasi domicilio ad matrimonium non admittunt nisi habitationem ad aliquod tempus jam protractam, quod juxta diversas nationes est majus vel minus, dum enim ex. gr. pro Gallia tempus hoc est *sex mensium* habitationis realiter exactorum, pro Anglia sunt *tres hebdomadae* habitationis jam expletae; sed Ecclesia usque adhuc non respexit ad diversas has civiles leges, sed in canonico conceptu quasi-domicilii institit. - Valet autem matrimonium coram Parocho proprio etsi non sit Sacerdos sed sola prima tonsura initiatus, licet non fuerit intra annum ad Sacerdotium promotus. Item coram Parocho, cujus provisio nulla praetenditur defectu Examinatorum Synodalium, sicut coram Parocho notorie fornicario et suspenso vel prohibito, non vero coram Parocho publice haeretico. Pariter valet actum coram Episcopo vel coram Vicario Generali. Sicut pariter coram deputato Sacerdote ab Episcopo, vel Vicario Generali vel a Parocho.

Item contractum coram Parocho de mandato Episcopi vel Vicarii Generalis, licet isti putarent eum esse Parochum proprium contrahentium, qui revera talis non erat. Pariter coram coadjutore Parochi deputato in genere ad sacramenta administranda. Demum sufficit pro adsistentia valida Sacerdotis licentia *tacita* Parochi praesentis, pariter licentia metu extorta, ignorata vero licentia seu deputatio non valet; quae omnia probantur a Giraldi *loc. cit.* appositis decisionibus S. Congregationis Concilii. Quoad adsistentiam autem Parochi et testium retinendum est, eos debere esse physice praesentes, et intelligere quid agatur, nisi affectent non intelligere: non autem requiri, ut Parochus antea certioratus sit, vel expresse vocatus, aut interponat suam auctoritatem actu vel dicto; est enim Parochus testis qualificatus, licet deceat eum benedicere conjugium et alia praestare, quae a Rituali exhibentur, quemadmodum non requiritur ut testes sint rogati nec obest si sint coacti, ut etiam Parochus, prout decisum legitur in *lib.* 3 *decretorum S. Congregationis pag.* 59. In reliquis consulantur Resolutiones S. Congr. Concilii apud Richter *Canones et Decreta Conc. Trid. sess.* 24.

6.° Quamvis autem Ecclesia statuerit in Concilio Tridentino substantialem formam matrimonii, non recessit autem ab alia antiquissima lege, ut talia matrimonia celebrarentur publice, seu ut dicitur in facie Ecclesiae; ex quo tamen non sequitur omnino disparuisse illa, quae matrimonia *occulta*

aut *conscientiae* dicebantur. Hodie matrimonia occulta vel conscientiae ea appellantur, quae inita juxta formam Tridentini nempe coram Parocho et duobus vel tribus confidentibus testibus, non tamen subjiciuntur praeviis denuntiationibus, neque in communi libro notantur, in quo Parochi solent ex Tridentini praescripto alia matrimonia describere cum nominibus conjugum et testium, sed in secretiori libro recensentur in Curia Episcopali servando, et super quibus matrimoniis altum imponitur silentium, ita ut communitati non sint revelata: de quibus habemus constitutionem Benedicti XIV « *Satis vobis* » de *die* 17 *Novembris* 1741. In ea Pontifex principio docet talia occulta matrimonia non esse indiscriminatim permittenda propter gravia mala, quae ex hac clandestinitate solent advenire, quae describit. At quoniam aliquando urgentes existere valent causae, ex quibus locorum Antistites cogantur ad ea permittenda hinc eos adhortatur, ut eas causas expendant, antequam sinant matrimonia occulta fieri. De modo deinde loquitur peragendi matrimonii et secreti servandi; quam tamen obligationem eo usque esse retinendam docet, quousque conjuges assumptis muneribus satisfaciant. Istae obligationes pro diversis tamen casibus respiciunt bonum spirituale prolis quoad baptismum ejusque catholicam educationem, nec non sollicitam curam de tutanda ejus legitimitate; aut respiciunt cujuscumque scandali remotionem quoad communitatem,

siquidem eam latere debeat talis matrimonii contractus. - De permittendo hoc secreto conjugio, quando nequit iniri matrimonium civile coram officiali status pertractat jam adducta Instructio S. Poenitentiariae, quemadmodum Doctores loquuntur de modo in iis matrimoniis servando ad removendum pariter quodcumque populi scandalum.

7.° Haec autem omnia quae diximus dependent a promulgatione decreti hujus, quam Concilium Tridentinum voluit esse prorsus singularem. In fine siquidem illius capitis, postquam praecepit omnibus locorum Ordinariis, ut curarent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis in primo anno quam saepissime, et deinde quoties expedire viderint, concludit: « Decernit insuper, ut hujus» modi decretum in unaquaque parochia suum » robur post triginta dies habere incipiat a die » primae publicationis in eadem parochia factae » numerandos. » Ergo ad obligandum requiritur, ut publicatio fiat in unaquaque parochia, et effectus in ea habeat post spatium triginta dierum numerandorum a prima publicatione ibi facta. Quae publicatio facta esse debet praecise vel tamquam decreti Concilii Tridentini, aut saltem ut Concilii generalis, vel nomine et auctoritate Romani Pontificis, ut fuse explicat Benedictus XIV *De Synod. dioeces. lib.* 12 *cap.* 5 *num.* 6 *et seqq.* Ad quam promulgationem comprobandam sufficere diuturnam observantiam ejusdem Conciliaris

decreti, cujus publicatio inducitur ex diuturnitate temporis, quo matrimonia in paroeciis coram Parocho ac duobus testibus celebrata fuerunt, a Congregatione Concilii fuisse decisum refert Benedictus XIV in cit. Epistola decretali « *Paucis ab hinc* » *penult. paragr.* At quoniam in aliquibus locis in paroecias non est divisa dioecesis, imo nec dioeceses vere constitutae sunt, sed habentur Vicariatus Apostolici, quid censendum erit de illa in singulis paroeciis promulgatione? Profecto putarem nomen paroeciae in casu sumptum esse in sensu lato, ut quosvis districtus comprehendat, aut ecclesias, quibus presbyter constitutus est pastor populi et Missionarius curam ejus habet; etsi vix est quod casus verificetur, quo in illis regionibus Concilii decretum fuerit promulgatum. Post eam promulgationem autem et elapso tempore praescripto baptizatorum matrimonia erunt invalida, si forma Tridentini non fuerit observata. Neque suffragatur ignorantia, licet enim haec a peccato excuset, non potest tamen ea supplere defectui solemnitatis et formae substantialis ad actum requisitae. Una tantum excusat causa, nempe cum talis solemnitatis observatio est vel physice vel moraliter impossibis observatu. Hujus impossibilitatis exempla refert Benedictus XIV *De Synod. dioeces. lib.* 12 *cap.* 5 *num.* 5, Litterae Pii VI *diei* 22 *Aprilis* 1795, et declaratio S. Officii apud Vecchiotti *Institutiones Canonicae tom.* 3 *de impedim. matrim.* § 106. Notandum tamen

est, quod si praesentia parochi est physice vel moraliter impossibilis, non tamen eximuntur nupturientes ab adhibenda praesentia duorum testium cum Pius VI in *Brevi ad Episcopum Genevensem diei* 5 *Septembris* 1795 edixerit, quod: « quoties » duo saltem testes minime adfuerint (in talibus » conjugiis quibus nequit parochus adsistere ob » relatas rationes) matrimonia sint invalida, et » quatenus fieri possit, revalidanda. »

8.° At hac lege clandestinitatis vetitae matrimonii sicut obligantur catholici, ita et haeretici tenebuntur, ut ipsorum conjugia clandestina retinenda sint invalida, si inita fuerint in loco, ubi praedictum decretum est promulgatum? Proinde quid tenendum est de matrimoniis ab haereticis inter se celebratis vel ab uno ipsorum cum parte catholica, quae dicuntur matrimonia mixta, quae in talibus regionibus adveniant ubi hoc Tridentini decretum est publicatum? Quibus quaestionibus ut congrua detur responsio sequentia sunt animadvertenda: - (a) Hic non quaeri an haeretici exempti sint ab observantia talis legis *per se*, sed tantum an Ecclesia eos voluerit eximere vel potius obligare: cum enim ipsi per baptismum Ecclesiae legibus subdantur, et baptismus semel receptus semper perseveret, si *per se* Ecclesiae legi non subderentur, ipsi ex sua nequitia emolumentum haberent, quod non est ullo modo admittendum, prout *Titulo Primo* est expositum. - (b) Ecclesiam autem in Tridentino Con-

cilio habuisse aliquem respectum ad haereticorum conditionem, cum specialissimam illam publicationem induxerit habita ratione ad haereticos. Cum enim in Concilio P. Lainez observasset haereticos non recepturos hanc legem, ex quo infinita adulteria erant eventura et gravis confusio futura quoad legitimas successiones, Concilium definivit legem hanc ex publica utilitate inducendam, ita esse temperandam, ut dum ex una parte dictae publicae utilitati prospiceretur, ex altera hoc grave dispendium eliminaretur, quod putavit Concilium eliminatum iri, si exigeretur haec publicatio in unaquaque paroecia; dum enim lex publicabatur in locis, quae vel catholici exclusive incolebant, vel in quibus catholici potiores partes habebant, ea publicanda non praevidebatur in locis ab haereticis aut exclusive aut principaliter occupatis; atque hoc modo prima promulgatio facta est. At progressu temporis evenit ut plura ex locis, in quibus promulgatio facta jam erat, invaderentur ab haereticis, vel in iis potiores partes haberent; insuper post pacem Vestphalicam recognitis haereticis exemptis a jurisdictione ecclesiastica Episcoporum catholicorum, illud dispendium coepit in facto verificari, quod praeviderat Lainez in Concilio Tridentino, et quod a Patribus tanti aestimatum fuit, ut illud esse omnino declinandum censuerint. - (c) Ex quo concludere licet, quod cum Ecclesia noluerit haereticos positive et directe eximere ab observatione illius decreti, quod

maxime ad bonum commune conferebat, isti censeantur obstricti hac lege in locis, ubi Decretum promulgatum est; et de uno *tantum* casu quaeri potest, et dubitari, scilicet quando Decretum Tridentini est publicatum in regione, quae deinde occupatur ab haereticis, aut in qua haeretici societatem religiosam proprie dictam efformant omnino a societate catholicorum distinctam. Hinc est, quod circa haereticos vagantes inter catholicos aut alibi consistentes sed nondum efformantes hanc distinctam societatem Romanae Congregationes requisitae de valore matrimoniorum ab ipsis contractorum contra formam Tridentini, si in loco fuerat decretum promulgatum, constanter responderunt pro eorum invaliditate. Quamvis autem istae decisiones videantnr loqui de omnibus matrimoniis haereticorum clandestinis, nihilominus certum est eas non esse sumendas *generatim et universim* sed secundum circumstantias temporis, loci, atque aliorum adjunctorum cujuscumque casus, ut constat ex Decretali Benedicti XIV « *Matrimonia* » *diei* 4 *Novembris* 1741, et ex constitutione « *Singulari* » *diei* 9 *Februarii* 1749 § 17. - (d) De hoc casu non contemplato in praedictis decisionibus agit Benedictus XIV in citata Decretali, in qua manente pro catholicis obligatione a Concilio Tridentino imposita in suis matrimoniis servandi formam substantialem sub poena nullitatis actus ob factam publicationem decreti, declarat - 1° « Matri- » monia in Foederatis Belgii provinciis inter hae-

» reticos usque modo contracta, quaeque in po-
» sterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino
» praescripta non fuerit in iis celebrandis servata,
» dummodo aliud non obstiterit canonicum impe-
» dimentum, pro validis habenda esse. » - 2° Quoad matrimonia pariter, quae in illis provinciis inter partem catholicam et haereticam non servata forma Tridentini jam contracta, vel quae in posterum contrahi contingat, declarat: « Matrimonia hujus-
» modi, alio non concurrente canonico impedi-
» mento, valida habenda esse, et neutrum ex con-
» jugibus, donec alter eorum supervixerit, ulla-
» tenus posse, sub obtentu dictae formae non ser-
» vatae, novum matrimonium inire. » Post quas duas declarationes concludit Pontifex: « Circa con-
» jugia, quae contrahuntur vel in Regionibus
» Principum Catholicorum ab iis, qui in Provin-
» ciis Foederatis domicilium habent, vel in Foe-
» deratis Provinciis ab habentibus domicilium in
» Regionibus Catholicorum Principum nihil San-
» ctitas Sua de novo decernendum aut declaran-
» dum esse duxit, volens ut de iis juxta canonica
» juris communis principia probatasque in simi-
» libus casibus alias editas a Sacra Congregatione
» Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat,
» decidatur. » - (e) Haec autem Decretalis etsi edita sit *ad modum et sub specie declarationis*, non est tamen simplex declaratio, sed *decretum sub forma* declarationis; idque eruitur: - 1° ex eo quod Pontifex dicat expresse se *declarare et statuere*,

et hujus decreti edendi rationes erant *ad consulendum universis Fidelibus in illis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda,* - 2° ex eo quod in illo decreto et declaratione includebantur illi casus peculiares, super quibus S. Congregatio Concilii jam ab antiquo consulta responderat pro eorum matrimoniorum invaliditate, aut saltem ita sensisse visa est, prout patet ex *Boscodunen. Matrimonii diei* 13 *Februarii* 1683, in qua S. Congregatio respondit: « Ad mentem cum San- » ctissimo: scilicet si esset respondendum, respon- » dendum esset negative, » sicut in responsione *ad tertium dubium* responderat jam clarius *die* 26 *Septembr.* 1602 apud Cardinalem Petra *Commentar. tom.* 4 *ad Constitut.* 12 *Joannis XXII num.* 20, quae post declarationem Benedictinam debuerunt considerari in omnibus suis effectibus ut matrimonia valida etiam respectu legitimitatis filiorum. Neque inter haec decreta habebatur ulla proprie dicta oppositio, quia in prioribus casibus ratio decisionis fundabatur in circumstantiis uniuscujusque casus; et ratio Decretalis Benedictinae erat universalis, nempe boni publici fidelium, hinc decretum et declaratio sese habebat ad infelicem illius populi conditionem sub jugo haereticorum. Unde jure poterat dicere Benedictus XIV in Constit. « *Singulari* » cit. hunc casum generalem adhuc expensum non esse, - 3° ex eo quod Benedictina declaratio dicta est non posse ad alias regiones extendi, nisi ex speciali venia Apostolicae Sedis;

quae cautio sicut congruam suscipit explicationem in sensu a nobis indicato decreti sub forma declarationis, ita difficulter exponitur, si quis insistat in sensu simplicis declarationis. Quae si ratio decreti sub forma declarationis suscipiatur, facile pariter intelligitur, cur nam in ea Decretali pari modo statuatur et de matrimoniis ab haereticis inter se initis, et de matrimoniis mixtis. Si enim attendamus rationes, propter quas edita est haec Decretalis, eae militabant non minus pro matrimoniis haereticorum inter se, quam pro matrimoniis mixtis, nisi admittere velimus plus urgere pro mixtis. Referebant enim Vicarii Apostolici in Hollandia et Episcopi Belgarum se maxime premi ab haereticis in illis statibus Foederatis gubernantibus praesertim circa matrimonia mixta; cum prohiberent ne talia matrimonia fierent coram parocho catholico, aut coram eo renovarentur statutis gravissimis poenis; quod pariter prohibebant in matrimoniis haereticorum, quando una pars ad catholica sacra converteretur, ut est apud Cardinalem Petra *loc. cit. num.* 25, et casus de matrimoniis mixtis erant frequentiores. Ex altera vero parte, cum inhabilitas non esset ex aliqua qualitate personarum, ut puta ex ordine majore suscepto vel ex edita solemni professione religiosa, sed ex forma contractus non observata, jure poterat invocari principium, quod innuit Benedictus XIV *de Synod. dioeces. lib.* 6 *cap.* 6 *num.* 12, « Cum conjugum » alter exemptus sit a Tridentinae Synodi lege,

» exemptio, qua ipse fruitur, alteri parti commu-
» nicata remanet propter individualitatem contra-
» ctus, vi cujus exemptio, quae uni ex partibus
» competit, ad alteram secundum etiam leges ci-
» viles extenditur, eidemque communicatur. » Hinc asserta et declarata per decretum haereticae partis exemptione, debebat haec exemptio verificari quoque in matrimoniis mixtis, seu extendi in casu ad partem catholicam. Quod principium fuit admissum, ut habet Benedictus XIV *loc. cit.*, ab omnibus, qui in Congregatione convenerant; et non fuit a Benedicto XIV haustum a Van-Espenio, quamquam apud hunc quoque reperiatur, sed apud Doctores catholicos jamdiu vigebat, inter quos citatur Engel *h. t. num.* 20 *vers. dico II.* Quin imo praxis canonica habet, etiam in aliis casibus libertatem unius partis aut exemptionem a decreto Tridentini prodesse alteri parti; sicut verificatur, si una pars vaga sit, quod valeat matrimonium ab ea celebratum in loco exempto absque adhibitione formae Tridentini non acquisito quoque quasi-domicilio etsi altera pars veniat ex loco, ubi Tridentini decretum est promulgatum. Cui addimus aliud exemplum in casu expenso et deciso a Suprema Congregatione S. Officii, quae sub *die* 8 *Februarii* 1860 ad postulatum Officialis Mechliniensis decisit Hollandam mulierem valide contrahere in Anglia extra formam Tridentinam cum viro catholico legi Concilii Tridentini alias obstricto sine ullo domicilio vel quasi-domicilio

in Anglia acquisito. - (f) Verum quoniam, ut dictum est, haec decretalis edita fuit tantummodo pro foederatis Statibus Hollandiae et Belgii, neque ad alias regiones valet extendi, etiamsi pro iis locis militent validiores rationes, nisi haec extensio fiat ex expressa venia S. Sedis; hinc est quod de hoc casu generali quaestio adhuc non est undequaque resoluta. Unde quoad praxim evenit, quod petatur ab Episcopis praesertim constitutis sub gubernio etherodoxorum et aliquando etiam in regnis maxima ex parte catholicis, ut S. Sedes extendat Benedictinam Decretalem; quam extensionem aliquando elargitur, ut patet ex pluribus concessionibus, quae referuntur a Cl. Vecchiotti *op. et part. cit. cap.* 13 § 107. In quibus concessionibus id est advertendum, quod eae fiant pro regionibus, in quibus haeretici constituunt societatem perfectam religiosam cum suis ministris, templis etc., et eorum jura sunt recognita a guberniis civilibus, quamquam non sit haec causa concessionis, sed potius devitatio gravissimorum malorum, quae absque hac concessione imminerent fidelibus in illis regionibus existentibus; nam ubi haec ratio non suppetit, quamquam sint paria jura civilia haereticorum et catholicorum, et utrique sint in perfecta societate constituti, ut in Gallia, talis extensio non conceditur. In aliis vero regionibus, in quibus Concilii promulgatio lata est, et non extensa Decretalis Benedictina, matrimonia sive ab haereticis inter se, sive cum catholicis inita

spretâ Tridentini formâ generaliter loquendo judicantur a Congregationibus Romanis invalida quamquam fatendum sit S. Sedem pluries prudenti aeconomia voluisse conversos haereticos de sui conjugii validitate non dubitantes in bona fide esse relinquendos, vel si scrupulis agerentur, prius peculiariter esse indaganda adjuncta, quam matrimonii nullitas pronuntiaretur.

TITULUS IV.

De sponsa duorum.

1.° Cum nomine sponsae hic ea veniat tum quae contraxit sponsalia de futuro, tum matrimonium de praesenti, hinc in praesenti Titulo proponuntur et resolvuntur tres casus, in quibus concurrere potest duplex factum, ex quo oriatur vinculum, ac proinde videndum quod nam factum ac vinculum praevaleat. Triplex casus est: - 1.° concursus sponsalium de futuro, cum aliis sponsalibus de futuro. - 2.° Concursus sponsalium de futuro cum matrimonio de praesenti. - 3.° Concursus matrimonii de praesenti cum alio matrimonio de praesenti; qui casus singillatim expendendi et resolvendi sunt.

2.° Si concurrant sponsalia de futuro cum aliis sponsalibus de futuro quaenam praevalent

anteriora vel posteriora? Respondendum est quod si prima sponsalia valida fuerunt, et deinde non resoluta, ea praevalent ita ut posteriorum sponsalium nulla sit obligatio et efficacia. Id arguunt unanimiter Doctores ex *cap.* 31 *de sponsal. et matrimon.* et ratio in promptu est, quia ista posteriora sponsalia sunt promissiones illicitae, quae scilicet vergunt in detrimentum antecedentis promissionis (utraque siquidem promissio adimpleri nequit); et promissiones illicitae non tenent. Non solum ergo primis non praevalent, sed *per se* nec ullum habent valorem primis etiam quomodocumque resolutis, cum regula juris sit « quod ab » initio vitiosum est, non potest tractu temporis » convalescere » nisi haec postrema sponsalia sint sub conditione inita, quod prima resolvantur, et conditio fuerit adimpleta.

3.° Quid autem erit dicendum, si concurrant sponsalia de futuro cum matrimonio de praesenti? In hac porro quaestione licet duae hypotheses fingi queant, prout sponsalia de futuro sunt matrimonio de praesenti anteriora vel posteriora, non est necesse utramque hypothesim expendere; si enim sponsalia de futuro antecedentia vincuntur a matrimonio de praesenti, a fortiori praevalebit matrimonium de praesenti antecedens relate ad sponsalia de futuro subsequentia. Atqui ita est, nempe concurrentibus sponsalibus et matrimonio, hoc praevalere etsi posterius sit. Habemus expressum textum juris in *cap.* 31 *de sponsal. et matrim.*

per verba: « verum si inter ipsos accessit tantum- » modo promissio de futuro, utroque dicente al- » teri: ego te recipiam in meam, et ego te in meum, » sive verba similia; si alius mulierem illam per » verba de praesenti desponsaverit, etiamsi inter » ipsam et primum juramentum intervenerit, sicut » diximus, de futuro, hujusmodi desponsationis » intuitu secundum matrimonium non potuit se- » parari, sed eis est de violatione fidei poenitentia » injungenda. » Ex quo textu duo eruuntur, nempe hoc alterum matrimonium esse illicitum, sed tamen validum. Revera est illicitum, quia juri tertio quaesito praejudicat, proinde poenitentia est de violatione fidei injungenda. At est validum; est enim matrimonium vinculum longe fortius, quam sint sponsalia de futuro, cum ista tribuant jus ad rem, illud vero conferat jus in re; et vinculum fortius solvit id, quod minus forte est. Cui accedit aliud principium juris, nempe: « plus esse in traditione, » quam in promissione. » Idque sustinetur, etiamsi matrimonium sit simpliciter *ratum*, cum hoc quoque praevaleat sponsalibus. Hae duae conclusiones autem de praevalentia fundantur in hoc principio, quod in uno et altero casu nequit duplici obligationi satisfieri, prout in expositione sequentis hypothesis clarum fiet.

4.° Demum quod erit statuendum in concursu unius matrimonii de praesenti cum altero matrimonio pariter de praesenti subsequente? Respondendum profecto est primo matrimonio valido exi-

stente, nec ullo modo resoluto, aliud quodcumque matrimonium censendum esse invalidum *ob impedimentum ligaminis;* idque valet, etiamsi primum matrimonium sit simpliciter ratum; etsi secundum fuerit quoque consummatum copula carnali. Complexa haec responsio quoad singula probatur. Et imprimis dicitur supponi primum matrimonium esse validum, hoc est siquidem fundamentum, cum nequeat locum habere impedimentum ligaminis, si ligamen non est, ex eo quod matrimonium quacumque ex ratione fuerit invalidum: quod pariter dicendum est, si puta matrimonium simpliciter ratum fuerit resolutum vel ex professione religiosa vel ex Romani Pontificis dispensatione. Non est autem cur loquamur de matrimonio consummato, quod nonnisi per mortem inter christianos initum resolvitur. At si ita res se habent, exurgit impedimentum ligaminis ad quodcumque aliud matrimonium excludendum. Jure siquidem divino matrimonium est institutum *monogamum* per illa verba, quae primus homo ex instinctu S. Spiritus protulit: « hoc nunc os ex ossibus meis, et caro » de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem » et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et » erunt duo in carne una. » Quae verba exponens Innocentius III in *cap.* 8 *de divortiis* ait: « in carne » una erunt; non dixit, tres vel plures, sed duo: » nec dixit adhaerebit uxoribus sed uxori. » Ex quo *polygamia* et *polyviria* exclusa est: *polygamia* siquidem habetur, cum unus vir sibi matrimonio

simul jungit plures uxores: *polyviria* autem cum una mulier duobus vel pluribus viris simul matrimonialiter copulatur. Polygamiam et polyviriam simultaneam esse jure divino prohibitam communis est Doctorum sententia ex citatis textibus, quibus additur dogmatica definitio Concilii Tridentini *sess. 24 can. 2 de sacramento Matrimonii:* « si quis dixerit licere christianis plures simul ha-» bere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohi-» bitum: anathema sit. » Controversia tantum in hoc est: an jure quoque naturali, vel tantum jure positivo divino haec interdictio habeatur; et inter plures sententias haec nobis praeferenda videtur: Quamvis jure naturae ad omnes matrimonii fines obtinendos aptior sit et convenientior *monogamia*, minus apta et conveniens *polygamia*, haec tamen vere et proprie reprobata est *jure divino positivo primigenio*, in quo etsi pro populo Dei in veteri lege *directe* dispensatum sit, et *indirecte* fortasse pro aliis quoque populis; nihilominns ex doctrinâ Christi instauratum est, et post sufficientem Evangelicae legis promulgationem vim suam exeruit, ut polygamia interdicta sit christianis aliisque gentibus omnibus: polyviria vero non modo jure positivo divino sed et naturali, saltem praesenti ordine spectato, prohibita esse dicenda est. Quae propositio per partes ita ostenditur. Nam certum est polygamiam non posse componi cum perfecta illa aequalitate conditionis, quae debet esse inter virum et uxorem, scilicet ut *unus unius sit;* et

deinde minus componi potest cum fine secundario matrimonii, nempe cum tranquilla cohabitatione et pace conjugum; prout experientia ostendit etiam in sanctorum familiis, cum polygamia vigeret. At haec omnia non tam interdictam jure naturae polygamiam ostendunt, quam minus convenientem. Jus quod prohibuit polygamiam fuit jus positivum divinum primigenium, nempe nostris protoparentibus propositum, quo ex relatis verbis a Domino indicta fuit monogamia; quod proinde jus universo fuit humano generi impositum, cum primum protoparentum conjugium fuerit forma conjugiorum, quae ab humano genere contrahenda in futurum erant. In hoc jure positivo divino dispensatio a Deo data est patriarchis, qui plures habuerunt uxores, quod viri sanctissimi non fecissent, si illud illicitum suo tempore fuisset, et populo haebraeo, ac juxta plures Doctores etiam populis gentilium, quamvis alii negent, quia pro istis non militat dispensationis divinae ratio, nempe populi fidelis multiplicatio. Quae dispensatio facillime explicatur in nostra sententia, at non potest concipi in opinione, quod polygamia sit jure naturae prohibita, cum in jure naturae non detur dispensatio. Proposita autem per Christum lege evangelica haec venia seu indulgentia sublata est, et matrimonium reductum ad primaevam legem monogamiae; ac proinde non modo christiani sed et quicumque alii sive haebraei sive infideles ad hanc servandam legem tenentur; unde impedimentum ligaminis

dictum est quoscumque etiam infideles obstringere. Quod autem spectat ad polyviriam, hanc et jure divino positivo esse prohibitam ex allegatis juribus constat; et in ea non fuisse factam dispensationem, neque pro ea consuetudinem inolevisse non modo apud civiles gentes, sed neque apud barbaras certum ex historia est, si eas excipias feras gentes, apud quas nec certa connubia nec familiae ratio exstitit, sed vagi tantum concubitus belluarum more; quod demonstrat jure etiam naturae hanc polyviriam inhiberi; et reapse in ea servari nequeunt praecipui matrimonii fines, praesertim educatio prolis, cum incerta paternitas reddatur. Diximus autem id verum esse saltem *praesenti ordine spectato;* nam est inter Doctores quaestio: an per absolutam Dei potentiam polyviria possit consistere rataque haberi? Quam ipsi diversimode resolvunt apud Schmalzgrueber *h. t. num.* 13, in duas sententias divisi.

5.° Praedictam autem conclusionem sustineri, etsi primum matrimonium sit tantum ratum non consummatum, contra vero subsequens sit quoque consummatum ostenditur ex *cap.* 3 *h. t.* in quo Alexander III quaestionem auctoritative resolvit sequentibus verbis: « Si inter virum et » mulierem legitimus consensus interveniat de » praesenti ita quidem, quod unus alterum in suo » mutuo consensu verbis consuetis expresse reci» piat utroque dicente: Ego accipio te in meam, » et ego accipio te in meum, sive sit juramen-

» tum interpositum sine non, non licet mulieri » alteri nubere, et si nupserit, etiamsi carnalis co- » pula sit secuta, ab eo separari debet, et ut ad » primum redeat, ecclesiastica districtione com- » pelli. » Haec tamen decisio habet ultimum comma: « quamvis aliter a quibusdam Praedecessoribus » nostris sit aliquando judicatum. » Quod Interpretibus gravem difficultatem ingessit, et ab eis diversimode exponitur, ut explicent quomodo Antecessores Romani Pontifices hac super re diverse sentirent ab eo quod Alexander III decisit, et quod deinde a Concilio Tridentino fuit canone dogmatico definitum. Tres praesertim explicationes inter alias circumferuntur. Prima est Melchioris Cani *lib.* 6 *De Ecclesiae Romanae Auctoritate cap.* 8 ubi hoc verbum *judicatum* accipit pro *privata sententia* vel *opinione*, et Bellarmini *lib.* 4 *De Pontifice cap.* 14., qui Pontifices illos, ait, nihil hac super re definivisse, neque legem generalem edidisse, sed in facto peculiari opinionem quam tenebant, secutos fuisse. At haec explicatio non videtur componi posse cum perfecta irreformabilitate Rescriptorum quae a Romanis Pontificibus emanant quoad principia moralitatis et doctrinae a Christo receptae. Fuissent enim haec Rescripta vel judicata, in quibus Pontifices, et quidem in re gravi ad sacramenti valorem pertinente falsam tuebantur opinionem, secundum matrimonium habentes validum quia consummatum prae primo, quod erat tantummodo ratum; quae eorum falsa

opinio deinde rejecta fuit ab Alexandro III et Innocentio III. Alii recentiores Canonistae cum Wagnereck et Schmier apud Schmalzgrueber *h. t. num.* 25, hanc oppositionem sic conciliare nituntur, ut illa judicia Praedecessorum Pontificum vocent judicia oeconomica, quatenus illi Pontifices in concursu duorum conjugiorum, resoluto de plenitudine potestatis primo matrimonio tantum rato alterum consummatum sanarent in radice, et sic praeferebatur in facto secundum consummatum conjugium primo tantum rato. Verum talis explicatio non potest admitti. Praescindendo enim ab ea animadversione, quod in casu non possit dari *sanatio in radice,* ut contendit Pirhing *h. t. num.* 6, quemadmodum nequit Pontifex condere legem, ut matrimonium ratum et non consummatum dirimatur per subsequens matrimonium carnali copula consummatum, auctoritate dissolvendi matrimonium ratum, praeter casum professionis religiosae in jure contemplatum, non utebantur Pontifices, ut alibi fusius demonstrabitur. Restat ergo tertius modus explicationis, qui maxime rationi congruens mihi apparet, et ex historicis monumentis juvatur. Ecclesia Romana enim semper tenuit matrimonium solo consensu perfici, ut constat ex Epistola Innocentii I ad Exsuperium Tolosanum, ex Epistola 129 Leonis Magni, ex Epistola Siricii ad Himerium Tarraconensem, et ex Responso 3° Nicolai I ad quaesita Bulgarorum, adeo ut jure potuerit Innocentius III

in *cap.* 5 *h. t.* juxta antiquam doctrinam et praxim Ecclesiae Romanae et juxta canonicas sanctiones dicere sufficere ad matrimonium, si inter legitimas personas consensus legitimus interveniat de praesenti, qui si solus defuerit, caetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrari. Sensus catholicus proinde in hac parte anceps non erat, nec dubia doctrina. Verum tempore Alexandri III, ut constat ex Petro Lombardo *lib.* 4 *sentent. dist.* 27, nonnulli opinati sunt verum matrimonium non esse ante carnalem copulam. Quae nova doctrina si in una vel altera dioecesi habuit sectatores et in praxim deducta est, plurium Antistitum turbavit conscientias, qui Romanam Cathedram consuluerunt. Reapse habemus in *Prima Collectione Decretalium cap.* 6 *et* 7 et in Decretalibus Gregorii IX *cap.* 3 *et* 4 *h. t.* responsa Alexandri III ad Archiepiscopos et Episcopos Salernitanum, Ianuensem, Patavinum, Senonensem, et Norvicensem, sicut et Responsum Innocentii III ad Episcopum Mutinensem. In omnibus hisce Rescriptis asseritur vera doctrina et praxis Ecclesiae Romanae, cum qua omnes debent convenire Ecclesiae: « *ne turpis sit pars, quae suo non congruit universo* » ut habet *loc. cit.* Innocentius III. In nullo autem alio Rescripto Alexander III illam pericopen proposuit nisi in eo, quod direxit ad Archiepiscopum Salernitanum. Quae singularitas demonstrat Archiepiscopum Salernitanum ad defensionem novae doctrinae usum fuisse quoque aliquibus Rescriptis

datis a Romanis Pontificibus in aliquibus causis decidendis, in quibus secundum matrimonium consummatum fuisset praelatum primo simpliciter, at decisiones illae in casibus particularibus poterant etiam esse pro secundo conjugio, etiamsi Pontifices Antecessores eamdem tenerent doctrinam ac Alexander III. Quid enim si primi matrimonii tantum rati in foro externo non fuissent probationes? quid si Pontifices in facto aliquo decepti fuissent ex improbitate recurrentium? Responsioni proinde doctrinali datae per Alexandrum III non opponebantur illa Rescripta Praedecessorum Pontificum, et hoc est quod voluit Pontifex illis verbis asserere Archiepiscopo Salernitato, qui ea Rescripta a se non recte intellecta ut difficultates proponebat.

6.° Polygamorum judicia antiquitus agebat Tribunal ecclesiasticum, prout habetur ex *cap.* 2 *h. t.;* post Concilium Tridentinum vero attentans secundum matrimonium constante primo denuntiandus erat S. Inquisitioni, tamquam suspectus de haeresi, et fuit obnoxius Constitutioni Urbani VIII *Magnum dici* 20 *Junii* 1637, quae tamen non fuit in omnibus usu recepta, ut asserit Benedictus XIV *De Synod. dioeces. lib.* 9 *cap.* 6 *num.* 8. Hodie istae causae (praecisione facta a poenis spiritualibus) pertractantur apud tribunalia civilia, et ex illa oppositione, quae existit in hac materia inter legislationem ecclesiasticam et civilem facile in

pluribus casibus vitatur vindictae publicae animadversio.

7.° Ex sponsalibus et ex matrimonio rato oritur impedimentum dirimens, quod dicitur *publicae honestatis*, vel *justitiae publicae honestatis*, de quo nos locuturos esse in hoc Titulo in antecessum promisimus. Hoc a juristis communiter definitur: « quaedam quasi affinitas orta ex spon» salibus de futuro vel ex matrimonio de prae» senti nondum consummato inter sic copulatos » obstans conjugio eorum cum alterutrius partis » consanguineis contrahendo. » Impedimentum hoc inductum fuit lege Romanorum, ex eo scilicet quod in nuptiis contrahendis non solum spectandum sit quod liceat, sed etiam quod honestum videatur *Leg. 42 Digest. de ritu nuptiar.;* minus autem honestum visum est eam, quae semel ex. gr. fuit sponsa fratris, uxorem deinde alterius fratris dici, quasi sponsa quamdam habeat uxoris imaginem; hinc Pomponius in *leg. 8 digest. de gradib. et affinib.*, ait: « Servius recte dicebat soceri et socrus » et generi et nurus appellationem etiam ex spon» salibus acquiri. » Et Ulpianus *leg. 6 eod. tit.* « Generi et nurus appellatione sponsus quoque et » sponsa continentur: item soceri et socrus appel» latione sponsorum parentes contineri videntur. » Quod impedimentum ortum ex sponsalibus deinde potiori ex ratione extensum est ad matrimonium ratum non consummatum, ut patet ex Rescripto Zenonis Imperatoris *leg. 8 Codicis. de incestis*

nuptiis. Has tam sapientes praescriptiones respondentes justitiae morum publicorum Ecclesia canonizavit, et hinc impedimentum publicae honestatis evasit ecclesiasticum, prout constat ex *can.* 14 *et* 15 *caus.* 27 *quaest.* 2 *in Decreto Gratiani*, et *cap. un. de sponsal. in VI*, et *cap.* 4 *de desponsat. impub.* Ex quibus dignoscitur quam male prospiciatur hodie publicae honestati morum, si hoc impedimentum, quod in ethnica societate servabatur, hodie in Codicibus legum societatum christianarum disparuit, in quibus non habetur ulla ratio nec contractorum sponsalium nec matrimonii rati circa hunc respectum. Quod impedimentum ortum ex sponsalibus ex jure antiquo dirimebat matrimonium usque ad quartum consanguinitatis gradum, ut notant Doctores in *cap.* 8 *de sponsal.*, etiamsi sponsalia fuissent invalida dummodo invaliditas non esset ex defectu consensus ex *cap. unic. de sponsal. in VI.* At hodie post Concilium Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 3 *de reform. matrimonii* non oritur nisi *ex sponsalibus validis et absolutis de futuro,* et tunc dirimit contrahendum conjugium ad *primum consanguinitatis gradum.* Hoc tantummodo advertendum est, impedimentum publicae honestatis oriri ex sponsalibus quoque occultis. Quamvis enim non desint Doctores, quos citat Pitonius *Disc. Eccles.* 52 *num.* 96, qui contrarium tueantur, tamen praxis Romana aliud omnino tenet, et haec est ipsis praeferenda, sicut in omnibus aliis quaestionibus de-

cidendis a chordato Interprete Juris canonici retineri debet, quia haec est tuta interpres sensus Canonum. Probatur autem id ex eo quod inter facultates concessas S. Poenitentiariae officio vivae vocis oraculo a Pio VI *mense Martio* 1793 Petro Paracciani S. Poenitentiariae Regenti sub *num.* 14 haec legatur: « Dispensandi pro fidelibus super impe» dimento justitiae publicae honestatis proveniente » ex occultis sponsalibus praecedenter initis sive » cum matre aut cum filia seu cum sorore spon» sae; sive è contrario aut cum patre aut cum » filio, vel cum fratre sponsi tam pro matrimoniis » contractis, quam pro matrimoniis ineundis, dum» modo impedimentum praefatum sit omnino oc» cultum, et dummodo, dum agitur de matrimoniis » ineundis, sponsalia antea ut praefertur inita, fue» rint mutuo consensu rescissa. » Qua facultate S. Poenitentiaria semper usa est, eàque utitur. Cohaerenter ad haec cum S. Poenitentiariae proposítum esset sequens dubium: « Duo juvenes liberi Capuani clandestine irriverunt sponsalia de futuro: dehinc sponsus solemnia sponsalia contraxit cum sorore germana primae sponsae: quaerit Episcopus a S. Poenitentiaria definitivum consilium, utrum videlicet ex clandestinis sponsalibus contractum sit impedimentum publicae honestatis? » Et S. Poenitentiaria sub die 10 *Semptembris* 1834 respondit: « Affirmative. »

8.° At si oriatur ex matrimonio rato, tunc ante Tridentinum Concilium valebat dispositio

cap. unic. de spons. in VI, nempe oriri hoc impedimentum ex quocumque matrimonio rato etiam invalido, dummodo non esset invalidum *ex defectu consensus*, et quidem usque *ad quartum gradum inclusive*. Atqui Pius V in *Constit. Ad Romanum diei* 1 *Julii* 1568 authentice declaravit ac definivit decretum Concilii Tridentini *sess*. 24 *cap*. 3 *de reform. matrim.* esse intelligendum ut procedat in sponsalibus de futuro dumtaxat non autem in matrimonio de praesenti non consummato, sed in eo durare adhuc impedimentum *in omnibus illis casibus et gradibus*, quibus de jure veteri ante praedictum decretum Concilii introductum erat. Ergo etiam post illud Tridentini Concilii decretum istud impedimentum proveniens ex matrimonio rato dirimit usque ad quartum gradum, etsi matrimonium sit invalidum, dummodo tale non sit ex defectu consensus, seu in illis omnibus casibus, in quibus vigebat ante Concilii dictum decretum. Ut vero videamus quinam sint illi casus, determinari debet quid veniat sub illis verbis: « dummodo matrimonium non fuerit invalidum ex defectu consensus. » At haec phrasis, quae fuit adhibita ante Concilium Tridentinum non potuit respicere *consensus legitimitatem*, sed debuit respicere *verum consensus defectum*, qui defectus habebat locum in matrimonio irrito propter metum, aut propter errorem in persona, aliisque casibus in quibus vel omnino deficiebat, vel non erat plenarius consensus; proinde etiam hodie dicendum est

post Tridentinum illos tantum casus excipi. Ergo sententia, quam tenet Sanchez *lib.* 7 *de matrim. dist.* 7 *num.* 13, quod scilicet impedimentum publicae honestatis non enascatur ex matrimonio rato sed invalido propter non servatam formam Tridentini seu clandestino, sustineri rationabiliter nequit, quia directe est opposita supradictae Constitutioni Pii V. Est inquam tali Constitutioni opposita, quia haec sententia Sanchez supponit Concilium Tridentinum in *cap.* 3 *sess.* 24 *de reform. matrim.* respexisse ad impedimentum publicae honestatis ortum ex matrimonio rato, cum Pius V in illa Constitutione doceat ad hoc impedimentum quatenus oritur ex matrimonio rato Tridentinum non respexisse, sed solummodo quatenus enascebatur ex sponsalibus de futuro. Et iterum illi Constitutioni est contraria, quia Sanchez post Tridentinum putat hoc impedimentum non enasci *in omnibus casibus,* in quibus prius oriebatur, contra id quod Pontifex Pius V in ea Constitutione authentica declaravit. Neque dicas per Tridentinum Concilium factum esse, quod clandestina connubia facta sint invalida, quae prius valida erant; nam hic non est quaestio de validitate, cum tale impedimentum publicae honestatis enascatur ex matrimoniis ratis validis aut invalidis, una tantum facta exceptione, nempe dummodo non sint invalida ex defectu consensus, seu quia consensus non habetur vel non est plenus et id cum Canonistis probat Schmalzgrueber *num.* 102 *h. t.* Sicut notandum est hoc

impedimentum publicae honestatis procedere quoque in casu, quo matrimonium sit vere clandestinum, nempe probationibus quibuscumque destitutum in foro externo, prout de sponsalibus in antecessum demonstravimus.

9.° Retenta veriore sententia, quod impedimentum publicae honestatis enascatur ex matrimonio, in quo non fuerit servata forma Tridentini, et propter hoc sit clandestinum ac proinde invalidum, fuit nuper apud S. Congregationem Concilii disputatum sequens dubium: « *An actus qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum justitiae publicae honestatis?* » Et S. Congregatio Concilii *die* 13 *Martii* 1879 respondit: « *Negative; et consulendum Sanctissimo, ut id declarare ac statuere dignetur.* » Facta autem de praemissis relatione SSmo Dno Nostro Leoni XIII per Secretarium S. C. in audientia diei 17 ejusdem mensis, Sanctitas Sua resolutionem approbare ac confirmare dignata est, ac jussit fieri Decretum, Quod editum est sequentis tenoris: - « Postquam » laici legumlatores praeter civiles ac paliticos ef- » fectus, impio ausu ipsum pervadere ac moderari » praesumpsere matrimoniale foedus quod a Deo » auctore naturae ante omnem civilis societatis » existentiam primitus institutum, ac ad ineffa- » bilem Sacramenti dignitatem deinde a Christo » Redemptore evectum, quamlibet politicam et ci- » vilem jurisdictionem penitus excedit, pluries Epi- » scopi aliique animarum pastores ab Apostolica

» Sede anxii postularunt, an ex actu civili qui ho-
» norandum usurpat matrimonii nomen impedi-
» mentum justitiae publicae honestatis oriatur.
» Quae postulationes cum iteratae postremis hisce
» temporibus fuissent, Summus Pontifex mandavit
» ut hujusmodi negotium a S. Congregatione
» Emorum ac Rmorum Cardinalium Concilii Trid.
» interpretum rite ac sedulo expenderetur. Sacra
» autem Congregatio exquisitis virorum in theo-
» logicis et canonicis disciplinis peritorum consul-
» tationibus, ac re mature discussa in generali co-
» mitio *diei* 13 *Martii* 1879 propositae dubii for-
» mulae: - An actus qui vulgo audit matrimonium
» civile, pariat impedimentum justitiae publicae
» honestatis. - Rescripsit: - Negative: et consu-
» lendum SSmo ut id declarare ac statuere di-
» gnetur. - Quapropter SSmus Dominus Noster
» Leo Papa XIII audita universa rei relatione in
» audientia *diei* 17 *ejusdem mensis* in voto S. C.
» concedens per praesens decretum declarat ac sta-
» tuit praememoratum actum, qui vulgo dicitur
» matrimonium civile, in locis ubi promulgatum est
» decretum Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 1 *de reform.*
» *matrim.* sive fideles actum ipsum explentes in-
» tendant uti par est, (matrimonio ecclesiastico
» jam rite celebrato, vel cum animo illud quan-
» tocius celebrandi) meram coeremoniam civilem
» peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire,
» sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ec-
» clesiasticarum legum intendant matrimonium de

» praesenti contrahere, impedimentum justitiae pu-
» blicae honestatis non producere. Atque ita etc. » -
Et fuit probatum in Audientia *diei* 7 *Aprilis* 1879.-
Dum ea, qua par est, submissione et obsequio laudatam Decisionem recipimus, tum ex supremae Congregationis dignitate, tum praecipue ex Summi Pontificis addita Auctoritate, licebit nobis nonnulla de sensu et extensione Decreti disserere quibusdam praemissis de statu quaestionis respiciendo ad ea, quae apud S. Congregationem in antecessum fuerunt disputata. Matrimonium sic dictum civile Ecclesia a prima institutione ejusdem semper detestata est, tum quia procedebat ex usurpatione Status qui in dispensatione sacramentorum quamvis sub alio respectu inserere se volebat, tum quia Ecclesiam ab hoc ministerio excludere satagebat, cum ipse non recognosceret aliud matrimonium validum nisi illud quod sub forma civili initum esset, et pro christianis non est aliud matrimonium validum, nisi simul sit contractus et sacramentum. Hoc ergo matrimonium civile praescindens ab impedimentis ab Ecclesia propositis et a forma Concilii Tridentini, et insistens in impedimentis vel recognitis a Statu vel ab eo inductis et in forma ab eodem Statu determinata fuit *in se et quoad intentionem* proponentis Gubernii illicitum. Hinc est quod Ecclesia plurimum adlaboravit ne in diversis Statibus induceretur, prout ultimis nostris temporibus intervenit, cum Matrimonium Civile fuit inductum in Legislatione Ita-

lica, quemadmodum non semel instituit, ut in Statibus, in quibus inductum erat, revocaretur. Adeo vero fuit absolutum Ecclesiae odium contra civile connubium, ut ne voluerit quidem impune frequentari a fidelibus illarum regionum, in quibus erat Tridentinum Decretum promulgatum, in iis adjunctis, in quibus Tridentina lex impleri non poterat. Id siquidem constat ex Decretis Congregationis Cardinalium pro Negotiis Ecclesiae Gallicanae deputatae a Pio VI tempore rebellionis anni 1791. Etenim cum Lucionensis Episcopus quaesivisset: « Num retento tamquam publicato et in suo robore Tridentini decreto in singulis Galliarum Ecclesiis, valida censeri possint matrimonia inita coram officiali municipalitatis et quatuor testibus in vim praememorati decreti nationalis conventus, quoties parochi praesentia haberi non posset; quandoquidem pluries S. Concilii Congregatio decrevit satisfieri menti Concilii Tridentini celebrando matrimonium coram testibus, ubi parochi praesentia haberi nequeat? » Super quo dubio praefata Cardinalium Congregatio respondit prout in Epistola Cardinalis Zelada ad Episcopum Lucionensem edita *die* 28 *Maji* 1793 § 4: « Lucionensis Dioecesis » fideles abstinere omnino debere a contrahendo » matrimonio coram municipalitate, aut coram » officiali a municipalitate selecto: cum enim tum » ii, qui municipalitatem componunt, tum officialis » a municipalitate electus, sint publici functiona- » rii, ut ajunt, iuramentum a conventu nationali

» praescriptum emiserint necessum est, quapro-
» pter tamquam schismatici, aut ad minus tam-
» quam schismatis fautores jure merito reputan-
» tur. Ex his autem illud consequens est, absti-
» nere omnino Fideles debere a contrahendo ma-
» trimonio coram municipalitate, seu coram offi-
» ciali a municipalitate delecto, ne ulla schisma-
» tis contagione polluantur. Curare idcirco Fideles
» debere contrahere matrimonium coram testibus,
» et quidem, quoad fieri possit, catholicis, prius-
» quam municipalitati se praesentes sistant, ut
» praescriptam a nationali conventu declarationem
» faciant. Et quoniam complures ex istis Fideli-
» bus non possunt omnino Parochum legitimum
» habere, istorum profecto conjugia contracta co-
» ram testibus, et sine Parochi praesentia, si nihil
» aliud obstet, et valida et licita erunt, ut saepe
» saepius declaratum fuit a Sacra Congr. Conc.
» Tridentini.» Verum haec lex civilis fidelibus imposita fuit sub gravissima sanctione, et qui hanc formam a gubernio statutam non observassent, nequibant consequi effectus matrimonii civilis, inter quos computabatur etiam legitimitas filiorum et successio intestata in haereditatem parentum, ac ipsum jus ad officia maritalia excipienda. Cum ergo rogata esset Ecclesia, an fideles valerent hoc matrimonium civile adimplere ad istam sanctionem vitandam, ne deperderent consecutionem effectuum civilium matrimonii, Ecclesia prout constat ex Constitutione Benedicti XIV « *Redditae sunt* » et

ex actis praedictae Congregationis Cardinalium praecepit Episcopis et parochis ut fideles edocerent de valore et natura hujus actus civilis, quem peragere cogebantur pro nuptiis contrahendis, ne errore ducti putarent verum matrimonium contrahi coram officiali civili, quod invalidum prorsus erat utpote initum contra formam Tridentini; neque proinde post hunc expletum ritum posse conjuges se reputare tales, ac multo minus valere rei maritali operam dare, cum filii ex tali copula nati censendi essent illegitimi nisi coram Ecclesia matrimonium contraheretur. Deinde permisit fidelibus, ut adirent civilem Magistratum, sed ea tantum intentione declarandi suam voluntatem contrahendi in posterum in facie Ecclesiae nuptias nunc vero solum adimplendi civilem ceremoniam, minime vero ad illas ineundas per mutuum consensum de praesenti. Ergo argumentum adductum non posse confundi matrimonium civile, quod est *licitum*, cum matrimonio clandestino, quod est *illicitum*, continet merum paralogismum; nam utrumque est illicitum et odio habitum ab Ecclesia: at primum ratione coactionis permittitur, et dummodo partes consensum internum contrahendi de praesenti non praestent. Sub hisce pariter conditionibus S. Poenitentiaria Officialibus civilibus concessit ut huic matrimonio adsistere valerent prout ex infrascripta facultate: « S. Poe-
» nitentiaria de speciali et expressa Apostolica
» Auctoritate Ordinario N... facultatem concedit

» attentis peculiaribus circumstantiis in casu con-
» currentibus declarandi dilecto in Christo Oratori
» N. tolerari, ut recipere possit actum a lege civili
» praescriptum circa matrimonium, dummodo ce-
» remoniam mere civilem se exercere intendat, ni-
» hilque suadeat ac peragat contra matrimonii
» sanctitatem, aut necessitatem illud contrahendi
» coram Ecclesia, et fideles imo hortetur, ut si
» nondum contraxerint coram Ecclesia, quam pri-
» mum contrahant. »

10.° Porro si matrimonium civile sic consideraretur et non haberetur in eo voluntas interna contrahendi, profecto ex hoc matrimonio non potuisset unquam oriri impedimentum publicae honestatis, neque poterat haberi Doctorum concertatio hac de re ita ut nonnulli starent pro affirmativa alii pro negativa; nam hoc connubium fuisset invalidum non solum propter non servatam formam Tridentini, sed quoque ex defectu consensus, et omnes conveniunt quod quando non est consensus, non habetur ratio impedimenti publicae honestatis. Quando ergo disputabant doctores an ex matrimonio civili oriretur nec ne impedimentum publicae honestatis utrique tum affirmantes tum negantes supponebant in eo adfuisse voluntatem personarum, quae intendebant de praesenti contrahere prout ipse actus externus id praeseferebat. Illi autem qui negativam sententiam tenebant se tuebantur duabus rationibus, quarum prima jam in antecessum exposita et refutata est, scilicet

hunc consensum utpote non in forma Tridentini, dici defectuosum; secunda vero erat quod in casu in eo non praesumeretur consensus internus voluntatis ex forma externa, quia illa verba exprimebant voluntatem fidelium praestandi tantum ceremoniam civilem; ac proinde si adfuisset quoque in aliquo casu voluntas contrahendi de praesenti, hoc prorsus fuisset occultum, et ex clandestino matrimonio occulto juxta eos Doctores non procedebat impedimentum publicae honestatis; quod pariter ex anterius dictis falsum est. Non esse autem casum infrequentem, in quo ex parte contrahentium exhibeatur in talibus matrimoniis civilibus consensus de praesenti sicut ipse actus externus indicat, nobis probant plura civilia connubia in quibus inter contrahentes non celebrato matrimonio religioso statim post civilem contractum proceditur ad opus maritale, et filii procreantur, ad quorum legitimationem sicut ad instaurandum validum connubium, renuente una parte contrahere coram Ecclesia, ad instantiam alterius S. Poenitentiaria sanat in radice connubium, id quod supponit et haberi *speciem* connubii et adfuisse in celebratione contractus civilis saltem naturalem consensum, qui contractus ceteroquin ex impedimento ecclesiastico erat illegitimus. Quod non excluditur ex eo quod vocetur *exitialis concubinatus;* quae appellatio ab Ecclesia jure data est ad compescendam audaciam guberniorum, quae illud valere saltem ratione contractus dicti-

tabant. Neque id demum excluditur ex eo quod S. Congregatio Concilii in *Pragen. Matrimonii diei* 15 *Januarii* 1723 noluerit concedere *sanationem in radice,* cum plures potuerint esse rationes ex quibus illa gratia fuerit denegata; quod aliquando etiam praestat S. Poenitentiaria, cum nempe non sunt difficultates ad consensum coram Ecclesia iterandum. Inutiliter autem et nonnisi ad fucum faciendum subdebatur ab adsertoribus contrariae sententiae matrimonium civile non posse producere impedimentum publicae honestatis, quia hunc juridicum effectum non valet actui dare nisi Ecclesia, a qua procedunt impedimenta, non vero Status. Nam qui tenebant hoc impedimentum ex matrimonio civili produci numquam somniarunt hunc effectum haberi ex constitutione Status, sed ex constitutione Ecclesiae, quae jam statuerat hoc impedimentum induci ex quovis matrimonio etiam invalido, dummodo tale non esset ex defectu consensus, et inter talia matrimonia computari debebat matrimonium sic dictum civile, quando adfuisset revera praestitus consensus mere naturalis. Non negamus vero, quod Ecclesia potuerit illud impedimentum supprimere. Imo fatemur id per decisionem relatam factum esse, ut manente hoc impedimento publicae honestatis pro aliis matrimoniis clandestinis fuerit sublatum relate ad matrimonium civile, ac proinde evulgato praedicto Decreto hodie tenendum est ex matrimonio civili non oriri impedimentum publicae honestatis, etsi in eo

habeatur consensus partium de praesenti; et dum antea habebantur decisiones ac praesertim responsum S. Poenitentiariae *diei* 13 *Martii* 1820 approbatum a Pio VII, nunc habetur responsum S. Congregationis Concilii approbatum a Summo Pontifice Leone XIII, qui *declarando statuit* ex tali matrimonio civili non haberi impedimentum publicae honestatis etsi consensus contrahentium de praesenti accessisset, ad cujus auctoritatem Patres Cardinales recurrendum censuerunt, ut id declarare et statuere dignaretur, quemadmodum praestitum est in audientia *diei* 17 *Martii* 1879, prout supra expositum est. Unde patet supradictum Decretum esse ad instar *Motus-proprii* Benedicti XIV pro Belgio, de quo in antecessum locuti sumus, ut nempe non sit mera *declaratio*, sed potius *declaratio cum decreto* et hac expositione omnia jura concordantur.

11.° Notandum tamen est in laudata decisione quoad matrimonium civile fuisse resolutum unicum casum infrequentissimum; vix enim contingit, quod hoc matrimonium maneat non consummatum; de aliis autem casibus ac respectibus matrimonii civilis decisio non loquitur, neque aliquid proinde mutatum est. Casus vero et respectus *quinque* praesertim sunt, de quibus breviter hic loquemur. - (a) Quid enim dicendum si hoc matrimonium civile ineatur in loco, in quo Concilii Tridentini decretum *cap.* 1 *sess.* 24 non fuit promulgatum, eritne hoc matrimonium validum vel

potius invalidum? Et respondendum est applicando theoriam jam traditam in *tit. III* in expositione *cap.* 2, quod si partes habent intentionem contrahendi de praesenti, sit verum matrimonium, quemadmodum pariter constat ex sensu contrario *cap.* 26 *tit. I.* Neque opponatur: « sacramenti confectioni resistere intentionem agentium, qui positive intendunt non facere, quod facere Ecclesia intendit » sufficit enim juxta probatissimos theologos, quod ipsi intendant contrahere, ut habeatur simul contractus et sacramentum; hic enim contractus est quoque sacramentum ex eo quod est matrimonii contractus baptizatorum, qui ex baptismate est simul sacramentum, quamvis ab ipsis sacrilege recipiatur. - (b) Quid insuper dicendum, si hoc matrimonium fuerit consummatum, an affinitas inducitur ex matrimonio civili usque ad quartum gradum, vel usque ad secundum? Et respondendum juxta ea, quae afferentur in *tit. XIII* contrahi affinitatem usque ad quartum gradum. - (c) Quid pariter dicendum, si tale matrimonium civile attentetur ab iis, qui in ordine majori vel voto religioso solemni adstricti sunt an incurrant excommunicationem latae sententiae Episcopis vel Ordinariis reservatam in Bulla *Apostolicae Sedis?* Et respondendum *affirmative*, cum in casu neque adsit necessitas obsequendi legi civili, et proinde praesumatur voluntas consensus in vetitum connubium, prout fuse explicat Petrus Avanzini in Commentariis ad Bullam « *Apostolicae Sedis* »

num. 39 α *editionis anni* 1874. - (d) Ulterius quid respondendum si ab istis attentatum matrimonium fuerit consummatum, an incurrant irregularitatem ex bigamia similitudinaria? Et pariter *affirmative* est respondendum, prout demonstratum est in *tit. XX lib.* 1. - Demum (e) quid dicendum si Titius vera uxore adhuc vivente, civiliter contrahit cum alia, et cum ea maritaliter vivit, an cum hac deinde primâ demortuâ possit coram Ecclesia sociari? Et S. Poenitentiaria consuevit respondere: *obstare impedimentum criminis ex adulterio cum attentatione matrimonii.*

TITULUS V.

De conditionibus appositis in desponsatione et in aliis contractibus.

1.° Agitur in hoc titulo de conditionibus, deque affinibus earum, ut videatur quid eae importent cum sunt appositae desponsationibus, aliisque contractibus. Conditio porro, ut hic assumitur, est circumstantia dispositioni adjecta, a cujus existentia dependere volumus valorem illius. Et sub hoc sensu est vel *late* vel *stricte* sumpta. Si *stricte* sumatur definiri potest: « adjectio dispositioni eam in tempus et eventum futurum incertum suspendens. » Si vero late sumatur definitur: « adjectio apposita vel subintellecta suspendens vel resolvens dispositionem contractus vel alterius actus, ejusque quae ex illo nascitur obligationem. » Unde conditio lato sensu accepta includit conditionem de praeterito, de praesenti

et de futuro, sive haec postrema sit necessaria, sive contingens. E contra conditio *stricte* sumpta includit tantum conditionem de futuro contingentem. Quin imo primae conditiones non suspendunt obligationem, sed statim aut firmant, aut tollunt, prout verificantur vel non verificantur; et aut statim nascitur et permanet obligatio, vel a principio non nascitur: è contra in conditionibus de futuro contingentibus obligatio non statim nascitur, sed postquam verificata est conditio. Quin imo in principio dubitatur an enascatur necne obligatio, et solummodo nasci dicitur, cum conditio impleta est. Neque dicatur apponentes conditionem ignorare an ea verificata sit; namque si ea de praeterito fuerit vel de praesenti, etsi debeat dignosci an ea fuerit verificata vel non, semper tamen verum est, quod cum apponitur, aut ea est vel non est; ac proinde statim dignoscitur si enata fuerit obligatio vel non; unde statim *cedit* obligatio vel non *cedit*. Quemadmodum in conditionibus necessariis futuris statim *cedit* obligatio, quia eae certo futurae sunt, etiamsi ad petendam vel exigendam obligationem, tempus debeat attendi, quo factum verificetur. Non sic vero in conditionibus futuris contingentibus advenit; cum eae verificari valeant vel non; proinde dies obligationis nec *cedit* statim nec *venit*, sed tantum quando conditio verificatur; cum eâ non verificatâ neque enascatur obligatio. Dicitur autem resolvi obligatio, cum actus ab initio est simplex, conditio tamen efficit, ut valeat ces-

sare prout exemplificant Doctores hoc paradigmate: « duco te, donec aliam ditiorem invenero. »

2.° Conditio porro est vel: - 1. honesta et possibilis; - 2. inhonesta et impossibilis; - 3. contra substantiam aut bona matrimonii. Sub *conditione honesta* venit conditio *potestativa,* quae impleri valet salvis honestatis legibus, sub *possibili* venit, quae evenire potest vel non evenire. *Inhonesta* vero est *potestativa,* quae impleri nequit nisi honestatis legibus despectis; quemadmodum *impossibilis,* quae ex *natura rei* vel *de facto* impleri non potest; prout si dicas te velle digito coelum tangere, vel montem aureum in dotem afferre. Quamvis quandoque dicatur impossibile quod contra leges est; id enim non posse censemur quod lege non licet. Contra substantiam matrimonii proprie loquendo ea est conditio in pactum expresse deducta, qua mulier in antecessum a se abdicat potestatem in corpus viri, et vir similiter potestatem in corpus mulieris, sicut ostendit Benedictus XIV *De Synod. dioeces. lib.* 13 *cap.* 22 *num.* 10. Cui juxta nonnullos Canonistas affinis est altera conditio « qua contrahentes hujusmodi potestatis usum et actum quemlibet sibimet in antecessum interdicunt » de qua deinde agemus. Contra bona autem matrimonii eae sunt conditiones, quae adversantur triplici ejus bono, nempe *prolis, fidei* et *sacramenti.* Primum enim bonum matrimonii est *procreatio et educatio prolis,* proinde omnes conditiones, quae opponuntur procre-

ationi prolis, vel ejus conservationi, ut de procuratione abortus, prolis natae suffocatione aut alia occisione dicuntur esse huic bono contrariae. Aliud bonum est mutua fidelitas, cui adversantur quaecumque conditiones de ea fide frangenda. Tertium bonum dicitur sacramenti, hanc enim indissolubilitatem matrimonium christianorum omnimode consecutum est ex elevatione ad sacramentum quam antiquitus habebat sed per libellum repudii dimissam; ut proinde non sit casus, quo matrimonium christianorum consummatum resolvatur nisi morte interveniente. Cui bono adversantur illae omnes conditiones, quae de hac resolvenda individua vitae consuetudine disserunt praeter casum mortis. - Affinia conditionum sunt: - (a) *modus* qui est qualitas adjecta dispositioni, vel adjectio oneris, ad quod post contractum perfectum volumus obligare contrahentem, ut « *duco te, ut mihi procures officium.* » Modus proinde supponit dispositionem perfectam. - (b) *Causa* est ratio, ob quam contractus initur, ut: « *duco te quia dives es.* » - (c) Demonstratio demum est qualitas, per quam determinatur vel demonstratur persona, cum qua contractus initur, uti « *duco te, quae filia es principis.* »

3.° Quibus praemissis de conceptu conditionis et affinium, loquendum nunc est, nempe de vi sponsalium et matrimonii sub conditione initi. Et primo loquimur de conditione honesta et possibili. Nemo umquam negavit posse sponsalia iniri sub

hac conditione, solum de aliqua conditione quaeri potest an sit honesta vel turpis; quod tamen dependet a modo verificationis, prout de conditione: « si virgo es », et tunc ea sponsalia vim habebunt, cum conditio verificata est, tunc enim fiunt absoluta, et utrumque producunt effectum nempe impedimenti impedientis et dirimentis. At antequam conditio fuerit impleta neutrum impedimentum enascitur, sed tantum obligatio contrahitur attendendi adimplementum conditionis, quae adeo urget ut posteriora quaevis sponsalia reddat invalida inita primis adhuc non resolutis, prout demonstrant Doctores apud Schmalzgrueber *h. t. num.* 54. Idem dicendum circa matrimonium, etsi enim non liceat absque gravi causa matrimonium sub conditione etsi honesta et possibili contrahere, atque Ecclesia id indiscriminatim non sinat propter abusus, qui possunt irrepere, id tamen ex causa permittitur, et quantumcumque illicitum matrimonium sub tali conditione editum semper est validum, cum conditio verificata est, atque tunc omnes habentur effectus matrimonii validi. Ita formiter decisum esse in *cap.* 5 *h. t.* communiter censent Doctores. Tantummodo quaestio inter eos erat: an tempore verificatae conditionis deberet iterari consensus, vel sufficeret perseverantia in primo; quae difficultas praesertim vires habuit post Concilium Tridentinum, quod voluit matrimonium iniri coram Parocho et testibus. Verum cum talis casus fuisset oblatus S. Congregationi

Concilii, prout refert Fagnanus *ad cap.* 5 *h. t. num.* 2 *et seqq.* decisum fuit non esse necessariam iterationem consensus, atque decisio fuit a Clemente VIII probata, quamvis noluerit hanc decisionem omnibus casibus inservire, sed omnes qui acciderint in futurum cum suis circumstantiis esse specialiter considerandos. Antequam vero impleatur conditio, matrimonium adhuc non est, ita ut si interim aliud matrimonium concilietur quantumvis illicitum, quia necessarium est attendere verificationem conditionis, est tamen validum, nec irritum fit verificata postea conditione primo matrimonio injuncta, quia secundum initum est primo nondum valido. De matrimonio vero cum duabus cum conditione in futurum pendente contracto tutius cum Schmalzgrueber *h. t. num.* 56 *et* 57 tenemus illud praevalere, cujus conditio prius verificata est; sed si conditiones eodem tempore verificentur, tunc neutrum est validum cum utrumque matrimonium tali casu esset incertum.

4.° Quid porro dicendum est de matrimonio et de sponsalibus actis cum conditione inhonesta aut impossibili? Si ea simpliciter inhonesta sit aut impossibilis habetur pro non adjecta, ac proinde matrimonium est jam ab initio absolutum et validum. Id expresse constat ex *cap.* 7 *h. t.*, atque dicitur receptum in favorem matrimonii, quod sic explicatur. Cum enim dubitari facile possit an talis conditio impossibilis vel simpliciter turpis serio vel per jocum a contrahentibus fuisset apposita, et ex

altera parte periculosum esset ea matrimonia dissociare, de quibus non constat quod invalida sint, maluit Ecclesia interpretari mentem contrahentium et statuere eam conditionem potius praesumendam esse adjectam ex joco; cum qui serio eam conditionem matrimonio apposuit, facile posset vitare periculum animae si conditione rejecta absolute in matrimonium consentiret. Ex quo sequitur Ecclesiam in hoc casu non supplere consensum, sed praesumere fuisse absolute praestitum, quae praesumptio ex jure positivo est inducta in favorem matrimonii. Est vero praesumptio *juris tantum*, non etiam *de jure;* proinde valet solummodo *in dubio*, et admittit probationes in contrarium, et tunc deciditur pro invaliditate matrimonii, quia serio adjecta conditione, usquedum ea non verificatur, non habetur consensus, qui suppleri neque ab Ecclesia potest. Hinc haberi potest oppositio inter judicium fori interni et externi, si quis probare nequit a se fuisse serio conditionem appositam. - Controvertitur a Doctoribus: an hic favor sit pro sponsalibus concessus ut pro matrimonio? Probabilior in puncto juris est opinio negativa, quam defendit S. Thomas *in* 4 *dist. unic. art.* 3, eumque secuti plures Doctores. Cum siquidem canon loquatur simpliciter de matrimonio, ad sponsalia trahi non debet, nisi habeatur saltem eadem ratio; quod in casu non subsistit, non enim est tam periculosum irrita supponere sponsalia, quae fuissent valida. Hinc est quod sponsalia sub

conditione impossibili inita sunt nulla, prout deciditur de aliis contractibus, quia adjectio conditionis impossibilis potius dissensum quam consensum naturaliter denotat, et ex altera parte non habetur favor juris positivi. At si conditio est simpliciter turpis, tunc post ejus *tantum* eventum habetur obligatio ex sponsalibus, licet ante conditionis eventum non habeatur obligatio ad expectandum eventum, cum inducat ad peccatum, ad quod obligatio nulla datur. - Hic videtur esse locus pertractandae antiquae quaestionis: an inter habentes impedimentum dirimens valida sint sponsalia sub conditione si Pontifex dispensaverit? Qua super quaestione etsi antiquitus jam fuisset data a Doctoribus responsio affirmativa cum congruis limitationibus, hodie iterum concertatio efferbuit adductis in contrarium nonnullis rationibus magis speciosis quam efficacibus et allegatis quibusdam auctoritatibus, quae ad rem non faciunt. Asserimus ergo, quod si agatur de impedimento dirimente, in quo Pontifex *possit et soleat* dispensare *simulque habeantur rationes sufficientes ad petendam et impetrandam dispensationem*, valida inter eos erunt sponsalia sub hac conditione edita « si Pontifex dispensaverit » sed istorum sponsalium validitas tunc habetur, quando dispensatio extitit sicut verificatur in quibusvis sponsalibus sub honesta et possibili conditione editis, quae adimpleta conditione firmantur. Unusquisque profecto intelligit rationabilitatem limitationum, quae proposi-

tioni appositae sunt. Frustra enim quaereretur dispensatio in impedimento dirimente aut juris divini positivi aut juris naturalis, in quibus Pontifex dispensare nequit, et proinde habilitas personarum non posset haberi: sicut frustra quaereretur dispensatio in impedimento juris ecclesiastici, in quo tamen Pontifex non soleat dispensare prout est primus gradus affinitatis in linea recta ex copula licita, in quo S. Sedes numquam dispensavit; quemadmodum demum frustra quaereretur dispensatio etiam in impedimento, in quo Pontifex soleat dispensare, si non haberentur causae legitimae ad petendam dispensationem, cum Pontifex non dispenset sine congrua et legitima causa. Hisce autem limitationibus positis conclusio est vera, cum illa conditio sit possibilis et honesta, ac proinde sponsalia, quibus adjicitur, consistunt, eaque dispensatione impetrata sunt obligatoria. Neque est insuetum quod alii etiam actus tam inter vivos quam mortis causa compleri valeant sub conditione dispensationis vel consensus praestandi a principe, praesertim quando in tali re se exorabilem Princeps exibuit; ut in re matrimoniali, in qua Doctores Practici expendunt causas, quibus existentibus solet a Pontifice concedi diversorum impedimentorum dispensatio. Id tamen est advertendum non statim ea sponsalia valere cum eduntur, sed tunc tantum cum conditio apposita verificata est, et tempore intermedio incurritur obligatio procurandi dispensationem

ejusque exitum attendendi. Neque cum verificata est conditio est necessarium quod sponsalia a contrahentibus confirmentur ut valeant; sufficit enim perseverantia antiqui consensus, qui adimpleta conditione ex conditionali vertitur in absolutum. Si quis vero a sponsalibus recedat ante impletam conditionem, profecto hic sustinere potest se non contraxisse sponsalia valida, quia nondum ea nacta erant validitatem non expleta conditione. Atque hunc casum respiciunt omnes allegatae auctoritates ex decisionibus Rotae Romanae et S. Congregationis Concilii citatis a Schmalzgrueber *h. t. num.* 81 *et seqq.* et a Gury cum Ballerini *De matrimonio num.* 725 *quaer.* 4 *nota (a)*, proinde non ostendunt, quod ab allegantibus intenditur.

5.° Si demum conditiones appositae sunt contra substantiam vel bona matrimonii, censendum est ex *cap.* 7 *h. t.*, quod qualiscumque sit favor matrimonii, illud tamen nullum omnino reddant. Quod intelligitur, cum talis conditio apposita sit ab ambobus contrahentibus; si enim ab uno tantum fuerit adjecta altero contradicente aut saltem tacente, matrimonium valet, cum censeatur ab ea conditione recessisse posita contradictione aut taciturnitate alterius, atque matrimonium simpliciter vel absolute contrahere, prout cum communi tenet Fagnanus *in commentar. ad cap.* 7 *h. t. num.* 4 in favorem matrimonii fuisse receptum. Quod autem in tali hypothesi matrimonium sit

invalidum non est speciale huic contractui, neque ex jure positivo, sed generale cum omnibus aliis contractibus et ex jure naturali. Etsi enim permissum sit apponere contractibus conditiones, quae quomodolibet modificent eorum obligationes, non tamen admittitur, quod inserantur conditiones eorum substantiae oppositae, ut puta quod contractui emptionis inseratur pactum ut emptor rei venditae dominium nullo pacto acquirat. Id enim si admitteretur, voluntas in contraria eodem actu et tempore traheretur, seu aliquid vellet et simul non vellet, quod est contradictorium. Plures porro sunt istae conditiones, nec solummodo illae, quae referuntur a Gregorio IX *in cit. cap.* 7 *h. t.*, neque omnes inhonestae, sed possunt esse quoque honestae, cum non sit earum inhonestas, quae nocet, sed quod sunt aut substantiae aut bonis matrimonii contrariae. Prima quae notatur est, qua contrahentes a se in antecessum abdicant potestatem in corpus alterius: et jure quidem, cum contractus matrimonialis importet essentialiter potestatem in corpus alterius ad actus de se aptos ad prolis generationem, sine qua potestate nequit concipi matrimonium, et haec vocantur jura conjugum. Hanc vero conditionem utpote contrariam substantiae matrimoni illud reddere invalidum confirmatum est ex celebri decisione S. Congregationis Concilii in *Causa Ulyssipon. Occident.* proposita et resoluta sub *die* 8 *Julii anni* 1724, quam refert Benedictus XIV *de Synod. dioeces. lib.* 13 *cap.* 22

num. 10. Atque de hac re amplius dubitari nequit. Quod adhuc anceps penes Doctores existit, est judicium conditionis, qua contrahentes in antecessum sibi interdicunt hujusmodi potestatis usum et actum quemlibet. Haec altera conditio juxta nonnullos Doctores identificatur cum prima et non minus est contraria substantiae matrimonii, cum sibi asserere potestatem, eodemque momento sibi quemlibet actum vel usum istius potestatis ex pacto interdicere idem sit ac illam potestatem sibi non acquirere, quod est contra substantiam matrimonii ex dictis, quodque non verificatur cum tempore successivo sive singillatim, sive ex condicto conjuges usui matrimonii renuntiant. Alii vero Auctores acriter dimicant contendentes hanc conditionem esse toto coelo a prima diversam, et cum ea posse matrimonium vere subsistere; prout defendit Ballerini apud Gury *De matrimonio num.* 752 *nota (c)*. Disputationi Doctorum hanc quaestionem relinquimus; atque id tantum notamus, eos qui pro admissione talis conditionis pugnant non posse suam opinionem eo argumento firmare, quod in altera hypothesi actum esset de veritate matrimonii inter B. Mariam Virginem et S. Josephum; quaecumque siquidem teneatur sententia sive de validitate sive de invaliditate matrimonii sub illa conditione, semper inconcussa manet veritas praefati matrimonii, prout Benedictus XIV perspicue demonstrat *op. et cap. cit. num.* 13 his verbis: « Qui affirmant, Beatis-

» simae Virginis matrimonium cum Sancto Jose-
» pho in solis sponsalibus constitisse, ii temere
» falsoque opinantur. Itaque pro certo tenendum
» est, primo, matrimonium inter eos contractum,
» fuisse verum et ratum: secundo, Beatissimam
» Virginem, antequam cum Sancto Josepho ma-
» trimonio conjungeretur, votum quidem emisisse
» castitatis perpetuo servandae, ea tamen addita
» conditione, si ita Domino placuisset; nam sub
» mosaica lege oportebat generationi insistere tam
» mulieres, quam viros: tertio, cum eadem Bea-
» tissima Virgo, ante celebrationem matrimonii,
» ex peculiari revelatione intellexisset, suum con-
» servandae castitatis propositum divinae volun-
» tatis assensu comprobari, hujusmodi voto jam
» se absolute obstrinxisse: quarto, ante ipsum
» quoque matrimonium, Deo pariter revelante,
» manifestatum Beatissimae Virgini fuisse simile
» Sancti Josephi propositum de servanda in ma-
» trimonio Virginitate: denique, cum Beatissima
» Virgo Sanctusque Joseph in matrimonium sese
» conjunxerunt, nullam omnino apposuisse con-
» ditionem, idque satis est, ut affirmemus, nihil
» ex eo matrimonio colligi posse, quod veritatem
» illam evertat, scilicet nullum et irritum esse
» matrimonium, in quo contrahendo adjicitur con-
» ditio aliqua illius substantiae contraria. Haec
» est Sancti Thomae doctrina *in 4 sent. dist.* 30
» *quaest.* 2 *art.* 1 *ad.* 2. En ejus verba: *Beata*
» *Virgo, antequam contraheret cum Joseph, fuit*

» *certificata divinitus, quod Joseph in simili pro-*
» *posito erat; et ideo non se commisit periculo*
» *nubens: nec tamen propter hoc aliquid veritati*
» *deperiit; quia illud propositum non fuit condi-*
» *tionaliter in consensu appositum: talis enim con-*
» *ditio, cum sit contra matrimonii bonum, scilicet*
» *prolem procreandam, matrimonium tolleret.* »

6.° Quod vero attinet ad conditiones contrarias bono prolis, quia uni ex tribus bonis principalioribus et substantialibus matrimonii opponuntur, reddunt pariter invalidum contractum. Neque interest an illae conditiones sint turpes, vel non, dummodo sint in pactum deductae. Similiter dicendum est de conditionibus, quae opponuntur bono fidei, aut sacramenti, quae sunt alia duo bona matrimonii principaliora et substantialia. Circa hoc tamen recte perpendendum est, quod Benedictus XIV *op. et loc. cit. num.* 7 notat, nempe distinguendum esse errorem particularem ab apposita conditione. Si enim utraque pars vel una ex contrahentibus in errore sit vel circa substantiam vel circa unum ex substantialibus bonis matrimonii, puta de matrimonio in casu adulterii resolvendo, non est statim concludendum matrimonium celebratum esse invalidum, sed dispiciendum est an fuerit expresse in pactum id deductum, vel non. Et porro si est in pactum id deductum, certissime matrimonium est invalidum, quia quicumque contractum vult, necesse est ut

ejus substantialia velit; conditio autem de resolvendo conjugio per adulterium opponitur bono sacramenti. At si expressa illa conditio de matrimonio ob adulterium dissolvendo apposita minime fuerit, quamtumvis contrahentes in eo fuerint errore, ut matrimonii vinculum per adulterium dissolvi posset, nihilominus locus est praesumptioni, ut, dum matrimonium, prout a Christo istitutum fuit, inire voluerunt, illud omnino perpetuum, ac, interveniente etiam adulterio, insolubile contrahere voluerint; praevalente nimirum generali, quam diximus, voluntate de matrimonio juxta Christi institutionem ineundo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente: quo fit, ut matrimonium ita contractum, validum firmumque maneat. Quam doctrinam secuta est semper ac constanter Congregatio S. Officii, quoties sese obtulit decidenda validitas matrimonii vel inter duos Calvinistas vel inter Calvinistam, qui tali errore infecti sunt et Catholicum prout eo loci refert Benedictus XIV *cit. loc.* Haec autem omnia valent *ratione praesumptionis et in foro externo*; nam in foro interno si utraque contrahentium pars aut una saltem vellet contrahere cum errore circa substantiam vel circa unum ex bonis substantialibus matrimonii, adeoque insisteret in hoc errore non contracturus, si aliter res se haberet, ut dici posset error hic esse non concomitans sed antecedens, tunc in foro conscientiae hoc matrimonium esset

invalidum juxta Sanchez et De Lugo apud Ballerini in Gury *De matrimonio num.* 752 *nota (a)*. Imo si et in foro externo probari id possit, neque in foro externo subsisteret hoc conjugium: quod tamen difficillimum probatu est. Hinc intelligitur clare invalidum esse conjugium si pagani aut judaei contrahant matrimonium ea conditione, ut possint dare libellum repudii, de qua quaestione agit Schmalzgrueber *h. t. num.* 129 *et seqq.* Demum ex dictis patet responsio ad quaestionem: an quoque sponsalia vitientur, seu reddantur nulla per conditionem contrariam substantiae et bonis matrimonii? Nam si haec conditio adimpleri debet post matrimonium contractum et sic in sponsalibus cavetur, neque valent sponsalia, quippe habetur promissio contractus cum conditione contraria substantialibus contractus ejusdem. At si conditio sit adimplenda ante matrimonii conclusionem, tunc erunt sponsalia invalida, si ea adversetur bono prolis vel bono fidei, non autem si adversetur bono sacramenti, quia sponsalia sunt de se resolubilia, quemadmodum cum communi Doctorum docet Schmalzgrueber *h. t. num.* 132 *et seqq.*

7.° Demonstratio aut causa sive turpis sit sive honesta, vera aut falsa *per se* numquam suspendit vel vitiat matrimonium, sed semper habetur pro non adjecta; nam per adjectionem demonstrationis vel causae non tollitur consensus

necessarius ad substantiam contractus. Diximus *per se;* nam si demonstratio vel causa additur ad modum conditionis, cui alligatur consensus; aut falsa causa vel demonstratio includeret errorem, qui refunditur in personam; tunc in utroque casu falsa demonstratio vel causa vitiaret matrimonium, prout hoc vitiatur ex non verificata conditione, cui alligatur consensus, sive ex errore, qui refundatur in personam; sicuti loquitur cum communi Sanchez *de matrimonio lib.* 5 *disp.* 19 *num.* 2, Pirhing *h. t. num.* 29, aliique. Modus pariter sive honestus vel turpis matrimonium non vitiat, quia non tollit vel suspendit voluntatem contrahendi. At si est contrarius substantiae aut bonis matrimonii, tunc annullat matrimonium ex *cap.* 7 *h. t.;* quia quando contrahens vult alterum obligari ad praestandum aliquid repugnans ipsi substantiae contractus, satis significat se non habere veram ac seriam voluntatem ineundi talem contractum; at vero sine consensu contractus non subsistit. - Ultimo quaeritur quam vim habeant sponsalia vel matrimonium contractum in diem certum vel incertum? Et convenit inter Doctores dispiciendum esse an dies sit *terminus a quo* incipiat contractus, vel *terminus ad quem* contractus finiatur. Hoc autem posito dicendum est primo modo diem adjectum habere *vim conditionis suspensivae,* et facere ut ante diem signatum obligatio matrimonialis aut sponsalitia non enascatur: secundo autem

modo diem adjectum habere vim *conditionis resolutivae*, ac consequenter sponsalia de futuro posse hoc modo contrahi, at non matrimonium, quod semel initum non patitur conditionem resolutivam, sed semper permanet.

TITULUS VI.

Qui clerici vel voventes
matrimonium contrahere possunt.

1.° Cum in Libro III actum sit de matrimonio antecedente conversionem ad clericatum vel ad religionem, hic agitur de matrimonio, quod consequitur susceptionem ordinis aut editionem professionis religiosae; proinde agitur de impedimento dirimente ordinis et professionis religiosae.

2.° Per ordinem sacrum, nempe Presbyteratum, diaconatum et subdiaconatum dirimi matrimonium postea contrahendum hodie certum est atque definitum a Concilio Tridentino *sess.* 24 *de sacramento matrimonii can.* 9, et jam certum erat ex *cap.* 1 *et* 2 *h. t.* ac *can.* 1 *et* 4 *dist.* 32 *in Decreto*. Consulto diximus de matrimonio postea contrahendo, quia ordo sacer non dissolvit matrimonium jam antea valide contractum etsi fuerit

simpliciter ratum, prout edocemur ex *Constit. Extrav. un. Joannis XXII de voto*. Cum vero id non proveniat ex natura ipsa Ordinis Sacri aut ex mandato divino, quod pluribus demonstratur, et praecipue ex eo quod Ecclesia in hoc dispensat, verum tantummodo ex lege ecclesiastica; disputant Doctores inter se, quo primum tempore id fuerit constitutum. Perpetuae continentiae custodiam divinis sacrorum ministeriorum institutionibus maxime consentaneam in Ecclesia Latina jugiter fuisse servatam ab Episcopis, presbyteris et diaconis, ut non modo a conjugiis deinde ineundis abstinerent, sed et a contractorum usu prohiberentur indubitata res est. Et quoniam non constat quo primum tempore canones ad hanc rem conditi fuerint, et usus latinorum, imo et universarum ecclesiarum occidentalium talis apparet, ut ejus initii nulla extet memoria, facile concluditur, eum ab ipsa apostolica aetate, aut ad ipsa apostolica tempora valde proxime invaluisse; praesertim cum et Apostolorum praxi firmetur. Hanc rem docte pertractat Berardus De Conjugiorum juribus *dissertatione IV cap. V*. Hanc legem continentiae fuisse a Romana Ecclesia subdiaconis impositam constat ex *can.* 1 *distinct.* 28, ex *can.* 1 *distinct.* 31 et *can.* 1 *distinct.* 32, quae serius ad alias Ecclesias traducta est, nempe saeculo sexto in Hispaniam *can.* 5 *dist.* 37, saeculo septimo in Siciliam *can.* 1 *dist.* 31 et *can.* 2 *dist.* 32, et paullatim in alias provincias, donec tandem factum est, ut

id in universum Occidentem et generaliter ac sine discrimine custodiretur *can.* 2 *dist.* 28 et *can.* 10 *et* 11 *dist.* 32, ex quo etiam profectum fuit, ut postularent subdiaconi se inter sacros ministros accenseri, quoniam exinde *sacer* ordo subdiaconatus dici poterat. Disciplina graecae Ecclesiae consonavit perpetuo cum disciplina latinorum quoties de Episcopis ageretur; his enim neque licitum aliquando fuit uxores ducere, neque nuptiis ante ordinationem contractis uti, quamvis remissior fuerit respectu presbyterorum, diaconorum et subdiaconorum saltem post Concilium Trullanum; his enim quamquam interdictum fuerit matrimonia post ordinationem contrahere, indultum tamen est, ut conjugiis ante ordinationem contractis uterentur. Primis autem Ecclesiae saeculis matrimonia clericorum majorum ut illicita non constat fuisse constituta invalida, eo quod id non legimus. Exinde mihi videtur probabilior sententia Berardi, qui putat id primo factum esse ex lege Imperatoris Justiniani ab Ecclesia receptae et canonizatae, quae deinde saeculo XII et sequentibus in vigorem revocata est aliis pontificiis decretis. Citatus auctor sic loquitur: - « Primum irritatae fuisse videntur » majorum clericorum nuptiae lege Imperatoris Ju- » stiniani, qui cum plurimas edidisset favore Ec- » clesiae constitutiones, etiam in hac parte nihil » omisit, in quo cleri decus a quibusdam sacri- » legis neglectum restitui quoquo modo posset. » Ipse in *L.* 45 *cod. de episc. et cler.* animadvertens

» satis non fuisse poenis canonicis, quae in sola » gradus amissione consistebant, terrere clericos » libidini deditos, amplius progrediendum voluit, » nimirum confirmata eadem Canonum poena, de» crevit praeterea, ut conjugium irritum esset, » quod indicavit, cum expresse dixit, liberos, qui » ex eo nascerentur, legitimos ac proprios non fore, » sed tanquam tales habendos, ac si ex incestis » et nefariis nuptiis progeniti essent, ita ut neque » naturales, aut nothi, seu spurii intelligerentur, » sed prorsus et undique prohibiti, et nihil de pa» terna successione sperarent. Exinde liquet, non » satis probari posse illorum opinionem, qui scri» pserunt saeculo primum undecimo ea conjugia » irritata omnino fuisse sub Urbano II confirmata » disciplina a subsequentibus Pontificibus maximis » Callisto II et Innocentio II *can.* 8 *dist.* 27, *can.* 2 » *dist.* 28, *can.* 40 *caus.* 27 *qu.* *I.* Non nova in» ducta his canonibus videtur disciplina, sed vetus » confirmata, aut restituta, quam ideo confirmare, » aut restituere necesse fuit, quod gravissimi essent » ferreis illis saeculis clericorum abusus, quorum » alii matrimonia passim contrahere non vere» bantur, alii in turpi concubinatu versabantur, » non in eos animadvertentibus Ecclesiarum prae» latis, aut parum tunc de sacra disciplina solli» citis, aut in eadem vitia pronis, dicto *can.* 2 » *dist.* 28, *can.* 15 *dist.* 81, *can.* 1 *dist.* 83 » et alibi pluries. - Ut sacri canones pressius ur» gerent clericos in majoribus ordinibus consti-

» tutos, onus ordinandis imposuerunt, ut conti-
» nentiam se servaturos Deo promitterent, ac vo-
» verent *canon.* 1, 6 *et* 7 *dist.* 28, quasi tunc
» magis admoniti clerici viderentur, ne spem nup-
» tiarum contrahendarum quandoque conciperent.
» Hinc profecta quaestio est, an ex vi voti, an
» potius ex vi susceptae ordinationis clerici a
» nuptiis arceantur. Ex iis, quae hucusque tradita
» sunt facile dirimitur quaestio: profluit enim in
» primis, votum illud per se illicitas quidem red-
» dere nuptias non vero penitus irritare; deinde
» colligitur, nuptias ipsas non irritari ex vi ordi-
» nationis, sed potius ex vi legis ab Ecclesia re-
» ceptae, ac confirmatae. Quod si perspectum ha-
» buisset Gratianus, non adeo laboravisset in di-
» stinctione elucubranda votorum, quorum alia
» dixit simplicia, alia non simplicia, sive solemnia,
» distinctione, inquam, toti vetustati prorsus igno-
» ta. Veniam demus collectori, qui reparare col-
» lapsam studiorum disciplinam obscuro saeculo
» invectis variis scholae accomodatis distinctio-
» nibus voluit, neque aliter scivit veterum cano-
» num sententias conciliare, quorum aliis post
» votum irritae, aliis validae nuptiae declara-
» bantur *can.* 2 *et* 9, *dist.* 27, quam priores in-
» telligendo de solemni, posteriores de simplici
» voto. Quod si hac invecta distinctione tenebris
» obscurioribus rem offudit, quoniam solliciti in-
» terpretes statim investigare coeperunt, quaenam
» vota solemnia, quaenam simplicia dicerentur,

» Bonifacius VIII disciplinae veteris puritatem re-
» stituit, atque retenta nova illa distinctione, tan-
» quam in scholis vulgata, et pene trita, votum
» solemne dixit, sive quod in susceptione sacri or-
» dinis, sive quod in professione religionis fieret,
» cetera esse simplicia declaravit *c. un. de voto*
» *in* 6, quod idem erat ac definire, tum demum
» conjugia post votum irrita habenda esse, cum
» legibus irritarentur; noverat enim jurisperitus
» Pontifex, non alias voventium nuptias decretis
» irritantibus a legibus fuisse improbatas, quam
» eas, quae vel post susceptionem sacri ordinis,
» vel post monasticam professionem contractae
» fuissent. Exinde etiam colligitur, eum qui ea
» mente ad sacram ordinationem accesserit, ut vo-
» vere nullo modo vellet, imo et aperte profiteretur,
» se nolle continentiae lege teneri, nihilominus utut
» nullum sit votum, lege continentiae obstringi,
» et contractas postea nuptias in irritum cadere,
» quemadmodum et dicendum est de eo, qui votum
» fieri ordinationis tempore debere ignoraverit. E
» converso siquis ordinatur ita, ut ordinatio deinde
» irrita dignoscatur, puta, quia ordinator non erat
» Episcopus, licet continentiae votum emiserit, eo
» non obstringetur adeo, ut nuptiae postea secutae
» irritae habeantur. Idipsum dicendum puto, si
» metu gravi quisquam ad ordinationem sacram
» accesserit; ad hanc enim speciem pertinere non
» videntur publicae leges, quae sacrorum admini-
» strorum nuptias improbaverunt, nisi tamen ces-

» sante metu clericus ratum habeat libere, quod
» egit, quemadmodum contingeret, si officium su-
» scepto ordini adnexum sponte exerceret. »

3.° Ex quo talis sententia fuerit praelata alteri edicenti fuisse irrita facta clericorum majorum connubia saeculo XII, facile intelligitur cur ea comprehendat quoque Ecclesiam graecam. Certum enim est Canones a Latinis editos disciplinares post saeculum IX non respexisse Ecclesiam graecam, quod ab omnibus admittitur. Quam sententiam secuta est S. Congregatio de Propaganda Fide in *Instructione transmissa ad Archiepiscopum Provinciae Ecclesiasticae Fogarasiensis et Alba-Juliensis sub die 24 Martii* 1858; cujus tenorem praestat hic referre: - « Non latet Amplitudinem Tuam quantum
» Apostolica Sedes elaboraverit, ut fideles cujus-
» cumque ritus ac disciplinae, veluti membra
» ejusdem mystici corporis sub uno in terris ca-
» pite divina institutione conjuncta, in unitate spi-
» ritus inviolate perstarent; atque ut etiam illi qui,
» a veritate declinantes, ab unitate catholica disces-
» serant, tandem aliquando ad Ecclesiae sinum
» redirent; denique ut unitas fidei ac sanctitas di-
» sciplinae ubique terrarum floreret. - Etenim cum
» fides, per infallibile Ecclesiae magisterium pro-
» posita, non humanis rationibus, sed divinis
» prorsus oraculis Deique revelantis auctoritate in-
« nitatur, unica omnino eademque apud omnes
» esse debet qui Christi Corpus constituere et in
» unico ejus ovile vivere exoptant: ecclesiastica

» vero disciplina, quamvis pro rerum ac temporum
» varietate, sive pro diversa illustrioris alicujus
» Ecclesiae traditione ac consuetudine, externam
» veluti varietatem non respuat, tamen necesse
» omnino est ut nil contineat quod non ejusdem
» fidei sanctitati respondeat, nihil quod morum do-
» ctrinae vel ecclesiasticae honestati adversetur. -
» Quo autem consilio, qua pastorali sollicitudine
» id praestiterint, praesertim quoad orientales, Ro-
» mani Pontifices, quibus divinitus commissa est
» cura omnium Ecclesiarum, historiae ecclesia-
» sticae monumenta luculenter ostendunt, et Be-
» nedictus XIV, immortalis memoriae Pontifex,
» in percelebri Encyclica « *Allatae sunt* » ob oculos
» evidenter ponit quae dixerit quaeve constanter
» egerit Apostolica Sedes a Nicolao primo Sanctis-
» simo Pontifice ad sua usque tempora, ut orien-
» tales ad unitatem fidei ac pristinam disciplinae
» puritatem reduceret atque in ea firmissime so-
» lidaret. - Qua in re omnis plane cura in eo col-
» lata fuit, ut detersis erroribus quos, durante schi-
» smate, inimicus homo clanculo superseminа-
» verat, de cetero ritus orientalis qua in parte nec
» fidei catholicae adversatur, nec periculum ge-
» nerat animarum, aut ecclesiasticae derogat hone-
» stati, inviolatus firmusque maneret. - Quod li-
» bentissimo prorsus animo praestitit etiam SS.
» D. N. Pius Papa IX decessorum suorum exi-
» mius aemulator: vix enim S. Petri Apostolorum
» Principis cathedram conscendit, orientales omnes

» ad peroptatam concordiam amantissimis plane
» litteris excitare, jamque unitos favoribus augere
» non destitit, id unum requirens, ut errores omni-
» modi evellerentur, sed ritus orientalis maneret
» inviolatus, quemadmodum et disciplina quam
» ante schisma orientales servabant et profite-
» bantur, quaeque venerandis ipsorum antiquis li-
» turgiis ac ritualibus innititur, religiose custodi-
» retur. - Equidem non alio consilio novam eccle-
» siasticam Provinciam, ab Alba-Julia dictam,
» praelaudatus Pontifex instituit, quippe qui ex-
» plicate mandavit, ut forma atque administratio
» ad ritum et disciplinam Orientalis Ecclesiae exi-
» geretur; ut insuper vel tali exemplo etiam dis-
» sidentes allecti ac unitatis studio, aspirante Deo,
» excitati, facilius in gremium catholicae unitatis
» se reciperent. Quoniam vero disciplina istius Pro-
» vinciae non satis apte in aliquibus ad exemplum
» Orientalis Ecclesiae composita videbatur, ideo
» Sanctitas Sua voluit, ut Episcopi memoratae
» Provinciae una Tecum, collatis consiliis, rela-
» tionem de his omnibus, appositis lucubrationibus
» commentatam, exhibere curarent, ut inde, rebus
» sedulo perpensis, opportune provideretur. - Quod
» ubi accepit A. T. laudabili quidem sollicitudine
» praestitit per litteras pridie Kalendas Decem-
» bris 1856 datas perque insuper adjuncta folia,
» ubi plura habentur quae disciplinam spectant
» orientalem et consuetudines moresque istius no-
» vae Provinciae. Porro Sanctitas Sua, cui nihil

» est potius quam ut disciplina orientalis in sua » puritate vigeat ac servetur, summopere in primis » desiderans, ut qui, vocante Deo, sacris addi- » cuntur ministeriis, nedum doctrina verum etiam » integritate vitae praefulgeant, ut verbo et exem- » plo fideles, quibus praesunt, possint instruere » in doctrina sana, et eos qui contradicunt, etiam » puritatis vitae exemplo arguere, voluit ut per » hanc S. C. de Prop. Fide quaedam interim Am- » plitudini Tuae ceterisque istius Provinciae Epi- » scopis significarentur quoad continentiam cleri- » corum, quaeve ad ea referuntur quae in prae- » dictis foliis a Te transmissis continentur Ti- » tulo IV « *De Matrimonio clericorum,* » in Epi- » stola vero § XII. - Qui germanam traditionem » de coelibatu ac continentia cleri sedulo expen- » derit, inveniet profecto vel a primis Ecclesiae » catholicae saeculis, si non generali et explicita » lege, moribus saltem ac consuetudine fuisse fir- » matum, ut nedum Episcopi et Presbyteri, sed » ut clerici in sacris constituti virginitatem vel per- » petuam continentiam inviolate servarent. Eadem » quippe sacri ministerii dignitas, cui officia prope » divina tribuuntur, id exigere videbatur, ut qui » immolare ac etiam producere deberent immacu- » latam victimam, quae ipsa est sanctitas ac pu- » ritas, aut virginitatis candore aut perpetua con- » tinentia niterent. Amplissima insuper Sanctorum » Patrum traditio vel virgines vel post nuptias per- » petuo continentes demonstrat Apostolos, unde

» et ipsi non alios sibi successores adscivere quam » qui virginitatem coluissent aut inviolatam con- » tinentiam profiterentur. Hic non immorandum » quid Apostolorum exemplo ac institutis edocta » egerit ac docuerit Romana Ecclesia ceterarum » Mater ac Magistra, quippe quae nunquam illam » servandae castitatis obligationem intermisit, per » totam occidentalem Ecclesiam salubriter propa- » gavit, ac tandem inviolabili lege sancivit. Sed » et apud orientales coelibatus aut continentia cle- » ricorum, praeterquam quod maximo fuit semper » in honore, antiquissimo ab usque tempore, in » Ecclesiis praesertim ubi disciplina Episcoporum » sedulitate florebat, religiose servabatur. Epipha- » nius siquidem, vir sanctitate ac doctrina insignis, » quique Orientalis Ecclesiae disciplinam optime » norat, in expositione catholicae fidei (*n.* 21) con- » ceptis verbis affirmat « Sacerdotium ex virginum » ordine praecipue constare, aut si minus.... ex » his qui a suis uxoribus continent, aut secundum » unas nuptias in viduitate versantur. » Principio » etenim, prout loquitur Hieronymus « quia rudis » ex gentibus constituebatur Ecclesia » ad Sacer- » dotium aliqui etiam assumebantur qui jam ma- » trimonio juncti fuerant, sed vel in viduitate con- » tinentes vel vitam ita degebant quasi uxores non » haberent. Unde idem Epiphanius (*haeresi* 59) » diserte fatetur quemadmodum « Sancta Dei prae- » dicatio in Diaconum, Presbyterum, Episcopum » et Hypodiaconum non suscipit unius uxoris

» virum liberos adhuc gignentem, sed eum qui » se ab unica continuit aut in viduitate vixit, ma» xime ubi sinceri sunt canones ecclesiastici. » » Neque contraria alicujus Ecclesiae particularis » consuetudo seu inobservantia quidquam obstat, » dum sermo instituitur de disciplina Ecclesiae » Orientalis; etenim apposite idem Epiphanius pro» sequitur « At dices mihi: omnino in quibusdam » locis liberos adhuc gignere Presbyteros, Dia» conos et Hypodiaconos: at hoc non est juxta » canonem, sed juxta mentem hominum. » Qua» propter ambigi nequit quin Epiphanii tempore » clerici (ab Hypodiacono ad Episcopum) coeli» batum vel continentiam colerent. Quod aptissime » firmari etiam potest testimonio Hieronymi, qui » ob diuturnam in oriente commorationem, illius » Ecclesiae mores ac disciplinam perfectissime no» verat: porro S. Doctor Vigilantio, clericali con» tinentiae infensissimo, praeter alia argumenta, » factum opponit universalis Ecclesiae: « Quid fa» cient Orientis Ecclesiae, quid Aegypti et Sedis » Apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt » aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti » esse desistunt? Haec denique universalis Eccle» siae traditio, hi mores erant ubi purior disciplina » vigebat. » - Putant quidam graecorum et nimis » confidenter asserunt, Episcopos in Oriente sponte » sua, non aliqua lege adstrictos servasse conti» nentiam, quam dicunt primo in Trullana Synodo » fuisse sancitam: ast praeter clarissima Patrum

» testimonia vel ipse Justinianus qui longe ante
» trullanos canones leges disposuit, quique profi-
» tetur, se esse priorum Canonum executorem,
» non semel inculcat, ut Episcopi vel ex ordine
» eligantur monachorum, vel ex clero quidem sed
» ii qui neque filios, neque uxorem habeant, aut
» illi saltem non cohaereant. Eadem insuper viget
» disciplina apud sectas orientales quae vel ante
» Justiniani tempora ab unitate defecerant, omnes
» quippe in eo conveniunt, ut Episcopi eligantur
» coelibes. - Longe aliter accidit quoad Presbyteros
» aliosque clericos; etenim quae erat tempore Epi-
» phanii inobservantia seu laxa alicujus Ecclesiae
» particularis consuetudo, ita tractu temporis ra-
» dices agere ac propagari cepit, ut tandem totam
» pene orientalem Ecclesiam pervaserit; et invale-
» scente consuetudine, quod tantum Cantoribus Le-
» ctoribusque permissum erat, etiam Presbyteris
» tributum fuit aliisque clericis in sacris consti-
» tutis, ut nimirum cum uxoribus, quas ante
» sacram ordinationem duxerant, consuescerent.
» Quinimo eo usque in aliqua Provincia Orientali
» se protulit laxioris disciplinae aestus, ut nonnulli
» etiam post sacrorum ordinum susceptionem ma-
» trimonium attentare praesumpserint; quod tamen
» utroque iure, Ecclesiastico videlicet ac Caesareo,
» et quidem ante trullanos canones, severe ac sub
» gravissimis poenis improbatum prohibitumque
» fuit, ut vel ipsae Justiniani leges luculenter
» ostendunt. Etenim praefatus Imperator graviter

» conqueritur de quibusdam clericis, qui, *despi-*
» *cientes sacros canones* post ordinationem nuptias
» attentare praesumpserant. Sacri siquidem Ca-
» nones severe vetabant sub poena privationis sacri
» ministerii, ne qui ex Presbyteris, Diaconis ac
» Subdiaconis post hujusmodi ordinationem con-
» jugari possent; unde, prosequitur idem Justi-
» nianus « quemadmodum sacris canonibus prohi-
» bita sunt talia, sic et secundum nostras leges
» rem ipsam prohiberi » et canonicas poenas ci-
» vilibus cumulans, filios ex tali nefaria conjun-
» ctione susceptos illegitimos decernit ac si ex in-
» cestuoso conjugio prognati essent « ita ut neque
» naturales aut nothi seu spurii intelligantur, sed
» prorsus et undique prohibiti, et successionis ge-
» nitorum indigni » Hactenus Justinianus. Et
» quamvis in juribus ecclesiasticis, ut rectis-
» sime loquitur Benedictus XIV, potestati lai-
» cae sola relicta sit gloria obsequendi, non au-
» ctoritas imperandi, tamen in re, da qua agitur,
» Imperator loquitur relative ad Sacros Canones. -
» Neque obstat quod Provinciale Concilium Ancy-
» ranum Canone X Diaconis, si in ordinatione
» contestati fuerint se non posse continere, per-
» misit ut vel post ordines susceptos matrimo-
» nium contrahere possent: esto enim quod canon
» ille concessionis vim habuerit pro Ancyrana Pro-
» vincia, non poterat certe Orientalis Ecclesiae di-
» sciplinam immutare et revera non immutavit,
» prout perspicuis verbis una testantur Epipha-

» nius, Hieronymus aliique Patres, et ipse Im-
» perator apertissime tuetur. Quapropter vel ipsa
» Trullana Synodus canone VI sub depositionis
» poena generatim decernit, ut nulli penitus Sub-
» diacono, vel Diacono aut Presbytero post ordi-
» nationem nuptias contrahere liceat; unde etiam
» graecorum canonistae ultro fatentur canonem
» concilii Ancyrani a Quinisesto fuisse penitus
» abrogatum. - Quae cum ita sint facile quisque
» videt quantum a germana Orientalis Ecclesiae
» disciplina sit alienus mos ille, ut hypodiaconi,
» contrahentes post hujusmodi ordinationem ma-
» trimonium, ad superiores ordines promoveantur
» cum hoc vel ab ipsa Trullana Synodo penitus
» abhorreat. - Quapropter Sanctitas Sua, cui sum-
» mopere est cordi, ut mores istius Provinciae,
» quacumque corruptela detersa, ad normam pu-
» rioris disciplinae orientalis componantur, haud
» potest quin meritis laudibus prosequatur Am-
» plitudinis Tuae propositum iterato firmatum,
» neminem scilicet deinceps admittendi ad sacros
» ordines, nisi aut penitus coelibem aut eum qui
» ante hypodiaconatum, juxta morem orientalem,
» legitimam uxorem duxerit. Hic igitur Ampli-
» tudo Tua ceterique istius Provinciae Antistites
» in proposito permanentes firmiter state, hic hae-
» rete. - Quoad eos vero clericos qui jam post
» subdiaconatus ordinem nuptias contraxere, et
» pro quibus Ampl. T. enixe supplicat ut pro
» hac vice, ex Apostolica dispensatione, licite pro-

» moveri possint ad superiores ordines: Sanctitas » Sua, attentis omnibus, et ex speciali gratia be» nigne dispensavit, ut quatenus nihil aliud ob» stet, licite promoveri possint ad Diaconatus ac » Presbyteratus ordines, ac valeant insuper in con» jugio jam contracto permanere. Haec autem Apo» stolicae Sedis indulgentia illos tantum respicit » clericos, de quibus expresse loquitur memorata » Epistola tua. - Ceterum SSm̃us D. N. vehe» menter hortatur in Domino Amplitudinem Tuam » et Venerabiles Episcopos istius Provinciae, Vo» bisque addit animos, ut maiori usque alacritate » ministerium vestrum implentes, sedulo nitamini, » ut clericorum continentia purior floreat ac ad » normam genuinae orientalis disciplinae restituta » inviolate persistat. Quod si aliqui deinceps (quod » Deus avertat) post sacros, ut praefertur, matri» monium attentare praesumpserint, decernit San» ctitas Sua, ut ad tramites Sacrorum Canonum » severe puniantur, ut quos studium servandae » disciplinae ac amor continentiae non movet, vel » poenarum timor compescat. - Haec sunt quae » Sanctitas Sua Tibi et Rm̃is Episcopis istius Pro» vinciae significare mandavit. Quoad reliqua op» portune providebitur. Interim haec Sacra Con» gregatio Amplitudini Tuae ceterisque compro» vincialibus Episcopis ac gregi concredito omnia » bona ac felicia in Domino adprecatur. - Datum » *die* 24 *Martii* 1858. » - Cohaerenter ad hoc cum S. Sedes fuisset rogata pro dispensatione

favore Sacerdotis Pauli Papp Dioecesis Rumenae Magni Varadini directa ad legitimationem secundi matrimonii ab ipso attentati cum muliere vidua alterius Sacerdotis, editum est responsum a S. Officio: *Feria IV die 22 Decembris* 1875: « Attentis peculiaribus facti adjunctis supplicandum Sanctissimo pro gratia dispensationis super impedimento ordinis ac bigamia, ut Orator Paulus Papp, praevia reductione ejus ad statum laicalem in perpetuum, et gravibus ac salutaribus impositis poenitentiis matrimonium legitime contrahere valeat ». Et in Audientia Sanctissimi eodem die habita « Sanctissimus benigne annuit pro gratia » dispensationis juxta Eñorum Patrum suffragia, » quae confirmat. »

4.° Ex quo vix est quod hodie possit sustineri sententia illorum Doctorum, qui tenebant matrimonia graecorum inita recepto ordine majori fuisse quidem illicita et reprobata, quae pro poena haberent dejectionem clerici majoris a clericatu et rejectionem in communionem laicam, sed tamen non fuisse invalida, exceptis matrimoniis attentatis a subdiaconis italo-graecis, de quibus habemus constitutionem specialem Benedicti XIV: « Etsi Pastoralis » § *VII num.* 27 *diei* 26 *Maji* 1742. - In aliis titulis *libri I et III* jam visae sunt quaestiones an ad coelibatum servandum teneantur qui ordines majores susceperunt in infantili aetate, vel qui ordinem majorem receperunt aut vi absoluta, aut ex metu gravi injuste incusso. - Sicut

in alio titulo relata est excommunicatio Ordinariis reservata, quam incurrunt clerici in sacris constituti matrimonium contrahere praesumentes, nec non omnes, qui cum ipsis pariter contrahere praesumant, ut habetur in Constitutione: « *Apostolicae Sedis* » *sub num.* 1 *Excommunicationum latae sententiae Ordinariis reservatarum.* - Idem dicatur de irregularitate incursa, si tale attentatum matrimonium fuerit consummatum. Ex quibus omnibus satis aperte liquet caelibatum sacris ministris impositum non fuisse ab Ecclesia saeculo decimo vel undecimo, quo monachalis institutio fuit ad clerum extensa, prout pluribus Ecclesiae detractoribus placuit, sed ab Ecclesiae primordiis inductum fuisse, et Gregorium Septimum non fuisse caelibatus clericalis institutorem, sed potius antiquae legis eo tempore non observatae, et collabentis disciplinae instauratorem vigilantissimum. - Si matrimonium ab his majoribus clericis attentatum est invalidum, a fortiori invalida sunt sponsalia de futuro ab iis contracta, cum promissiones non teneant de re vetita, prout in casu est matrimonium.

5.° Votum solemne castitatis per professionem in religione approbata editum dirimit matrimonium contrahendum, ut habemus ex *cap* 3 *et ult. h. t.*, et definitum est a Concilio Tridentino *de sacram. matrim. can.* 9 et dissolvit matrimonium jam contractum valide, si sit tantum ratum et nondum consummatum ex *tit. XXXII lib. III.*

Si autem quaeratur quo jure votum solemne dirimat conjugium contrahendum, respondendum cum Sanchez *lib.* 7 *de matrim. dist.* 26 *num.* 4 *in fin.* aliisque id non esse ex jure divino vel naturali sed tantum ex jure ecclesiastico. Namque id non efficit votum *quia est votum*, sed *quia est solemne*; secus omnia vota etiam simplicia id praestarent, quod non est verum; atqui solemnitas voti introducta est ex jure ecclesiastico, prout aperte docet Bonifacius VIII *cap. unic. de voto et voti redemptione in VI*, proinde id provenit ex jure ecclesiastico. Argumenta, quae ab iis afferuntur, qui defendunt contrariam sententiam sunt magis speciosa quam vera, nec ipsi valent effugere vim argumentorum nostrae sententiae, sunt enim haec, quae adjungimus, certissima: - 1.° non fuisse in Ecclesia impedimentum dirimens voti, usquedum ea non induxit in voto solemnitatem, seu melius, usquedum Ecclesia non fecit inhabiles ad nuptias contrahendas, qui votum ederent in talibus religionibus; - 2.° quin imo Pontifices concessisse, ut aliquando vota etiam simplicia matrimonium postea contrahendum irritum facerent, ut sunt vota simplicia Societatis Jesu post biennium novitiatus emissa, quae etsi non sint solemnia dirimunt tamen matrimonium contrahendum sed non dissolvunt jam contractum licet ratum tantum sit ex Constitutione Gregorii XIII: « *Ascendente Domino* »; et probatur ex alio exemplo in *cit. tit. XXXII lib. III*. - 3.° in hoc im-

pedimento dirimente voti Ecclesiam aliquando dispensasse, si habitae sint graves rationes ad impetrandam dispensationem.

6.° Potius dispiciendum est quo tempore inductum sit in Ecclesia hoc voti impedimentum dirimens. Et videtur hoc inductum esse saltem *incohative* tempore Gregorii Magni post exortum Benedicti institutum de Monachis in Occidente; tum vero cum quis ex monachis monasterio relicto conjugia inivisset, renovatae fuerunt veteres leges in Concilio Triburiensi *canone* 11 12 13 *et* 14 *causae* 27 *quaest.* 1 *in Decreto*, et cautum, ut monachi regulae desertores ad monasterium etiam inviti reducerentur, quod satis videbatur ad eosdem monachos a voluntate ineundi conjugia avocandos. Tandem initio saeculi duodecimi suprema manus imposita fuit huic disciplinae, et sub Calixto secundo in Concilio Lateranensi anni 1123 *can.* 24 statutum est, ut irrita omnino forent ea conjugia *can.* 8 *distinct.* 27, ubi praeter poenam in personas illas conjugium contrahentes illatam dicitur *contracta quoque conjugia disjungi*; quae verba utpote in conjugium quoque ipsum collata, vim decreti irritantis praeseferunt. Id ipsum paulo postea, seu anno 1139 confirmavit Innocentius II in Lateranensi Concilio *can.* 40 *distinct.* 29 *quaest.* 4 ita definiens: « *Hujusmodi copulationem matrimonium non esse censemus* » atque id ad sanctimoniales foeminas extendit. Quibus hodie accessit pondus auctoritatis ex Concilio Tridentino *sess.* 24

de sacramento matrimonii can. 9 et excommunicatio Episcopis reservata in Constitutione « *Apostolicae Sedis* » *num. cit.*, atque irregularitas ut supra si matrimonium fuerit consummatum, quae irregularitas comprehendit quoque Moniales solemniter professas et deinde matrimonium attentantes et consummantes eas reddens inhabiles tamquam bigamas ad gradus, ad quos solae moniales virgines assumuntur, ut cum pluribus notat Giraldi *op. cit. part.* 1 *sect.* 686. - Ex quo infertur sponsalia quoque subsequentia esse irrita, quia sunt promissiones inhonestae et impossibiles, cum nequeant compleri obsistente jure. - At vero si votum est simplex, tunc subsequentia sponsalia sunt invalida, cum sint semper promissiones inhonestae et impossibiles, quod si subsequatur matrimonium de praesenti, hoc quantumcumque illicitum, est tamen validum, prout in antecedentibus expositum est. - Est inter Doctores satis celebris quaestio: an per votum simplex dissolvantur sponsalia praecedentia? Dixi per votum simplex, nam certum est per votum solemne ea sponsalia dirimi. Circa hanc vero quaestionem certum est per votum ingrediendae religionis solvi sponsalia praecedentia, nisi sint jurata, ut dictum est in Titulo primo; et ratio est, quia illa sese habent ad hoc votum, ut matrimonium ratum non consummatum circa professionem religiosam. Deinde certum est, quod facto voto simplici, altera pars potest se putare solutam ab implendis sponsalibus,

cum haec valeat reputare alteram partem, ac si jam valedixisset prioribus sponsalibus. At tertio videtur longe probabilius per votum simplex castitatis non dissolvi sponsalia antecedenter inita, quia ex una parte non potest quis quaesito alterius juri praejudicare, et ex altera non videtur Deus acceptare votum de re jam alteri promissa in praejudicium istius. Neque dicatur huic non fieri injuriam, cum quis cogitaret de meliori statu; nam hoc valet tantum de statu religioso, non autem de simplici voto castitatis, prout in hypothesi nos fingimus, sed in hoc applicatur principium aliud, nempe vota fieri de proprio non de alieno prout esset in casu.

TITULUS VII.

De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.

1.° Rubrica tituli non exacte nec complete exprimit impedimentum sub hoc titulo a canonibus inductum, unde verus Rubricae sensus determinandus est ex subiectis capitibus. Agitur hic de impedimento dirimente proveniente *ex crimine*; vi cujus inter complices delicti validum matrimonium etiam soluto priore iniri nequit, et initum dirimitur. Duo autem crimina sunt, quae hic recensentur, nempe adulterium, et uxoricidium, ex quibus delictis inducitur, ut inter adulteros etiam primo matrimonio resoluto per mortem non valeat conjugium consistere, sicut neque inter uxoricidas etiam a priori vinculo maritali solutos - Inductum autem est hoc impedimentum a jure ecclesiastico ad magis fovendum amorem inter con-

juges, et fidem maritalem tutandam, queis perfractae fidei, et proditae maritalis dilectionis nullum futurum esset emolumentum ex denegata validitate ineundi inter eos conjugii. - Ex quo deducitur hoc impedimentum non habere vim inter infideles, neque eos directe respicere, quamvis eis possit indirecte aptari, si consortes hujus criminis sint cum fidelibus; cum si istos afficiat non possit eos non respicere ex unitate contractus matrimonialis, quemadmodum expositum est in *titulo XXXIII lib. III.*

2.° Istorum vero criminum ratio talis est, ut relate ad hoc impedimentum incurrendum possint considerari tres casus, nempe *primo* adulterii, *secundo* uxoricidii, *tertio* adulterii simul et uxoricidii, quos casus singillatim expendemus. Et imprimis de adulterio. Ad impedimentum criminis propter adulterium porro requiritur, ut sequentes conditiones concurrant:-1.° ut adulterium concurrat cum promissione matrimonii futuri, vel cum matrimonio de facto attentato ex *cap. ult. h. t.* Et haec promissio est de se mala etiamsi in se sola consideretur, quia turpe reputatur constante uno matrimonio de altero pacisci, et aliquam saltem occasionem praebeat captandae mortis; unde nec valida promissio est, quia est contra bonos mores. - 2.° Requiritur ut tam adulterium, quam interdicta promissio de futuris nuptiis vel attentatio matrimonii advenerint adhuc constante priore matrimonio, prout habetur ex jam *cit. cap. ult.*

h. t. Et jure quidem si enim utrumque crimen non fuisset admissum adhuc constante primo conjugio, vel adulterium non esset tale crimen sed simplex fornicatio, vel promissio non esset amplius illicita, quia non esset data contra sanctitatem vinculi amplius non constantis. Hic autem a Doctoribus quaeritur: an necesse sit tum adulterium, tum promissionem debere esse factam sub eodem cojugio, vel potius incurratur hoc impedimentum, etiam quando adulterium uni obstitit conjugio, alteri autem obsit data promissio? Et quamvis non desint Doctores, qui hanc alteram propugnent opinionem, tamen probabilior est prima sententia, quam apud Schmalzgrueber *h. t. num.* 18 tuentur Sanchez, Gonzalez, Reiffenstuel aliique optimis allatis rationibus; inter quas sequentes sunt potiores, nempe nos esse in materia odiosa proinde non esse utendum interpretatione extensiva, sed restrictiva: cum vero per posterius matrimonium initum recessum sit a fide data, non habetur huic matrimonio obstans nisi adulterium, cum spes matrimonii facta per promissionem extincta sit posteriore matrimonio contracto, et adulterium solum non sufficit ad inducendum impedimentum, quod facile ostenditur ex textibus *cap.* 1 *et ult. h. t.*, ex quibus videtur requiri, ut utraque injuria uni eidemque irrogetur conjugio. - 3.° Exigitur ut adulterium sit ex utraque parte *formale*, nempe uterque sciat se rem habere cum conjugato, ex *cap.* 1 *et penult. h. t.*:

injuria siquidem non fieret conjugio ex parte illius qui nesciret se adulterari, etiamsi animum exhiberet fornicarium. *A fortiori* non incurreretur impedimentum, si pars soluta fuerit ab altera decepta et inducta ad nuptias praeventive ab eo, cum quo deinde carnaliter copulata sit, de quo casu inferius agemus. - 4.° Requiritur ut promissio haec matrimonii sit *vera* sit *pura* non autem conditionata, vel si talis extitit, requiritur ut *conditio verificata sit adhuc constante primo matrimonio* et tandem sit *ab altera parte acceptata aliquibus positivis signis* non sola taciturnitate; non autem exigitur ut habeatur repromissio. Quae extrema vel qualitates promissionis explicantur ab Auctoribus praesertim a Schmalzgrueber *h. t. num.* 20 *et seqq.* - 5. Praeterea requiritur ut copula carnalis sit perfecta et consummata, non simpliciter attentata, prout Doctores communiter exigunt, quia sumus in materia odiosa. - 6.° Demum requiritur ut prius matrimonium fuerit validum, etiamsi non exigatur esse consummatum; secus enim non committeretur verum adulterium, ut reaspe ad incurrendum impedimentum requiritur. Doctores apud Schmalzgrueber *h. t. num.* 37 faciunt sequentem quaestionem: an is, qui vivente legitima sua uxore contraxit de facto matrimonium cum alia ignorante primam uxorem illius vivere, post mortem istius licite manere possit cum secunda? Cui respondent: « Non solum licite manere posse cum

secunda, sed nec ab illa separari debere, si petat separationem, verum cogendum esse ad renovandum consensum post mortem primae conjugis; quamvis secunda haec uxor, si velit, possit ab illo discedere. » Quam responsionem et pluribus textibus juris atque juridicis argumentis communiunt, ut in loco citato videri potest.

3.° Alter casus, quo incurritur impedimentum criminis est uxoricidium. Porro ut ex solo hoc crimine oriatur impedimentum requiritur ut sequentia concurrant nempe: - 1.° ut machinatio illa sit efficax, et caedes reipsa secuta sit seu mors conjugis ex *can.* 5 *caus.* 31 *quaest.* 1. Idem vero est vel quod hoc crimen perpetretur ad occisionem mulieris, vel ad occisionem viri. - 2.° ut conjugicidium committatur animo ineundi matrimonium cum conjuge superstite, prout concludunt Doctores ex verbis quoque citati canonis, non vero ex alio fine etiam inhonesto puta liberius vivendi cum amasia. Ratio est quia canones hoc posuerunt impedimentum dirimens, ne conjuges interficiantur sub spe conjugii cum adultera contrahendi, qui finis cessat, quando ad alium finem conjugicidium perpetratur. - 3.° ut matrimonium prius cum uxore occisa initum sit validum et legitimum, non tantum bona fide aestimatum, quamvis non requiratur, ut illud sit quoque consummatum; secus enim non esset verum uxoricidium, nec haberetur commissa injuria in prius matrimonium. - 4.° demum requiritur ut

hoc crimen admissum sit machinatione utriusque et conspiratione, ita ut uterque concurrat ad necem vel consilio, vel mandato, vel cooperatione physica, ita ut uterque haberi possit correus, seu reus principalis; prout exprimitur in relato *can.* 5. Cui cooperationi non aequiparatur ratihabitio, quae a legibus in delictis aequiparatur mandato. Namque in delictis ratihabitio aequiparatur mandato in illis solis casibus, in quibus a jure expressum est; atqui numquam legimus in canone hoc impedimentum incurri sola uxoricidii ratihabitione; theoria proinde ad hunc casum extendi non debet, praesertim cnm simus in odiosis.

4.° Tertius casus, in quo incurritur impedimentum est, quando utrumque crimen concurrit, nempe adulterii et uxoricidii. Hoc tamen in casu, ut incurratur impedimentum sequentia tantum debent verificari, nempe: - 1° ut adulterium sit *formale* ex utraque parte. Imo Sanchez *lib.* 7 *de matrim. dist.* 78 *num.* 12 cum aliis contendit debere esse *formale respectu conjugis interfecti,* nempe ut altera pars adultera sciat fuisse conjugatum illum, qui post adulterium, suam conjugem occidit; et videtur haec attendenda esse ratio, quia hic est unicus modus, quo crimen ab uno admissum alteri nocet. - 2° ut adulterium admissum fuerit, priusquam caedes committatur, etsi machinatio etiam antecedenter incoepta noceat, dummodo effectus machinationis seu occisio sit post patratum adulterium; secus non haberetur adulterium illud for-

male, de quo in prima conditione locuti sumus. - 3° Requiritur ut tam adulterium quam uxoricidium sit consummatum, et non simpliciter attentatum, scilicet quod habita sit copula perfecta, et mors conjugis secuta fuerit, quemadmodum in antecedentibus expositum est. - 4° Demum ut caedes vel ab uno ex adulteris committatur animo ineundi matrimonium cum alia persona complice in adulterio; quemadmodum expresse notatur in *can.* 5 *cit.* In hoc autem tertio casu est attendendum, hoc impedimentum directe et principaliter incurri ab adultero, qui caedem commisit, ut nequeat eam sibi matrimonio copulare, quam polluit per adulterium, quarum nuptiarum sub spe commisit conjugis occisionem. Inter quas personas communicatur impedimentum ex eo quod adulterium sit *formale*, sicut supra exposuimus. Ex his intelligitur quid debeat responderi in casu, quo uxoricidium fuerit admissum ab infideli non concurrente per machinationem parte fideli, quamvis antecedenter inter eas personas advenerit adulterium formale. Cum enim hoc sit impedimentum juris ecclesiastici quo directe non subjiciuntur infideles; hinc si infidelis caedem conjugis unicus perpetraverit, nec ipse nec pars fidelis etiam complex in adulterio hoc impedimentum contrahent: non quidem infidelis, quia tale impedimentum a jure ecclesiastico inductum eum directe non ligat: nec pariter pars fidelis, quae unius adulterii rea est, et per simplex crimen adulterii non incurri-

tur. At è contra si fuit pars fidelis, quae post adulterium se foedaverit hoc crimine homicidii, tunc ipsa incurrit impedimentum directe, quae juri ecclesiastico subjecta est; indirecte autem alteri parti communicatur, quemadmodum expositum est in *titulo XXXIII lib. III* quia matrimonium nequit esse ex una parte validum, et ex altera invalidum.

5.° Celeberrima est et satis antiqua quaestio inter Doctores disputata: an hoc criminis impedimentum incurratur ab ignorante? Ad quam rite resolvendam puto nonnulla esse praemittenda. - Et (a) agitur hic tantum de ignorantia poenae a canonibus adjectae ut habet Suarez *De Legib. lib.* 5 *cap.* 22 *num.* 4, unde hic agitur de ignorantia legis non prout prohibet actum, sed ut est irritans; nam aliud dicendum omnino esset, si loqueremur de ignorantia aut simplicis juris, vel de ignorantia facti: - (b) advertendum pariter est hanc quaestionem habere principaliorem respectum ad theologiam quam ad canones, seu magis ad forum conscientiae quam ad forum externum: non est enim casus, quod ista ignorantia possit allegari in foro externo, et si allegaretur, profecto non admitteretur; sed facile esset eam allegare in foro conscientiae. Quibus animadversis nostram sententiam in tali dubio proponimus sequentibus verbis: Quamvis denegari non possit probabilitas opinionis aut sententiae affirmantis taliter ignorantes non incurrere impedimentum criminis, ni-

hilominus tenendum est aliam sententiam negantem esse probabiliorem non modo ex probabilitate extrinseca, sed quoque ex probabilitate intrinseca. Complexa haec propositio per partes probatur. Et imprimis non possumus denegare probabilitatem sententiae affirmantis, quam concedimus potius ex auctoritate, quam ex ratione, cum plures sint Doctores et quidem magni nominis, qui eam tenent, et non destituatur aliquibus argumentis, quae tamen si intimius expendantur, non videntur habere magnum valorem. At è contra sententia negans est communior, nempe longe majorem numerum Auctorum complectens, quod nec ab ipsis adversariis denegatur; sed etiam tam gravibus innititur rationibus, quae omnino decretoriae esse videntur et hodie ut certa sententia habenda est. Revera primum argumentum a Schmalzgrueber relatum *h. t. num.* 60 habet suum pondus, nempe inhabilitates incurri quoque ab ignorantibus, quia etsi quandoque habeant rationem poenae, nempe inflictae sint propter delictum, tamen sunt conditiones annullantes contractum matrimonialem, quale est hoc criminis impedimentum. Sed quod argumentum meo judicio in themate tollit quamcumque difficultatem est sequens. Omnibus fatentibus hoc impedimentum est inductum in poenam; et esto juxta Doctores sententiae negantis sit poena extraordinaria nempe exorbitans, et juxta Doctores sententiae affirmantis sit *non mera poena*, sed aliquid amplius, nempe

inhabilitas: omnes tamen in hoc conveniunt habere rationem poenae; atqui poenae ecclesiasticae incurruntur quoque ab iis, qui eas ignorant. De poenis viguit in jure hoc principium, quod eae respicere non possunt actus praeteritos, nempe ante legem promulgatam poenae non incurruntur; sed quando lex est sufficienter communitati promulgata, tunc poena ab omnibus incurritur, neque requiritur scientia poenae. Imo maxima differentia inter poenas et censuras haec est, quod ad censuras incurrendas requiritur scientia earumdem, non sic vero circa poenas. Et jure quidem cum censurae non incurrantur sine contemptu auctoritatis ecclesiasticae; is vero qui ignorat disciplinam non contemnit: ex hoc factum est, quod illae divisiones ignorantiae in invincibilem et vincibilem, crassam, et affectatam, si sermo est de sanctione legis, non referantur nisi ad censuras, de quibus ab illis Auctoribus quaeritur quomodo talis conceptus possit componi cum lege, quae censuras comminetur *ipso facto* incurrendas; quod ab iis fit exigendo ut contemptor legis habeat praeviam cognitionem inflictae censurae, unde peccans contra legem habetur ut contemptor potestatis ecclesiasticae. - Cum qua sententia maxime cohaeret praxis Poenitentiariae et Datariae Apostolicae, quae in concedendis dispensationibus quoad impedimentum criminis, prout pro aliis impedimentis, quae in modum poenarum impositae sunt, sicut in responsionibus ad quaesita quando tale impedimentum contractum fuerit vel

non, numquam rationem habent ad ignorantiam vel scientiam istius impedimenti, sed tantum an fuerit admissum delictum cum omnibus requisitis circumstantiis, quod profecto dat nobis sensum receptae legis; praesertim si addatur quod canones, qui de tali inducendo impedimento agunt, numquam pariter loquantur de contumacia eorum, qui ea crimina admittunt, sed simpliciter sermonem habeant de admissis criminibus, quorum intuitu ad tuendam sanctitatem et fidem matrimonii Ecclesia hoc invexit criminis impedimentum. Cujus praxis talium Supremorum Tribunalium habenda est a Doctore privato maxima ratio; neque enim ab istis conceditur dispensatio *ad cautelam*, prout est casus allegatus a Benedicto XIV in *quaest. canon.* 183 *num.* 26 *et* 27, sed *absolute* dispensatio ab hoc impedimento datur; quod satis indicat ea Tribunalia nolle recognoscere rationabilitatem praedictae sententiae negantis.

6.° Etsi verum sit, quod quando utrumque crimen admissum est, ut in *num.* 4, unicum constituat impedimentum; tamen si et adulterium et uxoricidium suas proprias conditiones separatim habeant, prout *num.* 2 *et* 3 expositae sunt, duplex inferunt impedimentum, et ab utroque debet peti dispensatio, si matrimonium velit legitimum contrahi. Ab hoc autem impedimento dispensat solum Summus Pontifex, qui id ordinario concedit per Poenitentiariam et Datariam Apostolicam prout crimen est occultum vel publicum nisi aliquando

id ex indulto aut facultate Ordinariis locorum largiatur, praesertim quoad revalidationem matrimoniorum. Cum porro impedimentum est occultum, vel sermo est de matrimonio jam contracto revalidando, vel de matrimonio contrahendo: si agitur de matrimonio jam contracto, tunc ad evitandum scandalum, quod eveniret si matrimonium dissociaretur, facile conceditur dispensatio, et practici illam vocant dispensationem necessariam, eaque committitur confessario, ut praevia absolutione ab istis criminibus dispenset ab impedimento ad matrimonium secreto contrahendum, nisi constito de perseverantia prioris consensus videatur esse necessaria *sanatio in radice*. At si agitur de matrimonio contrahendo, scire interest, an impedimentum proveniat tantum ex adulterio cum promissione, sive etiam ex uxoricidio praesertim communi machinatione patrato. Si impedimentum procedat a solo crimine adulterii cum promissione, S. Poenitentiaria dispensat ex causis minus gravibus. At si proveniat quoque ex uxoricidio praesertim utriusque machinatione patrato solet S. Poenitentiaria petentes *deterrere* a tali ineundo conjugio, et nonnisi quando petentes sunt obfirmati in voluntate conjugium ineundi, atque prompti sunt ad matrimonium civile contrahendum, quia statum civilem latet admissum crimen, vel ad perseverandum in concubinatu, concedit dispensationem pro foro conscientiae a Confessario exequendam juxta formam, ut deinde ma-

trimonium in forma Concilii Tridentini celebrent. Quod si impedimentum sit publicum, tunc Dataria Apostolica procedit, et siquidem ortum sit impedimentum ex crimine adulterii cum promissione, tunc etiam dispensatio pro foro externo datur, sed ex gravibus rationibus et praemissis multis conditionibus ab executore explendis, prout docet Pyrrus Corradus in *Praxi dispensation. apostolic. lib.* 8 *cap.* 9 *num.* 5 *et seqq.* At si impedimentum ortum est ex conjugicidio jam publico, tunc Pontifex numquam dispensat ob enormitatem scandali et delicti.

TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum.

1.° Notant hic Doctores cum Reiffenstuel *h. t. num.* 9, quod dictum est de lepra dicendum esse de quovis alio morbo, puta paralysi, epilepsia, aliaque infirmitate incurabili propter identitatem rationis. Lepra autem aliusque morbus nec dirimit nec impedit matrimonium contrahendum juxta id quod habet Alexander III in Decretali data ad Episcopum Bajocensem *cap.* 2 *h. t.:* « Leprosi, si continere nolunt, et aliquam, quae sibi nubere velit invenerint, liberum est eis ad matrimonium convolare. » Proinde tantum quaestio esse potest vel de lepra superveniente, aut primo cognita post edita sponsalia aut initum conjugium, cum ea, quae sponsalia vel matrimonium edidit cum leproso, non possit postea ab ipso discedere juxta

notissimam regulam juris « quod semel placuit, amplius displicere non potest. »

2.° Hic autem quaeritur: Lepra superveniente aut primo cognita sponsalia jam inita resolvi possint vel non? Responsio ad quaesitum facilis est ex eo principio pluries indicato, quod sponsalia possunt resolvi, si uni ex partibus etiam citra ejus delictum interveniat notabilis mutatio, ex conditione implicita cuicumque promissioni, et dictum est *titulo I hujus libri*, atque innuitur *cap. ult. h. t.* Idque valet etiamsi sponsalia haec fuerint jurata ex *cap.* 25 *de jurejur.* Haec vero sponsalium resolutio non venit *ipso jure*, sed ad petitionem partis, quae talem mutationem passa non est; nam si velit haec in initis sponsalibus perseverare, altera pars non potest recedere prout de aliis promissionibus explicatum est. Difficilior porro disquisitio est: an lepra superveniens dissolvere valeat matrimonium de praesenti? In qua propter diversos juris textus, qui ad invicem oppositi esse videntur, haec ad eos concordandos tenenda via est distinguendo inter matrimonium ratum vel consummatum. Namque si matrimonium est consummatum, certum est non dissolvi ex *cap.* 1 *et* 2 *h. t.* Imo etsi antiquitus Stephanus III anno 754 indixerit a leproso separationem, prohibueritque reddi debitum conjugale ut notat Giraldi *op. et part. cit. sect.* 698 fortasse propter metum contagii, deinde Alexander III in *cit. capp.* instituit, ut conjux sanus a leproso non diverteret

neque quoad thorum, eique debitum conjugale non negaret referens « quoniam nemini licet excepta causa fornicationis uxorem dimittere. » Quae tamen potius videntur esse adhortationes quam vera praecepta respiciendo ad probabile periculum infectionis vel ad horrorem ipsius morbi. Consequentia autem *capitis* 1 *h. t.* id demonstrant, et simul quod in casu districte praecipitur, namque subditur. « Si vero ad hoc induci non poterunt, eis arctius injungas, ut uterque altero vivente continentiam servet; quod si mandatum tuum servare contempserint, vinculo excommunicationis adstringas. » Unde patet manere vinculum matrimonii consummati etiam superveniente lepra alioque morbo incurabili, atque contagioso.

3.° Quoad matrimonium ratum vero, etsi communis doctrina Doctorum ferat per lepram aut alium morbum non dissolvi, tamen visi sunt jam ab antiquo obstare duo juris textus, nempe Urbani III et Gregorii II. Primus tamen Urbani III relatus in *cap. ult. h. t.* sicut expositus est a B. Raymundo amplius non obstat, cum ad tollendam difficultatem ejusque authenticam dandam interpretationem addita sint in specie verba « *de futuro* » ut refert Gonzalez in expositione dicti capitis in *nota (b)*, alter autem textus Gregorii II refertur a Gratiano in Decreto *causa* 32 *quaest.* 7 *can.* 18, et est genuinus Gregorii II in Epistola ad Bonifacium, prout censet Berardi in *Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti part.* 2

tom. 2 *pag.* 164 atque his verbis perstat in ea Epistola. « Nam quod proposuisti quod si mu-
» lier infirmitate correpta non valuerit debitum viro
» reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset,
» si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret. Sed
» quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit
» continere, nubat magis; non tamen subsidii opem
» subtrahat ab illa, quam infirmitas praepedit, et
» non detestabilis culpa excludit. » Ex quo juxta nonnullos auctores, inter quos Gratianus, Pontifex visus est doctrinam proponere antiquis Pontificibus adversam, nempe matrimonium dissolvi ex eo quod mulier ratione infirmitatis nequeat ei reddere debitum conjugale, et sic rumpatur matrimonium, cum alteri parti detur licentia ad alias nuptias. Verum haec interpretatio aliis Doctoribus apparuit omnino adversa Romanae Sedis inerrantiae, sicut Gregorio II injuriosa, cum Romani Pontifices constanter retinuerint neque per morbum quemlibet matrimonium christianorum de praesenti dissolvi. Hinc ab ipsis aliae sunt invectae interpretationes, quae illum canonem nobis rationabilem et cohaerentem veteri Doctrinae exponerent. Sunt vero istae interpretationes tres. Prima est eorum, qui putant in eo canone agi de muliere, quae correpta est infirmitate arctitudinis, ut a viro cognosci carnaliter nequeat, eamque interpretationem praebent Bellarminus in *lib.* 1 *de matrim. cap.* 11 et Gonzalez in *comment. ad cap. fin. h. t. num.* 9, quo in casu cum primum ma-

trimonium ex impotentia antecedente et perpetua fuerit invalidum jure naturali, consequens est, quod altera pars, si non potest se continere, ad alia vota transire valet. Et hic modus exponendi illam Decretalem admitti potest. Aliam explicationem proponit Sanchez *lib.* 3 *de matrim. dist.* 16 *num.* 5, et Barbosa in *can. cit. num.* 2 quod scilicet hic ageretur de matrimonio simpliciter rato, post quod superveniente morbo impediente ejus consummationem intervenit auctoritas Pontificia concedens dispensationem super matrimonio rato, ut pars altera eo liberata ligamine valeret ad alia vota transire, et revera tradit apud Schmalzgrueber *h. t. num.* 9 Burgasius *de irregul. p.* 6 *tit. de sponsalibus num.* 74 Martinum V ob lepram dispensasse. Et hic pariter modus aptus esse videtur ad eliminandam difficultatem. Berardus tamen in *op. et loc. cit.* aliam dat satis probabilem et verbis Gregorii magis consonam explicationem praetendens Pontificem a Bonifacio interrogatum esse de matrimoniis in infidelitate contractis a Germanis neo-conversis ad fidem, eumque cum ageretur de conjugiis, quae sacramenta non essent certis in factorum speciebus mitius quodammodo egisse et nonnihil aut indulsisse aut relaxasse, prout Theodorus Cantuariensis fecit in *capitulis apud Petitum editis cap.* 11, et traditur actum esse in Capitulari Pipini Francorum Regis edito anno 752 sub nomine Synodi Vermeriensis *cap.* 9, vel potius Gregorium hac in specie nonnihil indul-

sisse Germanis non probando vel laudando sed potius permittendo, ne forte alias gravissima mala emergerent. Quaecumque ex hisce tribus explicationibus eligatur, manebit veritas assertionis ex lepra alioque morbo superveniente matrimonii rati vinculum ipso jure non dissolvi.

TITULUS IX.

De conjugio servorum.

1.° Brevem expositionem hujus tituli puto esse incipiendam verbis Giraldi *op. et part. cit. sect.* 700 his verbis: « Quamvis Ecclesia usque a saeculo VIII servorum conjugia sine consensu dominorum inita dirimi permiserit, ut ex *can.* 30 Concilii Cabilonensis II celebrati anno 313 relato a Gratiano *causa* 29 *quest.* 2 *can.* 8, cautum tamen est a saeculo XII aut circiter ab hac disciplina recessisse, ut palam facit responsum ad consultationem Eterardi Archiepiscopi Salisburgensis datum ab Adriano IV; qui Pontificatum gessit a *die* 4 *Decembris* 1154 usque ad annum 1159 relatum in *cap.* 1 *h. t.* Unde hodie ubi viget servitus proprie dicta, quae in plagis Europae dispa-

ruit et nonnisi in aliquibus regionibus Americae inter christianos adhuc viget, matrimonia a servis contracta etiam contradicentibus dominis et invitis nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda; licet debita et consueta servitia non minus debeant a servis propriis dominis exhiberi.

2.° Longe alia est quaestio de valore matrimonii initi ignorata conditione servili alterius partis, quae inter diversos Doctores diverse opinantes sic ab aliis via media procedentibus resolvitur: « Aut enim liber cum ancilla contraxit cum hac expressa conditione « *si libera sit* » non contracturus, nisi esset libera; vel absque hac conditione contractum init. Si primum verificetur, tunc tale matrimonium est ex jure naturali invalidum quia deest voluntas, quae alligata conditioni non verificatur ea conditione non adimpleta. Si vero huic conditioni non alligatur voluntas consentientis, tunc tale matrimonium non est invalidum ex jure naturali sed tantummodo ex jure ecclesiastico; quippe cum non sit error recidens in personam jure naturali matrimonium reddens invalidum, sed a jure ecclesiastico positivo invalidatur « tamquam reliquia legum romanarum et antiquorum canonum servorum conjugia aegre admittentium » ut loquitur Giraldi *loc. cit.* Hoc totum factum est respectu personae liberae, non autem servae.

3.° Haec tamen conjugia convalescere poterant antiquitus, si detecta servili conditione, liber nihilominus carnale habuisset cum ea commer-

cium, quasi ratum habens plena advertentia id, quod ex errore egit. Verum hodie copula carnalis affectu maritali habita non sufficit sed necessaria est quoque forma Concilii Tridentini circa consensum quamvis antiquitus jam fuisset adhibita.

TITULUS X.

De natis ex libero ventre.

Est axioma in jure « partus sequitur ventrem » cujus axiomatis sensus est, prolem sequi conditionem matris; unde si mater est libera, et proles erit libera; si mater est serva, et proles nascitur serva. Ad hoc autem, ut proles nascatur ingenua ac libera, sufficit ut mater fuerit libera vel per momentum aut tempore conceptionis, aut nativitatis aut saltem tempore intermedio, quia proles semper habetur pro nata, quoties de ejus commodo agitur, ut habetur in Institutionibus Iustiniani « *De Ingenuis.* » Quoad familiam vero, ejus nobilitatem et dignitatem, si matrimonium est legitimum, proles sequitur conditionem patris, ut in Digestis *De statu homin.*

TITULUS XI.

De cognatione spirituali.

1.° Incipit in hoc titulo tractatus de impedimento cognationis, quod triplex est nempe ex cognatione spirituali, legali et naturali. Hoc titulo agitur de cognatione spirituali, etsi haec cognationis species ultimo fuerit recognita post cognationem naturalem et legalem. Definitur porro quod sit: « propinquitas quaedam personarum ex collatione vel susceptione baptismi vel confirmationis resultans et jure ecclesiastico dirimens matrimonium contrahendum. » Quando fuerit haec cognatio spiritualis inducta non est dispiciendum ex falsis decretalibus Isidori Mercatoris, sed retinendum est eam incepisse ex lege Justiniani Imperatoris *leg.* 26 *codic. de nuptiis* eam ob cau-

sam: « cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, et justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante animae eorum copulatae sunt. » Praestat autem Berardi verba referre, quibus universam hanc cognationis spiritualis impedimenti originem fuse explicat in *tractatu de conjugiorum juribus dissertatione IV cap. IV:* « Pressior fuit Trullani » concilii formula in *can.* 53 in quo confirmata » apparet justinianea constitutio, imo et traditum » fuit insuper, *spiritualem adfinitatem conjunctione » corporum esse majorem.* Quis non videt, ex hu» jusmodi rationibus adjectis eam necessitudinem, » quae origine sua vix inter suscipientem et susce» ptum continebatur, paullatim produci potuisse, » ut quemadmodum in adoptione et adfinitate » certi gradus constituti erant, ita et iidem in co» gnatione spirituali reciperentur, *can.* 1 *caus.* 30 » *qu.* 1? Hoc argumento usus fuit Nicolaus I in » *can.* 1 *caus.* 30 *qu.* 3, cui adjicere possumus » *can.* 2, 3 *et* 5 quibus receptum est, ut per » varios gradus haec spiritualis cognatio progrede» retur, prae ceteris autem, ut filius naturalis su» sceptoris susceptam non posset ducere, quam» quam non omnes in hanc rem sine discrimine » consentirent, aientibus nonnullis, cognationem » hanc spiritu, non sanguine contrahi, *can.* 7, » *caus.* 30, *qu.* 3. Ceterum recentiore aetate, prae» sertim post leges longobardas, quarum frag» mentum est in *lib.* 2 *legum longobardarum tit.* 8,

» Nicolai I sententia passim recepta fuit, et a » recentioribus pontificibus confirmata, *cap.* 1 *de* » *cognat. spirit. cap.* 1 *eod. tit. in* 6. An bapti» zans cum baptizato eam necessitudinem contra» heret, quemadmodum et cum parentibus bapti» zati, olim definitum non fuerat, quia forte aut » necdum aut raro casus emerserat de conjugio » baptizantis, ut plurimum episcopi, aut sacerdotis. » Sed eveniente casu laici baptizantis, et propo» sito apud Joannem VIII, definiri coepit etiam » ad baptizantem eam cognationem extendi, recta » Justinianeae legis, et receptae in susceptoribus » disciplinae interpretatione, *can.* 7, *caus.* 30, » *qu.* 1. Amplior deinde reddita adhuc fuit disci» plina, nam recentioribus saeculis etiam in sa» cramento confirmationis idipsum receptum est, » ut ad exemplum susceptorum baptizati, susce» ptores etiam confirmati, spiritualem cognatio» nem contrahere dicerentur, *cap.* 1, § *ex con*» *firmatione de cognat. spirit. in* 6°, quod jam» pridem statutum fuerat in Compendiensi Conci» lio anni 757, *can.* 15 *et* 19. Eo res redacta » fuit nonnullorum opinione, ut ex aliis etiam » sacramentis cognatio quaedam induceretur ac » potissimum ex sacramento poenitentiae, quemad» modum conatus est auctor *canonis* 8 *caus.* 30 » *qu.* 1 falso Symmacho Papae tributi. Ast has » juris prorogationes coercuit Bonifacius VIII in » *cap.* 3 *de cognat. spirit. in* 6, decernens, co» gnationem spiritualem non oriri, nisi causa duo-

» rum sacramentorum, videlicet baptismi et con-
» firmationis: baptismi, quod lex expresse ex eo
» cognationem induxisset, confirmationis, quod
» habita fuerit, veluti quaedam baptismatis per-
» fectio, et complementum *can.* 3 *de cons. dist.* 5,
» non vero poenitentiae, quia, uti deinde obser-
» vavit S. Thomas, hoc sacramentum numquam
» generationis speciem habuit, sed iudicii, nec
» propterea in ea re erat cum baptismate aequi-
» parandum. Vetus fuit quaestio, an qui susci-
» piebat baptizatum caussa supplendarum eccle-
» siae ceremoniarum in baptismate olim collato
» omissarum, cognationem contrahere diceretur.
» Id non admiserunt pontifices maximi, quamquam
» hujusmodi susceptorem admonerent, ne contrahe-
» ret nuptias, *cap.* 5 *de cognat. spirit. cap.* 2
» *cod. tit. in* 6, quod nostri appellaverunt *impe-*
» *dimentum Catechismi*, illud inter impedientia, ut
» vocant, non inter dirimentia impedimenta recen-
» sentes. Et quidem ante Clementem III nullibi
» adparet, occasione Catechismi aliquod conjugiis
» subesse potuisse impedimentum. Tantum non-
» nulli fuerunt, qui argumentis a simili conten-
» dentes, irrita post catechismum conjugia esse
» credebant. Id noluit admittere Clemens III, in
» dicto cap. 5, ubi addidit, *eam rem vix contra-*
» *hendo matrimonio impedimentum allaturam*. Visa
» fuerunt dubia haec Clementis verba; quamo-
» brem ad eorum interpretationem Bonifacius VIII
» in dicto cap. 2 asseruit, per catechismum im-

» pedimentum opponi conjugiis, quamquam si con- » jugia contrahantur, adhuc jure consistant. »

2.° Cum tam late pateret hoc cognationis spiritualis impedimentum censuit Concilium Tridentinum illud restringere, quod praestitit *sess.* 24 *cap.* 2 *de reform. matrim.* praemittens hoc generale principium: « Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. » Limitatio vero facta est hoc modo, et hodie: - 1° Cognatio spiritualis inducitur simpliciter ex baptismo et confirmatione, non autem ex aliis sacramentis, neque ex suppletis caeremoniis baptismi manet impedimentum quod antiquitus erat *prohibens ex catechismo nuncupatum ex cap.* 5 *h. t.* et *cap.* 2 *h. t. in VI.* - 2° Procedit autem ad modum *paternitatis* inter baptizatum vel confirmatum cum baptizante vel confirmante, et similiter inter eumdem baptizatum vel confirmatum, et patrinum vel matrinam: ad morem vero *compaternitatis* inter parentes baptizati vel confirmati cum patrino vel matrina, cum baptizante pariter vel confirmante. Sub nomine vero parentum veniunt parentes infantis *naturales* sive legitimi ii sint, sive illegitimi. Unde post Tridentinum non contrahunt hanc cognationem vel Patrinus et Matrina inter se, nec cum baptizante aut confirmante; similiter non contrahunt patrini vel matrinae liberi cum baptizato

vel confirmato ejusque parentibus, unde amplius non procedit haec cognatio spiritualis per gyrum sed tantum directe, nec etiam procedit ad modum *confraternitatis*. Videatur hac in re etiam Constitutio Pii V: « *Cum illius* » *diei* 28 *Novembris* 1566 declarans non incurri cognationem nisi a personis a Tridentino nominatis. - 3.° Ne autem plures personas involvat haec cognatio, Concilium Tridentinum statuit, ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant deputandi a parentibus baptizati, et parochus antequam ad baptismum conferendum accedat diligenter ab iis ad quos spectat sciscitetur quem vel quos elegerint ut baptizatum de sacro fonte suscipiant et eum vel eos *tantum* ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant; et si parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Et id pariter esse servandum in collatione confirmationis docet praelaudatum Concilium.

3.° Ad hoc autem ut patrinus vel matrina hanc cognationem spiritualem incurrant quaedam requiruntur, nempe: - (a) ut baptizans vel suscipiens ex baptismo sit baptizatus; unde si infidelis baptizet, etsi postea convertatur ad fidem, non habet impedimentum quominus illam puellam vel ejus matrem in uxorem ducere possit; sicut si

fidelis filium infidelis baptizavit cum tali infideli non contrahit cognationem spiritualem, etsi postea convertatur ad fidem. Item non confirmatum patrini munus exercentem in confirmatione non contrahere cognationem spiritualem tenuit S. Congregatio Concilii in exemplari declaratione edita *sub die* 13 *Junii* 1654 *relata in lib.* 19 *Decretor. pag.* 358 ut apud Giraldi *op. cit. part.* 1 *sect.* 710 cum jam in *can.* 102 *dist* 4 *de consecrat.* interdictum esset in baptismate vel in chrismate aliquem admittere ut patrinum, qui non sit ipse baptizatus vel confirmatus; - (b) ut baptismus et confirmatio valide conferatur; si enim invalide ea ministrentur, non est ratio inducendi impedimenti cognationis spiritualis, prout Doctores demonstrant quod sublato principali tollatur quoque accessorium; - (c) ut patrinus et matrina tangant infantem sive baptizandum sive confirmandum cum animo eum levandi de sacro fonte aut suscipiendi et quidem proprio nomine, proinde requiritur et *animus et tactus*. Quoad utrumque juvat hic referre quae animadvertuntur a Giraldi *op. cit. part.* 2 *sect.* 112 *in nota VI et VII* ibi: « Ex » declaratione S. Congregationis Concilii in *Bo-* » *biensi diei* 20 *Decembris* 1653 *lib.* 19 *Decretor.* » *pag.* 296 contrahi cognationem ab eo, qui in » patrinum designatus infantem baptizatum de » manu sacerdotis, qui baptizaverat recepit, licet » in actu baptismi non tetigerit; imo eadem S. » Congregatio *die* 18 *Decembr.* 1688 *lib.* 38 *De-*

» *cretor. pag.* 618 ad dubium *Cognationis spiri-*
» *tualis* respondit illam contraxisse Titium cum
» matre pueri, quem de sacro fonte levavit, non
» obstante quod illum non susceperit in actu ba-
» ptismi de manu baptizantis sed de manu obste-
» tricis contra opinionem affirmantem ad contra-
» hendam cognationem spiritualem requiri ut pa-
» trinus recipiat puerum de manu baptizantis.
» Non contrahi vero declaravit cognationem spi-
» ritualem in *Goana lib.* 3 *Decret. pag.* 109 a
» non designato etiamsi baptizatum tetigerit, sed
» absque animo illum levandi de sacro fonte, ne-
» que ab eo, qui procuratorio nomine, patrini
» munus obivit tam in baptismo quam in confir-
» matione *in Pisana* 20 *Aprilis* 1589 *lib.* 5 *De-*
» *cret. pag.* 283, et novissime in *Theatina ma-*
» *trim.* 13 *Septembr.* 1721 *in tomo* 2 *Resolut.*
» *ejusdem Congregat. pag.* 76. » Unde est, quod non improbabilis sententia sit nec contrahi hanc cognationem a principali, quando per procuratorem hoc munus exercetur, quia jura passim exigunt contactum physicum et personalem ut probat Sanchez *lib.* 7 *de matrim. dist.* 59 *num.* 4 et Pirhing *h. t. num.* 37, quamvis probabilior sententia sit contrahi hanc cognationem per principalem; ut tenet Phiring *loc. cit.* Ast ratio probabilitatis primae sententiae efficit, ut nequeat dici matrimonium invalidum, quando contractum est obstante hoc impedimento cognationis spiritualis, si quis patrinus baptismo aut confirma-

tioni adstiterit per procuratorem ex eo principio, quod matrimonium semel actum retinendum est validum, usquedum evidenter non probetur esse invalidum, et in casu posita probabilitate illius sententiae non ostenditur evidenter esse invalidum. - (d) Addit hic Giraldi *op. cit. part.* 1 *sect.* 712 quod quamvis numeri patrinorum designandorum praefixio ita stricta sit, ut neque Episcopus dispensare possit super plurium designatione, cum ex vulgatis attento transcripto Tridentini Decreto inferior nequeat dispensare in lege superioris et ita sit declaratum a S. Congregatione Concilii, prout refert Passerinus *de cognat. spiritual. num.* 5 concludens juxta probabiliorem sententiam esse peccatum mortale admittere plures quam duos; nihilominus si plures contra Concilium designati et admissi fuerint a parocho, omnesque simul susceperint et baptizatum tetigerint tunc omnes cognationem contrahunt juxta eumdem Passerinum *ibi num.* 6, quia utrumque praestant videlicet et animum suscipiendi, et tactum: quemadmodum si ex negligentia parentum vel parochi nullus fuerit designatus, et nihilominus plures infantem de fonte susceperint, hi cognationem contrahunt, ut probat idem Passerinus *num.* 7 cum Navarro, Barbosa aliisque. Neque enim Concilium Tridentinum statuit designationem tamquam formam, qua deficiente factum sit irritum, et ita esse declaratum a S. Congregatione Concilii in *Cremonensi* idem Passerinus re-

fert. - (e) Quomodo proinde sunt intelligenda verba Concilii Tridentini: « quod si alii ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant »? Et dicendum est cum Gallemart *op. et. loc. cit. Declarationes sub num.* 8 id esse intelligendum de iis, qui tangunt sed non habent animum suscipiendi, qui proinde ex solo tactu non contrahunt cognationem spiritualem, quemadmodum qui habent suscipiendi animum, sed tactum non praestant, neque illi cognationem contrahunt, nam utrumque simul ex explicatis requiritur.

4.° De parentibus propriam prolem aut baptizantibus, vel suscipientibus in baptismate aut confirmatione, num contrahant spiritualem cognationem, dicendum est: - (α) Si *ex necessitate* id fecerint, juxta responsum Joannis VIII ad Anselmum Lemovicensem Episcopum relatum in *can.* 7 *causae* 30 *quaest.* 1 nullum incurrere impedimentum cognationis spiritualis, cum necessitas non habeat legem. Hoc autem non procedere de patre aut matre levante de sacro fonte, aut ex necessitate baptizante propriam prolem fornicarie susceptam probat Fagnanus in *cap.* 2 *h. t.*, et consequenter matrimonium inter se valide contrahere non posse. - (β) Idem dicatur si parentes ad id procedant per probabilem juris aut facti ignorantiam, nullum nempe incurrere cognationis impedimentum cum uxore, ac proinde debitum non solum posse reddere sed et petere, cum non ha-

beatur detrimentum ubi culpa non est, et tenent Sanchez *de matrim. lib.* 7 *dist.* 62 *num.* 10 et Pirhing *h. t. num.* 49. - (γ) Si vero parens extra necessitatem aut probabilem ignorantiam prolem ex propria uxore genitam baptizet, vel e sacro fonte vel in confirmatione suscipiat temere aut malitiose, etsi graviter peccet, certum tamen est non oriri cognationem spiritualem ad hoc ut conjugi innocenti non teneatur reddere debitum, cum in *cap.* 2 *h. t.* aperte dicatur ei suam fraudem non debere patrocinari vel dolum. Controvertitur tamen inter Doctores an iste parens amittat jus petendi debitum, et licet major pars putet ab eo amitti hoc jus, non desunt nihilominus qui teneant nullum hodie conjugalis usus impedimentum oriri, ut colligi videtur ex *can.* 5 *caus.* 30 *quaest.* 1, quam sententiam etiam probabilem censet Layman *lib.* 5 *tract.* 10 *p.* 4 *cap.* 8 *num.* 8, et hac posita utrinque probabilitate supervenit principium in re dubia non posse certum jus conjugi auferri.

5.° An in baptismo privato habeat locum cognatio spiritualis inter patrinum et matrinam cum baptizato ejusque parentibus dubitatum est, usque dum proposita fuerit quaestio apud S. Congregationem Concilii *die* 29 *Maii* 1677; quae respondit: *Dilata et scribant Theologi.* Istorum deinde scripturis transmissis et distributis per manus Cardinalium *die* 5 *Martii* 1678 propositum fuit dubium: « An dispositio Concilii *cap.* 2 *sess.* 24 *de reform. matrim.* decernens in sacramento baptismatis contrahi

cognationem spiritualem inter suscipientem et patrem ac matrem suscepti habeat locum in baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi sequuto?» S. Congregatio renspondit *affirmative*. Post quam solemnem et doctrinalem interpretationem authenticam contrariae sententiae quaevis probabilitas deficit. Refertur totus processus decisionis in *Analecta Juris Pontificii serie VIII fas.* 72 *pag.* 1708 *et seqq.*

6.° Demum quaeritur quinam prohibeantur esse patrini. Et dicendum est neminem arceri ex fidelibus, nisi expresse a jure prohibeatur, proinde neque puer arcetur, nisi sit rationis usu destitutus, et neque foemina arcetur, etsi decens sit ut viro vir patrinus et foemina foeminae constituatur matrina. Expresse autem quidam a jure prohibentur, et jus est vel generale vel particulare. De jure generali prohibentur: - 1.° excommunicati vitandi *argum. can.* 29 *et* 34 *causae* 11 *quaest.* 3 et *cap.* 16 et *cap.* 29 *de sent. excommun.* - 2.° Infames, ne potius baptizandum pervertant, ut tenent cum communi Sanchez *de matrim. lib.* 7 *dist.* 70 *num.* 2 aliique Doctores. - 3.° Religiosi omnes utriusque sexus ex *can.* 20 *caus.* 18 *quaest.* 2 et *can.* 103 *de consecrat. dist.* 4 ac *can.* 8 *caus.* 16 *quaest.* 1 ne praetextu cognationis spiritualis nimiam familiaritatem contrahant cum saecularibus praesertim foeminis. - 4.° Ignorantes rudimenta fidei, nequeunt enim muneri sibi commisso satisfacere, nempe erudire in fide levatum. - 5.° De

jure particulari etiam clerici majores, ut Romae ipsi prohibentur ab hoc munere implendo, nisi a Cardinali Vicario hanc veniam petant. - 6.° Demum arcentur haeretici et suspecti de haeresi, ita Gonzalez in *cap. fin. h. t. nnm.* 6. Et quoad ultimum hunc casum attendendum est, neque permissum a jure esse quod haeretici munus patrini exerceant in baptismo vel confirmatione fidelium, neque quod catholici tale munus exerceant in baptismo ab haeretico ministro collato, nisi habeatur super hoc specialis venia, quae conceditur ex ratione gravissima, et dummodo baptismus rite conferatur, praesertim in locis, in quibus catholici haereticis admixti vivunt. Notandum tamen est has exclusas personas, si tale officium obeunt, cognationem spiritualem contrahere non minus catholicas quam haereticas, cum utraeque Ecclesiae legibus sint subjectae.

7.° In hoc impedimento cognationis spiritualis dispensat solus Pontifex Romanus, quia lex generalis est. Advertendum porro est difficilius dispensari in paternitate, quam in compaternitate, unde necesse est, ut in supplicatione exprimatur, an petatur dispensatio super paternitate an super compaternitate. Et pariter notandum est, aliquando concedi facultates Episcopis locorum, ut ipsi dispensent per delegationem Summi Pontificis ab hoc impedimento. In his vero litteris delegationis apponitur limitatio, ut sit exclusus casus cognationis *inter levantem et levatum*. Porro hanc limi-

tationem intelligebant nonnulli Episcopi, quod fuisset simpliciter exclusus casus inter baptizantem et baptizatum, non vero inter patrinum, matrinam et baptizatum. Non semel autem consulta super hoc S. Poenitentiaria, a qua procedebant illae facultates, respondit sub nomine levantis venire patrinum et matrinam, qui vocabulo juris vocantur levantes seu suscipientes è sacro fonte. Antiquissimum hunc usum adhibendi patrinum vel matrinam in sacramento baptismatis et confirmationis auctoritate canonum probatum et commendatum jugi observantia esse retinendum non semel edixit in suis Instructionibus Suprema Congregatio S. Officii, cujus Litterae nostris quoque temporibus editae circumferuntur. Profecto haec praecepta sunt servanda in publicis quoque administrationibus Sacramenti Confirmationis, quae fiunt ab Episcopis in visitatione quam peragunt propriae Dioecesis, ut quivis confirmatus vel confirmata suum habeat susceptorem, nisi circumstantiae temporum et locorum aliud ex necessitate vel prudentia exigere videantur.

TITULUS XII.

De Cognatione Legali.

1.° Ex adoptione pariter provenit impedimentum inter certas personas, ne sub poena irritationis fiat conjugium, et dicitur cognatio legalis; quae definitur: « proximitas seu propinquitas personarum proveniens ex adoptione ». Id legibus Romanorum fuerat institutum, ut adoptio imitaretur naturam, et proinde ex constituta adoptione prohiberentur nuptiae: - 1° ratione *civilis paternitatis* inter adoptantem adoptatum ejusque filios idque perpetuo etiam resoluta adoptione; - 2° ratione *civilis fraternitatis* inter adoptatum vel adoptatam, et filias filiosque adoptantis naturales ac legitimos usquedum adoptio perduraret, vel isti non emanciparentur; - 3° ratione *affinitatis* ortae ex civili vinculo adoptionis inter adoptatum et uxorem ado-

ptantis, atque inter adoptantem et uxorem adoptati pariter perpetuo. Quae conjugia improbata sunt propter pudorem et publicam honestatem, ut loquitur Modestinus in *leg.* 12 *digest. de ritu nuptiar.* Hanc recte constitutam disciplinam optime respondentem honestati familiarum et publicis societatis moribus Ecclesia pervadens Imperium Romanum non destruxit, bene vero servavit et in totum retinendam curavit. Ex quo contigit, ut cognatio legalis evaderet canonicum impedimentum. In retinendis autem hac super re legis civilis dispositionibus adeo se praestitit obsequens jus ecclesiasticum, ut Nicolaus I *Ep. ad consulta Balgaror. cap.* 2 *relata* a Gratiano in *can.* 1 *caus.* 30 *quaest.* 3 *venerandas* romanas leges eas nominaverit et *observandas*. Quod jus semel in christiana societate introductum nullas vicissitudines passum est. Tantummodo inter Auctores quaerebatur: an cognatio legalis nasceretur tam ex adoptione simplici quam ex adrogatione. In qua quaestione ego putarem ita rationabilius esse sentiendum, quod teste Giraldi *op. et par. cit. sect.* 713 communiter a Doctoribus retinetur, nempe oriri impedimentum cognationis legalis tam ex perfecta quam ex imperfecta adoptione, cum canones eam admittentes indistincte loquantur, et vinculum cognationis legalis jam legibus et moribus romanis longe ante Justinianum inductum ex utraque adoptione procedens eo modo perseveraverit etiam postquam ipse *leg. penult. Codic. de adoptione* et § 2 *In-*

stitut. de adoptione jusserit in adoptione filiorum familias facta a patre naturali extraneae personae jura patris naturalis minime dissolvi, nec quidquam ad patrem adoptivum transire, nec in potestatem ejus filios esse. Namque etsi discrimen illud maximum apposuisset Justinianus inter adrogationem et minus plenam adoptionem; mores tamen populi romani iidem manserunt, et non minus adrogatus sui juris, quam ille, qui erat alieni juris a patre naturali datus extraneo in adoptionem simplicem ingrediebatur in familiam patris adoptivi; ille quidem *jure* et *facto*, hic autem si non *jure* saltem *de facto* ingrediebatur domum patris adoptivi, ibique more filiorum familias vivebat. Unde est quod in utroque casu habebatur ratio publicae honestatis, tuendae familiaris continentiae atque eliminandae fornicationis, ut non minus adrogato quam simpliciter adoptato interdicerentur connubia in familia, in qua ut filii fuerant recepti. Et hinc explicamus quomodo canones supra memorati non distinguant inter adrogationem et minus plenam adoptionem quoad cognationem legalem.

2.° Verum supradicta questio hodie non est practica; nam diversa Regna et Nationes recedentes a jure communi Romanorum non agnoscunt hanc duplicem Justinianeae Jurisprudentiae adoptionem, sed aut prorsus in suis codicibus adoptionem sustulerunt, vel si adoptionem admittunt eam unicam et communem servant tum

hominibus sui juris tum filiis familias, quaeque unica ratio adoptionis nec plene cum adrogatione veteri nec plene cum antiqua adoptione simplici convenit. Unde quaestio practica hodie est: an impedimentum civilis cognationis ab Ecclesia recognitum inducatur ex adoptione, quae in usu penes christianas gentes hodie est ex ipsarum legislatione? Et non desunt inter Auctores, qui teneant sententiam negativam, nempe ex hac adoptione non oriri cognationem legalem, quae ab Ecclesia desumpta est juxta conceptum adoptionis apud Romanos usu receptae, quae utraque longe differt a moderna adoptione. Ad quam tamen resolvendam quaestionem mihi videtur sic esse procedendum, nempe praesupponendum esse, quod jura civilia alicujus nationis admittant adoptionem. Cessante siquidem hoc simulacro vel concessione juris civilis, nec nascitur civilis cognatio; cum auctoritas assumendi aliquem in filium vel nepotem qui natura talis non est, oriatur ex jure civili. Hoc autem stante simulacro, tunc quaecumque tandem forma sit, semper ex adoptione inducitur relatio plus minus notabilis inter adoptantem et adoptatum, atque iste incipit numerari vel jure vel facto inter filios adoptantis, unde supervenit ea ratio, quam supra expendimus de publica honestate. Et hoc verificari debet in omni legislatione, quae adoptionem acceptet, nisi velimus asserere frustra eam in codicibus admitti ad imitationem naturae seu nativitatis naturalis in

familia. Et revera cum ipsi codices civiles inter tales personas aliasque connexas interdicant nuptias, an putabimus Ecclesiam velle posthabere publicae honestatis rationem, quam in casu Codices civiles quoque servant? Unde videtur concludendum in casu oriri impedimentum cognationis legalis.

3.° Praeterea affirmativa haec sententia auctoritate apparet omnino retenta et confirmata. Siquidem ex actis S. Poenitentiariae Apostolicae constat morem esse in talibus recognoscendi cognationis legalis impedimentum, et exempla habemus pro Gallia, Regno Neapolitano, aliisque regionibus *tom. XXV num.* 78 *et tom. XXX num.* 29. Vulgata habetur decisio doctrinalis ejusdem Tribunalis *tom. XII num.* 20 ad D. Lasserre Vicarium Generalem Petrocorensem, qui cum proposuisset dubium: « Cum in eodem regno Galliae adoptionis jus modo legaliter sit receptum, quaeritur an canonicum impedimentum adoptionis dirimens locum etiam habere debeat? » Et responsum est: « Affirmative si res sit de adoptione legitime inita. » Circa quod Rescriptum nescio qua ratione a nonnullis Doctoribus de ejus valore dubitatum sit *de qua adoptione* ageretur. Hoc erat evidentissimum agi de adoptione, quae in Gallia habebat locum ex articulis codicis vigentis, quae ante codicis receptionem fuerat instituta ex moribus aut ex consuetudine; proinde exponit Lasserre hodie fuisse receptum *legaliter* vel a codice civili

jus adoptionis quod antea fuerat statutum in vim consuetudinis tantum, et ex adoptionis jure legaliter recepto quaerit an contrahatur impedimentum cognationis legalis; ac S. Poenitentiaria respondit: « Affirmative si res sit de adoptione legitime inita » nempe inita modo a legibus seu a Codice Gallico determinato. Quod probat cognationis legalis impedimentum advenisse seu contractum esse, si adoptio fuisset peracta modo a Codice statuto. Duo proinde requiruntur ad inducendam cognationem legalem juxta conceptum Ecclesiae, nempe: - 1° ut leges civiles hanc adoptionem admittant, - et 2° ut adoptio fuerit completa juxta modum a legibus civilibus praescriptum. - Atque ipsa S. Congregatio S. Officii, prout habetur authenticum exemplar in *tom. XXXIII num.* 249 *actor. S. Poenitentiariae in Neapolitana* ad dubium « an adoptio celebrata in forma praescripta a Codice civili Regni Neapolitani producat nec ne impedimentum canonicum cognationis legalis dirimens matrimonium? » respondit *sub die* 23 *Februarii* 1853: « affirmative ». Neque opponatur decisio S. Officii *allata a Ferraris Pro matrimonio art.* 2 *additio ex novissima Romana editione:* « In Bulgariae provin-
» cia mos est, ut patresfamilias aliquando sibi in
» filios adoptent, absque tamen ulla juris solemni-
» tate, aliquos pueros et puellas. Hujusmodi ado-
» ptati communiter inter catholicos ibi commo-
» rantes, veluti filii legitimi reputantur, adeo ut

» in hereditate etiam succedant. Rev. D. Joseph » Roveramus missionarius..... Sacram Congr. de » Propaganda Fide humiliter supplicavit, ut de» clarare dignaretur, an talis adoptio impedimen» tum pareret *cognationis legalis*. Eadem S. Congr. » instantiam remisit ad S. Cong. S. Officii. De» inde in Congregatione generali habita coram SS. » DD. Nostro *Feria V die* 16 *Aprilis* 1761 San» ctissimus..... declaravit, praefato in casu nul» lum existere impedimentum. » In hac enim specie nulla est lex civilis, quae adoptionem constituat; sed est tantum ex more populi et deinde nulla est in adoptione facienda juris solemnitas praescripta: quomodo ergo constare poterat et de lege adoptionis vigente apud Bulgariae populum, et de adoptione legitime inita? Jure proinde suprema Congregatio S. Officii respondit praefato in casu nullum cognationis legalis existere impedimentum. Ex quibus omnibus licet concludere ex adoptione, prout nunc apud diversas gentes obtinet, etsi recesserit forma juris romani, induci tamen impedimentum cognationis legalis eodem recepto modo, et inter eas omnes personas, quas canones et Ecclesiae praxis usque adhuc respexerunt. Receptus autem modus est, quod leges civiles adoptionem admittant, quod simulacrum imitans naturam ab eis pendet ut introducatur; et deinde quod serventur solemnitates ab eisdem legibus praescriptae, eisque intervenientibus adoptio ineatur. - Adno-

tat demum Giraldi *loc. cit.* cum Sanchez *lib.* 7 *dist.* 64 *num.* 19 cognationem legalem matrimonio supervenientem debiti petitionem minime impedire, cum nullus textus ad hoc inveniatur, et odiosa non debeant extendi.

TITULUS XIII.

De eo qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsae.

1.° In hoc titulo sermo est de affinitate orta ex copula illicita, cum in subsequenti sermo sit de affinitate orta ex copula licita simul et de consanguinitate. In hoc vero titulo aguntur quatuor quaestiones, prout copula illicita habet locum vel antecedenter ad sponsalia de futuro aut matrimonium, vel potius post sponsalia aut matrimonium initum; et in omnibus istis casibus quaeritur quid praejudicet talis copula sponsalibus aut matrimonio contrahendo vel contracto.

2.° Si copula illicita habita sit cum consanguinea ejus, quam sibi velit quis in sponsam de futuro eligere, potestne cum hac sponsalia de futuro contrahere? Et respondetur non posse eam sibi in sponsam eligere, quia promissiones non

valent de re, quam quis praestare nequit; atqui matrimonium cum hac haberi non potest obstante affinitate ex copula illicita, ergo cum tali sponsalia nequeunt contrahi. Haec omnia jam ex dictis in titulo primo hujus libri clara sunt. Similiter ex hac illicita copula cum consanguinea ejus cum qua quis sponsalia de futuro antecedenter contraxit, resolvuntur haec sponsalia ex superveniente affinitate ex *cap.* 2 *et* 9 *h. t.* et prout notatum est praedicto titulo primo. Tantummodo hic quaeri potest in quo gradu consanguinitatis debeat illa esse cum sponsa, ut ex copula cum ea habita vel sponsalia iniri de novo nequeant vel jam contracta resolvantur ex affinitate superveniente? Et dicendum est ante Concilium Tridentinum cum nulla esset differentia inter affinitatem ortam ex copula fornicaria vel maritali *argum. cap.* 8 *de consang. et affinit.*, affinitas contrahebatur ex copula habita cum sponsae consanguinea usque *ad quartum gradum*: sed cum Concilium Tridentinum postea distinxerit *cap. 4 de reform. matrim.* inter affinitatem contractam *ex fornicatione* et aliam ortam ex copula maritali, illamque, quae ex fornicatione contraheretur, inducentem impedimentum quod matrimonium postea contractum dirimit ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu conjunguntur restrinxerit, facile est concludere quod copula habita cum consanguinea sponsae in primo et secundo gradu tantum interdicit sponsalia inire vel jam contracta resolvere: unica si-

quidem ratio in casu interdictionis sponsalium contrahendorum, vel resolutionis sponsalium jam contractorum ea est, quia inter illas personas ex affinitate jam existente vel superveniente matrimonium contrahi nequit.

3.° At quid censendum est de matrimonio cum ea contrahendo, cujus consanguineam quis carnaliter cognovit? Responsio in promptu est, eam non posse sibi in matrimonium copulare; nam ex hac affinitate impedimentum est, ne eam sibi in uxorem valeat assumere; et quidem id valet, post Concilium Tridentinum *ex d. cap.* 4, si in gradu primo et secundo consanguinea sit cum ea in uxorem copulanda cum antiquitus id vigeret usque ad quartum gradum. Quo in loco mihi videtur adnotandum Concilium Tridentinum jure nominasse *hanc affinitatem ex fornicatione* ut distingueret inter copulam habitam vel ex matrimonio aut in specie matrimonii, et copulam fornicariam. Et profecto quando hic sermo est de copula fornicaria et de affinitate ex fornicatione, excluditur quaecumque copula etiam illicita nempe sub specie matrimonii, et recensetur tantum fornicaria ex qua affinitas usque ad secundum gradum coercetur. Et non desunt graves rationes ad id evincendum. Nam Concilium Tridentinum potissime has juris antiqui fecit correctiones ex ratione assignata in *cap.* 2: « docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus

vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur; » prout ex altera ratione quod haec impedimenta soleant latere si sunt ex fornicatione. Verum haec impedimenta non latent si sunt ex copula maritali, aut ex ea quae acta est sub specie matrimonii. Quapropter meo judicio reprehendenda est illa dictio, qua quoad affinitatem incurrendam distinguitur inter copulam licitam, et illicitam, ut ex prima affinitas dicatur exurgere usque ad quartum gradum, ex alia vero usque ad secundum; cum rectius et conformius menti Concilii Tridentini diceretur, quod ex copula fornicaria enascatur affinitas usque ad secundum, ex alia copula autem enascatur affinitas usque ad quartum gradum, quemadmodum communiter intelligunt Auctores profundiores excepto Sanchez *dist.* 67 *n.* 7, et aliis nonnullis apud Gallemart *op. et loc. cit.* cujus hac in re satis aperta est opinionis singularitas. Quibus rationibus accedit et alia, nempe non esse admittendam legum correctionem utpote odiosam, nisi in casibus a jure expresse notatis.

4.° At quid demum dicendum erit si haec copula cum consanguinea locum habeat jam constante matrimonio? Respondendum est tunc ex *cap.* 1 *h. t.* duplicem incurri poenam, nempe: - 1.° Cum non possit matrimonium semel initum solvi, saltem privari jure petendi debitum eum, qui tali crimine se reum reddidit, quamvis non solvatur ab obligatione illud reddendi. Et relate ad

hoc dispensatio datur a S. Poenitentiaria, si crimen est occultum: si vero est publicum, tunc a Dataria Apostolica providetur. At haec poena incurritur post Tridentinum, si copula habita sit cum consanguinea uxoris in primo vel secundo gradu, cum antiquitus incurreretur, si crimen commissum fuisset cum consanguinea usque ad quartum gradum. Id fuit decisum a S. Congregatione Concilii in Responsione probata a Gregorio XIII; quemadmodum notat Gallemart *op. et loc. cit.* - 2.° insuper si commissum fuerit crimen cum consanguinea uxoris in primo gradu, tunc uterque particeps criminis privabatur jure contrahendi *licite* matrimonium cum qualibet persona perpetuo; etsi hoc jure privaretur *ad tempus* si crimen admisisset cum consanguinea sponsae de futuro in primo gradu, prout habet Pirhing *h. t. num.* 10 cum aliis. At hodie haec secunda poena non habet locum ex desuetudine, ut notat Giraldi *op. et part. cit. sect.* 714. Nec item S. Poenitentiaria illam poenam inducit, quando dispensat super jure petendi debitum. Solummodo propterea relinquitur imponenda de stylo poena haec interdicendi aliud connubium Datariae, quando dispensat super consanguinitate usque ad quartum gradum, ubi intercedat copula incestuosa. Hic vero est notandum Sixtum V pro Urbe et Statu Ecclesiae imposuisse aliam poenam in admittentes tale crimen constitutione « *Volentes* » *Nonis Aprilis* 1587, prout notatur hic: « Quicumque ausu

» nefario scienter matrem et filiam sive duas so-
» rores germanas carnaliter cognoverit etiamsi eae,
» earumve altera publicae meretrices fuerint, sive
» clam sive palam, aut figura matrimonii tale
» crimen admiserit, sive etiam cum altera earum
» legitimo matrimonio conjunctus extiterit, poena
» ultimi supplicii plectatur. - Qua itidem poena
» mulier puniatur, quae sciens matrem aut filiam
» vel sororem suam cum aliquo viro rem habuisse,
» eidem viro ipsa quoque sui corporis copiam fe-
» cerit. - Similiter volumus, unamquamque mu-
» lierem, etiamsi instigante humani generis hoste
» eo devenerit impudentiae, ut corpore publice
» quaestum faciat, quae cum patre, et filio, sive
» cum duobus germanis fratribus scienter se car-
» naliter commiscuerit, sive a praedictis sciens se
» carnaliter cognosci permiserit, etiamsi eorum al-
» teri legitimo toro copulata fuerit, poena ultimi
» supplicii puniri. - Idque etiam in eum virum
» observari volumus qui sciens, patrem aut filium,
» vel fratrem suum cum muliere aliqua rem ha-
» buisse, ipse etiam eamdem mulierem carnaliter
» cognoscere non erubuerit. » - Haec autem omnia locum habent, quando tale delictum admissum sit *scienter*, ut monet *cap.* 1 *h. t.*, unde requiritur et voluntas et cognitio: proinde si foemina fuerit a consanguineo mariti per vim cognita, ea non incurrit impedimentum, cum expers culpae sit quoque poenae expers. Ut vero docet hic Schmalz-

grueber *h. t. num.* 23 sufficit scientia *facti* et voluntas, non autem scientia *juris*, ut quis dignoscat talem poenam esse a jure statutam.

5.° Unicuique patet ea, quae nos diximus de affinitate superveniente ex copula habita cum consanguinea uxoris suae vel sponsae, non posse habere locum, si quis cum propria consanguinea carnaliter copuletur. Etsi enim ut advertimus aliquando incestuosis prohibeatur secundum matrimonium post dispensationem in primo, numquam tamen hic incestus potest sponsalibus initis aut ineundis praejudicare, prout et conciliando matrimonio aut jam existenti, quia ex hoc crimine non inducitur cum sponsa vel cum uxore affinitas. - Ex his, quae in hoc titulo exposuimus, facile explicantur ea, quae advertimus in *Titulo Quarto*, nempe *de Matrimonio civili* nuncupato. Etsi enim illud matrimonium sit omnino invalidum, et proinde copula ex eo habita sit prorsus illicita, in his locis ubi est promulgatum Concilii Tridentini decretum *sess.* 24 *cap.* 1 *de reform. matrim.*, nihilominus non est confundenda cum illa *copula fornicaria,* de qua loquitur citatum *caput* 4 *sess.* 24 *de reform. matrim.* ex qua habetur affinitas dirimens matrimonium usque ad gradum secundum; proinde affinitas orta ex consummatione matrimonii civilis dirimit usque ad quartum gradum. Etsi enim ut diximus non sit verum conjugium, habet tamen *formam* conjugii, quam ille solum

negare poterit, qui sensuum testimonio, et totius communitatis renuntiationi valedicat. Non est proinde haec copula, quae possit latere, propter quam rationem restrictum est impedimentum proveniens affinitatis *ex fornicatione*.

TITULUS XIV.

De consanguinitate et affinitate.

1.° Bipartita est hujus tituli tractatio, ut primum de consanguinitate deinde de affinitate sermo sit. Consanguinitas porro, ut habetur communiter apud Doctores: « est vinculum personarum quae ab eodem stipite seu progenitore eoque propinquo per carnalem generationem descendunt. » In qua definitione prius considerandum est quod a cognatione hac inducatur vinculum personarum quod obstet nuptiis inter easdem personas contrahendis. Deinde vero attendendum est hanc cognationem enasci, ex eo quod proveniunt omnes per carnalem generationem ab eodem stipite seu progenitore *propinquo,* secus omnes homines persentirent hoc vinculum quia omnes ab Adam et Eva procedunt. In hac porro cognatione seu con-

sanguinitate attendendae sunt *lineae* et *gradus*. Linea est ordinata series personarum ab uno communi stipite descendentium per varias generationes varios in se continens gradus. Et linea duplex est, nempe *recta* et *obliqua* seu collateralis vel transversa. Linea recta illa dicitur, in qua collocantur illae personae, quarum una est genita ab altera, ut puta pater, filius, nepos etc., et si ascendatur per gradus directos ad progenitores, patrem, matrem, avum, aviam etc., dicitur linea recta *adscendentium*, si autem a progenitoribus descendatur recte ad progenitos, puta a patre vel matre ad filium vel filiam, ad nepotem vel neptem appellatur linea recta *descendentium*. Linea vero obliqua seu collateralis illa nominatur, in qua ponuntur illae personae, quarum una non trahit originem ab altera, quamvis eamdem radicem mediatam vel immediatam habeant, ut sunt duo fratres, patrueles etc., quia unus frater non est genitus ab altero, sed ambo immediate procedunt ab eodem patre tamquam stipite communi. Quae linea obliqua aut collateralis est iterum duplex: *aequalis* et *inaequalis*. *Aequalis* est, cum personae in linea collaterali collocatae aequaliter distant a communi stipite, ut frater et soror. *Inaequalis* quando inaequaliter distant ita ut una sit communi stipiti proximior quam altera, ut frater et sororis filia. Gradus autem est certa distantia unius personae ab altera in eadem linea consanguinitatis, quae distantia major est vel minor, prout

per plures vel pauciores generationes numerantur usque ad communem stipitem. - Ad dignoscendum vero quo gradu consanguinei, de quibus quaeritur, inter se distent, una regula traditur pro linea recta, aliae pro obliqua prout linea est aequalis vel inaequalis. Pro linea recta regula est sequens, nempe: tot gradibus una persona ab altera distat, quot sunt personae una dempta, aut quot sunt generationes tot sunt gradus; ita filius a patre distat uno gradu, cum sint duae personae et una generatio; et ita dicatur ex parte matris. Quod spectat vero ad lineam collateralem vel obliquam usque ad saeculum undecimum in ecclesiasticis quoad matrimonium eadem regula habebat locum, ut tot essent gradus quot personae una dempta, vel tot gradus, quot generationes, prout jure romano factitabatur. At eo saeculo occasione disputationis inter Petrum Damianum et Jurisconsultum Ravennatem Alexander Papa II post Concilium Romae habitum adhibendum esse duxit modum computationis germanicae prae romano insistens in hoc principio, scilicet: « personae a se invicem tot gradibus distant, quot gradibus distant a communi stipite » et ita computatio generationum ab una tantum parte facta est; et ita quidem, ut si linea esset aequalis maneret invariata talis regula, ac proinde fratres erant in primo gradu, patrueles in secundo etc. Si autem linea fuisset inaequalis, tunc vigeret sequens regula, nempe: quo gradu remotior persona distat a com-

muni stipite, eodem gradu distant inter se. Sic si Cajus habeat duos filios Titium et Sempronium, et Sempronius iterum habeat filium et nepotem, si jam quaeratur in quo gradu nepos Sempronii sit consanguineus Titii? responderetur eum esse consanguineum in tertio gradu nam nepos Sempronii distat in tertio gradu a communi stipite. Haec vero computatio canonica diversa in linea obliqua a computatione lineae rectae et a computatione civili quae in linea obliqua aequali est duplo major locum habet tantum in matrimonio; nam pro aliis respectibus puta successione ad haereditates, aliisque computatio canonica congruit semper cum computatione civili.

2.° Queis positis quaeritur quomodo consanguinitas obsit matrimoniis conciliandis? Et respondendum est obesse quoad aliquas personas et gradus ex *jure naturali*, quoad aliquas ex *jure positivo divino*, et demum quoad aliquas ex *jure ecclesiastico*; id quod sequenti ex sermone patebit. Et quidem *jure naturali* prohibetur conjugium inter eas personas, quae se mutuo respiciunt nomine parentum et liberorum vel quae sunt in linea recta. De jure naturali id dicimus esse prohibitum, cum inter eas personas naturaliter intercedat ea necessitudo et relatio *majoritatis* et *subjectionis*, atque his respondens *benevolentia reverentialis*, quae consistere nequit cum affectione maritali exigente *aequalitatem* inter conjunctas personas, ita ut tunc maritalis affectio incipiat,

cum deficit reverentialis illa benevolentia. Cui rationi accedit alia quae post peccatum primi parentis etiam induit rationem turpitudinis non revelandae, ut *Levit. XVIII v.* 7 dicitur: « Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuae non discooperies; mater tua est: non revelabis turpitudinem ejus » et *v.* 10: « Turpitudinem filiae filii tui, vel neptis ex filia non revelabis, turpitudo tua est. » Hinc est tales nuptias *jure gentium* consideratas ubique fuisse incestas, idest ab omnibus civilibus populis licet idololatris horrore habitas, ut Jurisconsultus ait *legg.* 53 *et ult. ff. de ritu nuptiarum,* quamquam non defuerint in Asia et Africa populi adeo moribus perditi, ut haec matrimonia inierint, sic referente de illis populis Ovidio *Metamorph. lib. I:*

» In quibus et nato genitrix et nata parenti
» Jungitur et pietas geminato crescit amore.

Quod naturae vetitum non solum in primis lineae rectae gradibus, sed et in omnibus etiam remotioribus fuisse recognitum certum est, cum pro omnibus eadem ratio adsistere videatur. Pone sequitur jus *positivo-divinum* nuptias interdicens et irritas faciens inter sororem et fratrem, vel ut aiunt scholae, inter personas existentes in primo consanguinitatis gradu lineae obliquae, utroque parente vel alterutro genitis, de quo interdicto loquitur Moyses in Levitico *XVIII v.* 9: « Turpitudinem sororis tuae ex patre, sive ex matre quae domi vel foris genita est non revelabis » et *v.* 11:

« Turpitudinem filiae uxoris patris tui quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis. » Etsi enim non desint Doctores qui teneant has quoque nuptias jure naturali inhiberi, cujus legis dispensatio facta a Deo sit in matrimoniis contractis a filiis et filiabus communium Protoparentum; aliis tamen Doctoribus displicet hic loquendi modus, cum et in jure naturali non admittant possibilem dispensationem; cumque talis locutio aliquantulum sit divinae sapientiae contumeliosa, quae ita humani generis propagationem ordinaret, ut statim in lege naturae dispensatio necessaria ad obtinendum finem videretur. Haec proinde eruitur edita lex atque a Deo universo humano generi imposita tum cum ex uno stipite procedentes homines in plures coivere familias, tamquam *ad honestatem familiarum contutandam, fovendamque charitatem inter diversas familias*, qui duo fines principio non habebantur. De hoc altero fine loquens S. Augustinus *lib.* 15 *de civit. Dei* aiebat: « Habita est ratio rectissima charitatis, ut homines quibus esset utilis atque honesta concordia diversarum necessitudinum vinculis necterentur, nec unus in uno multa haberet, sed singulae spargerentur in singulos, ac sic ad socialem vitam diligentius colligandam plurimae plurimos obtinerent. » Hoc autem jus positivo-divinum non solum Judaeos ex citatis verbis Levitici et Christianos, sed universum humanum genus respicere atque obligare dicendum est. Impositum quippe

est a Deo Adami posteris, quando pluribus efformatis familiis non amplius necesse fuit ut fratres sororibus in matrimonium copularentur. Divini hujus vetiti vestigium, in jure a civilibus gentibus peraeque observato videmus, cum Plato *lib.* 8 *de legibus* talia conjugia *minime pia* sed Deo invisa esse dixerit, et Seneca idem asseruerit, et Pomponius in lege *Libertinus* 8 *ff. de ritu nuptiarum* dicat inter tales personas conjugium *moribus* non *legibus* fuisse vetitum, scilicet non ex placito juris civilis sed antiqua traditione. Cujus rei validius argumentum habemus ex *cap. Gaudemus* 8 *de Divortiis* in quo Innocentius III conjugia ab infidelibus ante receptam fidem contracta in secundo et sequentibus consanguinitatis gradibus, eis ad fidem accedentibus non esse separanda iudicaverit cum constitutionibus canonicis non arctarentur, quando talia iniverunt conjugia: profecto ex sensu contrario eruitur quod si in primo lineae obliquae gradu in infidelitate contraxissent, eos separandos esse rescripsisset; quod arguere facit haec conjugia si non jure naturali, divino saltem positivo inhiberi, non autem legibus tantum ecclesiae, queis infideles non tenentur. Revera si ad baptismum sic copulati accederent, eos separandos esse ab Ecclesia rescribi ex hoc pro certo putarem, quod ex praxi S. Sedis quoad fideles non solum in contrahendis conjugiis dispensatio numquam conceditur, sed nec in contractis bona fide, etiam occulto existente hoc impedimento gravissimis licet

existentibus rationibus, nec dispensatio ad renovandum consensum, nec sanatio in radice adhibeatur; quod apprime demonstrat non a jure ecclesiastico hoc impedimentum profluxisse sed vel a jure naturali, vel ex jure positivo divino, in quo dispensandi potestas a Deo non fuit Ecclesiae concessa.

3.° Postremo venit jus ecclesiasticum in aliis cognationis gradibus lineae obliquae sub poena irritationis matrimonia interdicens. Genesis autem ecclesiastici juris hac in parte sequens est. - Principio Ecclesia praeter jus naturale et divinum respicere visa est jus romanorum et legitimitatem personarum quoad consanguinitatem in matrimoniis conciliandis. Licet enim afferantur plures canones in Decreto Gratiani, tamquam editi ab Hygino, Fabiano, Calixto, Julio I, et Gregorio Magno, quibus usque ad quartum et septimum etiam gradum consanguinitatis nuptiae prohiberentur et haberentur invalidae; hi tamen Canones ab eruditis et criticis habentur gravibus ex rationibus tamquam apocryphi, ut pluribus probat Sebastianus Berardus in opere *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti, parte 2 cap.* 59 *sect. IX et sect. XV*. Nec mirum si in principio etiam in hoc Romani Pontifices legum civilium dispositiones sequi non sunt dedignati, proinde sua approbatione regulas canonicas fecerunt, quemadmodum in aliis idem factitaverunt usque dum aliam sequi regulam necessarium vel evidenter

utile non perspexerint. Jus autem Romanorum diversas vicissitudines passum est. Initio enim in tertio eorum computationis gradu nuptiae prohibitae sunt, quia turbato naturae ordine saltem nominum religione tali ex concubito nati filii et fratres una nascebantur, tamquam ex matrimonio inter patrem et filiam improbe contracto, cum patris nomen avunculo et patruo jure convenire certum sit; *leg. per adoptionem* 18 § *I, et leg. sororis* 39 *ff. de ritu nuptiarum.* Quod si Claudii Imperatoris Agrippinam fratris filiam depereuntis exemplo et Senatus consulto impetrato deinde permissum est, ut in tertio quoque gradu matrimonia fierent legitime, ut fratris filiam uxorem ducere non etiam filiam sororis liceret; hoc tamen jus nefarium appellatum et Christianis moribus ac disciplinae adversum edicto Costantini et Constantis sublatum est, atque instauratum antiquum jus de vetitis in tertio gradu conjugiis: *leg. I Cod. Theodos. de incestis nuptiis.* Consobrinorum etiam connubia seu in quarto gradu cognationis juxta computationem civilem, diu apud romanos ignorata fuerunt, et ab iis abstinebant *continentia potius quam certa lege.* Sed progressu temporum impune matrimonia inter consobrinos jungebantur. Primus qui *circa annum Christi* 390 lege scripta id vetuit, fuit Theodosius Magnus *leg. I Cod. Theod. Si nuptiae ex rescripto petantur.* De quo S. Ambrosius *(epistol. ad Paternum* 60 *juxta edit. Maurinam)* « Theodosius Imperator etiam

fratres patrueles et consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, et severissimam poenam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora, et tamen illi invicem sunt sibi aequales, tantummodo quia propinquitatis sunt necessitudine et fraterno societatis ligati vinculo, pietati eos voluit debere quod nati sunt. » De hoc Imperatoris edicto meminit Sextus Aurelius Victor seu ut alii volunt Victorinus in epist. ad Cesarem, inquiens: « Tantum pudori et continentiae tribuens ut consobrinarum nuptias vetuerit tamquam sororum » et demum S. Augustinus circa annum 428 *de civit. Dei lib.* 15 *cap.* 16 « Verumtamen quis dubitet honestius *hoc tempore* etiam consobrinorum conjugia prohibita esse, quia nescio quomodo inest humanae verecundiae quiddam naturale, atque laudabile, ut cuique debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea commineat. » Theodosianum hoc edictum licet deinceps ab Arcadio Imperatore fuisset revocatum anno 405, et Justinianus *inst. de nuptiis* § 4 inter patrueles et consobrinas nuptias permisisset, fatendum tamen est in Occidente viguisse etiam per aevum Concilio Trullano anterius, quo in Concilio celebrato anno 692 *can.* 52 consobrinorum nuptiae improbatae sunt, et ita eadem praxis in hoc conjunxit Orientalem Ecclesiam Occidentali. Fuit ergo in Latina et Graeca Ecclesia impedimentum cognationis extensum usque ad secundum gradum canonicae computationis inclu-

sive, vel ad *secundam generationem*. Quae disciplina perduravit usque ad saeculum octavum, quo tempore latus esse videtur Canon relatus in Decreto *causa* 55 *quaest*. 2 *can*. 16: « Progeniem suam unumquemque usque ad septimam observare decernimus generationem, et quamdiu se agnoscunt adfinitate propinquos ad hujus copulae non accedant societatem. » Canon hic qui a Gratiano tribuitur Gregorio Magno, a Romanis Correctoribus dicitur opus Gregorii II qui Pontificatum gessit ante medietatem saeculi octavi, ab aliis eruditis tribuitur Carolo Magno in Capitularibus cum consensu Auctoritatis ecclesiasticae. Verius autem est Gregorii III dicti *Junioris* qui Pontificatum gessit ab anno 731 ad an. 741; nam in epistola ad Bonifacium Episcopum Moguntinum *cap*. 5 eadem verba relati canonis leguntur. Quidquid sit de hac quaestione, non videtur esse ambigendum disciplinam hanc non fuisse saeculo octavo antiquiorem. Ex tunc consanguinitatis impedimentum respexit septimam generationem vel septimum gradum canonicae computationis ut explicavit Alexander II decreto suo in Concilio celebrato anno 1065 cujus lectio est apud Gratianum *caus*. 35 *quaest*. 5 *can*. 2. Consentaneae huic dispositioni sunt, constitutio Nicolai II quae refertur a Gratiano *caus*. 35 *q*. 2 *can*. 17 et constitutiones conciliorum Guarmaciensis et Lugdunensis quae habentur *caus*. 35 *qu*. 2 *can*. 18 *et* 19. Hujus disciplinae introdu-

cendae juxta Doctores plures causae adsignantur, nonnullae generales aliae speciales et pro temporum circumstantiis. Causae generales fuerunt eae jam relatae, scilicet ut matrimonia extra familiam et consanguinitatem fierent, prout exposuerunt Beati Ambrosius et Augustinus citatis locis, et ne subverterentur diversarum necessitudinum vincula, quibus homines connecti socialis vitae postulat necessitas. Ratio vero temporum haec fuisse videtur, ut inter diversos populos ac gentes quae se mutuo oderant in illis vicissitudinibus bellorum, invasionum etc. amicitiae vinculum propter affinitatem protenderetur; ideo tam latae inter consanguineos et affines interdicta conjugia et fere nulla spes dispensationis oblata. Atque revera ita accidit: disparuit enim diversitas populorum in quibuscumque regnis, et sanguine mixto alternis ex gentibus texta est una propago. Mansit hoc jus usque ad initium saeculi XIII; nam tunc Innocentius III in Concilio Lateranensi IV prout habetur *cap.* 8 *h. t.* constituit: « prohibitionem copulae conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de caetero non excedere, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. » Cui constitutioni tamquam declaratio accessit Decretum Gregorii IX *cap.* 9 *h. t.* « Vir a stipite quarto gradu, et mulier quae ex alio latere distat quinto secundum regulam approbatam qua dicitur: quoto gradu remo-

tior differt a stipite, et a quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem, licite possunt matrimonialiter copulari. » Ex quibus exurgit regula « cognationem in linea obliqua dirimere conjugium usque ad quartum gradum canonicae computationis inclusive concurrentem cum aequali vel proximiori, non vero si concurrat cum remotiori. » Atque hoc jus hodie viget, cum Concilium Tridentinum nihil duxerit hac super re variandum. Mutationis hujusmodi veteris disciplinae quae jam a quatuor et amplius saeculis obtinebat causae quaeri possunt duplici proposita quaestione pro duplici respectu: - 1. Cur Innocentius III antiquam legem in tribus generationibus quinta, sexta, et septima matrimonia dirimentem aboleverit? - 2. Cur ad quatuor gradus vel generationes observandam voluerit in posterum, et non potius ad tres vel duas? Quibus quaestionibus ut responsio detur, sic procedendum est. Quod ad primam pertinet id nobis satis revelat ipse Innocentius, qui in principio illius canonis praeposita animadversione, secundum varietatem temporum statuta quandoque humana variari, praesertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcat, subjungit prohibitionem copulae conjugalis in ulterioribus post quartum gradibus, jam non posse absque gravi dispendio generaliter observari. Quae enim lex tantae latitudinis exigi videbatur ut accomodata circumstantiis temporis medii, et licet maxime gravans, sustinenda tamen erat propter

generale illud bonum societatis, aevo Innocentii III obtento jam fine ad quem ordinata erat importabilis reputabatur, cohiberi proinde debebat, ne plus aequo fideles gravarentur. Aliud quoque dispendium eo tempore erat, quo nec publici libri de contractis matrimoniis aderant, et proinde ex testibus dignoscendum quo gradu quis ab alia distaret, et in remotioribus gradibus deficiat plerumque memoria: atque ita multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahebantur matrimonia in quibus vel non sine magno peccato perseveraretur, vel ea non sine ingenti scandalo dirimerentur. Quod ad secundam quaestionem attinet, principio haerendum esse videtur. Deridetur enim ab aliquibus Innocentius, ad quartum gradum matrimonia inter cognatos interdicens, *quia quatuor sunt humores in corpore, quod constat ex quatuor elementis*. Verumtamen risum non meretur qui petitum principium ex physica sui temporis affert ad exornandam aliquam decisionem quae ceteroquin honesta est, atque accomodata populo, pro quo legem dictat. At recondita alia ratio erat, eaque talis, quae jurisprudentiam canonicam jam ab antiquo gubernavit, scilicet *matrimonia debere extra cognationem et familiam fieri*. Jam vero cum homines de facili possint quartam generationem videre, non sic quintam proinde cohibuit in his quatuor generationibus, quia facile occurrere poterat ut non obstante praescripto legis matrimonia haec fieri contingeret;

quo casu lex non satis provida videretur, quae evenientes plerumque casus non comprehendisset. Ratio haec praeter alios Doctores traditur a Gonzalez in Comment. ad quinque libros Decretalium *lib. IV cap. 8 in Notis ad lit. d.*

4.° Altera pars tituli hujus loquitur de affinitate: quae est « propinquitas personarum ex carnali copula eâque perfecta et consummata proveniens. » Consulto dicimus copulam debere esse perfectam, nam si copula sit tantum imperfecta sive inchoata, vel si interveniant actus quantumcumque impudici, sive habeatur pollutio extra vas generationi destinatum non oritur affinitas; ratio autem redditur in *can. Fraternitatis causae* 35 *quaest.* 10 nempe quod per talem copulam vir et foemina fiunt una caro; hinc exsurgit etiamsi una pars oppressa sit et reluctans ex *cap.* 6 *de eo qui cognovit* etc. Affinitas vero non contrahitur inter virum et foeminam, qui exercent copulam perfectam, sed vir contrahit tantum affinitatem cum consanguineis mulieris, cum qua habuit copulam, et vicissim mulier tantum contrahit affinitatem cum consanguineis viri a quo se cognosci permisit. Neque demum affinitas exurgit inter consanguineas mulieris et consanguineos viri. Sunt ergo vir et foemina se cognoscentes quasi radix et stirps, qui fundant affinitatem, et per hoc sanguis suorum consanguineorum mediantibus ipsis attingatur, et sanguis unius consanguinitatis ingrediatur quasi fines alterius cognationis. Ex dictis sequitur duos

fratres unius cognationis posse nubere duabus sororibus alterius cognationis; quod pater et filius possint in conjuges ducere matrem et filiam, et privignus filiam novercae. Etsi vero affinitas non habeat nec lineas nec gradus, ut ait Modestinus *Digest. leg.* 4 § *gradus de gradibus et affinibus*, nihilominus tum ex jure civili tum canonico habentur in ea et lineae et gradus ad instar cognationis. Unde linea alia est *recta*, alia *obliqua*, ad dignoscendam vero lineam et commensurandos gradus a jure canonico traditur haec regula, nempe « in eo gradu et in ea linea quis est affinis uxori vel mulieri cognitae in quo est consanguineus marito » et vicissim « in eo gradu et linea est aliqua affinis marito, quo est consanguinea uxori. » Unde eadem regula a jure ecclesiastico servata est in impedimento affinitatis, quae servata est in impedimento consanguinitatis, easdemque vicissitudines leges ecclesiasticae passae sunt, ac quae fuerunt in interdicendo matrimonio cum consanguineis. Hinc quando prioribus saeculis Ecclesia civilem jurisprudentiam est imitata, et retenta fuit inhabilitas ad nuptias in omnibus gradibus lineae rectae etiam in affinitate, nuptiae quoad consanguineos in linea obliqua interdictae sunt in tertio gradu computationis civilis, sic et in tertio gradu prohibitae sunt inter affines. Postquam autem inter patrueles et consobrinas interdicta fuerunt conjugia, tunc et inter affines secundo gradu computationis canonicae eadem fuerunt improbata. Celebris est con-

stitutio Rotharii Regis Longobardorum Italiam occupantium circa annum 650 quae refertur in *lib.* 2 *Legum Longobardorum tit.* 8 § 4 his verbis: « Ut nullus praesumat relictam de consobrino suo uxorem amodo ducere. Hoc autem ideo affiximus, quia Deo teste, Papa Urbis Romae (forte S. Martinus I vel ejus antecessor Theodorus I), qui in omnimundo toto caput Ecclesiarum Dei et Sacerdotum est, per suam epistolam nos adhortatus est, ut tale conjugium fieri non permitteremus». Cum autem saeculo octavo cognatio interdixit nuptias in linea obliqua usque ad septimam generationem, affinitas pariter usque ad septimum gradum canonicae computationis nuptias vetuit et irritas fecit juxta *can.* 30 *Conc. Mogunt.* relatum a Gratiano in *can.* 14 *caus.* 35 *q.* 2. « Sane eadem quae in viri, haec nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum, regula custodienda est: quia ergo constat eos duos esse in carne una, communis illis utrinque parentela esse credenda est, sicut scriptum est: erunt duo in carne una. » Id quod etiam vetitum est de affinitate orta ex copula illicita, prout et consuetudo tulit et argui videtur ex *cap. fin. de divortiis in prima collectione*, Gonzalez *tom.* 4 *p.* 168. - Imo quod spectat ad affinitatem ortam ex copula conjugali certum est, in tres species distinctam esse vel genera, atque in omnibus istis usque ad septimum gradum nuptias dirimi. Idque perduravit usque ad Conc. Lateran. IV sub Inno-

centio III quod sub *can.* 50 relato *cap.* 8 *h. t.* abolevit prohibitiones in secundo et tertio affinitatis genere, et adfinitatem primi generis, tam ex copula maritali, quam ex fornicaria impedimentum statuit esse conjugii usque ad quartum gradum. Demum Conc. Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 4 statuit ut in primo tantum et secundo gradu affinitatis ex fornicario coitu proficiscentis matrimonium contrahendum impediretur et contractum irritum haberetur nihil innovans circa adfinitatem ex copula maritali.

5.° Unicuique autem patet impedimentum affinitatis totum esse de jure positivo ecclesiastico. Id satis est perspicuum in linea obliqua quoad omnes gradus, in quibus scilicet Ecclesia dispensat. Fortasse aliqua difficultas esse potest in linea recta, in qua Ecclesia saltem in primo gradu numquam dispensavit. Atqui tamen omnes Doctores nunc unanimes sunt in assertione, quod etiam primus gradus lineae rectae sit interdictus tantum jure ecclesiastico, et hanc constantem Ecclesiae praxim in deneganda dispensatione esse *oeconomicam*, licet non defuerint qui de jure naturali censuerint illum gradum dirimere matrimonium. Nam certum est affinitatem contrahi non minus ex copula illicita seu fornicaria, quam ex copula maritali. At Ecclesia quae numquam dispensavit in affinitatis primo gradu lineae rectae, quando ex copula maritali provenit, ex altera parte quotidie

dispensat, si haec affinitas orta sit ex copula fornicaria, prout habetur ex praxi S. Poenitentiariae. Concludendum proinde est, ut primo asseruimus, affinitatis impedimentum esse totaliter ex Ecclesiae instituto.

TITULUS XV.

De frigidis et maleficiatis, et impotentia coeundi.

1.° Impotentia, prout in titulo assumitur est « inhabilitas seu incapacitas ad habendam copulam carnalem perfectam seu de se aptam ad prolis generationem. » In quo conceptu vel definitione impotentiae duo sunt praecipue advertenda quod vel non possit haberi copula, unde vir et mulier fiunt *una caro*, vel quod illa copula *de se apta* non sit ad prolis generationem. Unde non sufficit vas naturale mulieris perrumpere, nisi emittatur verum semen, quod est necessarium ad prolis generationem, licet non requiratur ut habeatur semper prolis generatio; ac proinde impotentia non confunditur cum sterilitate. Indifferens autem est quod. haec impotentia oriatur ex quolibet naturali defectu partium corporis genitalium

seu ex disproportione earumdem, vel ex frigiditate aut ex quolibet maleficio, de quibus omnibus agit Rubrica Tituli.

2.° Haec vero impotentia est: - (a) alia *naturalis* et *intrinseca*, ut arctitudo, frigiditas, nimia caliditas etc. alia *accidentalis* et *extrinseca* orta puta ex maleficio aut opera hominum, ut sunt facti eunuchi, maleficiati etc. - (b) alia pariter est *temporanea*, alia *perpetua*, prout ad tempus durans, ut proveniens ex tenera aetate, quae aetate procedente redimitur, vel quae semper de se durat, nec licitis mediis adhibitis cessare potest aut depelli nequit sine vitae periculo; - (c) alia similiter est *absoluta*, alia *relativa*, prout impedit commercium cum qualibet persona diversi sexus, vel quae tantum impedit cum una vel alia persona; ut puta cum virgine non autem cum vidua et ab alio jam cognita. - (d) Alia demum est impotentia *antecedens* alia *subsequens* matrimonium, quae nempe jam verificabatur antequam matrimonium celebraretur, aut quae coepit habere locum, cum jam matrimonium fuerat conciliatum.

3.° Quibus positis, nonnullis propositionibus dictata canonica proponemus, quibus certo erit quando impotentia est dirimens impedimentum, et quando id non verificatur. - I. Impotentia ad maritalem copulam habendam, dummodo sit perpetua et antecedens, sive sit absoluta sive relativa dirimit matrimonium et quidem jure naturae. Rationabilitas istius propositionis demonstratur ex

cap. 2 *et* 6 *h. t.*, et ex allegato argumento, quod talis impotentia impedit, quominus vir et mulier fiant una caro, et ex perpetuitate istius impotentiae, quod id numquam possit verificari. Indifferens autem est, quod talis impotentia sit absoluta vel relativa; nam etsi tantum relativa sit, semper tamen arguetur, quod hoc matrimonium ex vitio permanenti personarum nequeat consummari. Differentia haec tantum est, quod si impotentia talis respectu unius partis est absoluta, haec cum nulla alia persona poterit contrahere matrimonium, obstante semper tali impedimento dirimente. E contra si impotentia hujusmodi est relativa simpliciter obstat validitati praesentis conjugii, sed poterit dari cum alia persona verum conjugium, si relate ad eam non obstet impotentia. Id verificatur in casu, quo impotentia praesertim habeatur ex non servata proportione membrorum genitalium. Ex quo eruitur eunuchorum utroque teste carentium et spadonum matrimonium esse invalidum, quia ex interno vitio vel cum foemina non possunt coire, aut si coeant copula non est apta de se ad prolis generationem. Si autem quaeratur quo jure in casu dirimatur matrimonium, nos contra nonnullos Doctores cum communi Canonistarum et Theologorum sententia tenemus hoc esse impedimentum juris naturae, ut declarat Sixtus V in Litteris in forma Brevis Episcopo Novariensi Apostolicae Sedis in Regnis Hispaniarum Legato « *Cum frequenter* » *sub die* 27 *Junii* 1587 per verba: « Nos

» igitur attendentes, quod secundum canonicas » sanctiones et naturae rationem, qui frigidae na» turae sunt et impotentes, iidem minime apti ad » contrahenda matrimonia reputantur », ac deinde matrimonia ab ipsis attentata nulla, irrita, et invalida declarat. In quibus litteris in totum talia matrimonia proscripsit, nec permisit quod amplius inirentur, etiamsi partes promisissent se simul habitaturos tamquam fratres et sorores, prout antiquitus ex consuetudine erat permissum, cum experientia ostendisset hanc conditionem non fuisse servatam. Quae nostra sententia valet quoque in casu quo impotentia haec fuerit relativa, et orta quoque ex maleficio, quia consummationem matrimonii praesentis impossibilem reddit. Ex quo eruitur huic impedimento esse quoque obnoxios infideles, utpote provenienti ex jure naturali. - II. Temporanea impotentia ad copulam maritalem habendam etiamsi sit antecedens sive absoluta sive relativa non est impedimentum matrimonii dirimens nisi in casibus a jure contemplatis. Id eruitur ex *cap.* 6 *h. t.*, et ratio est quia isti non sunt absolute impotentes ad actum conjugalem, ad quem absolute se obligant, sed solum ad tempus, proinde valent tradere potestatem sui corporis relate ad illum actum. Neque, ut dictum est in *tit. II* ad matrimonium requiritur de jure naturae potentia actualis ad copulam maritalem, sed sufficit si non obstet impotentia perpetua. Ideo vero in propositione addidimus exceptionem de casibus

contemplatis a jure, quia id statutum est in impuberibus, qui nequeunt ex jure positivo ecclesiastico matrimonium contrahere, quamdiu ex defectu aetatis ad copulam sunt actu inhabiles. At id de jure positivo ecclesiastico non est in quovis casu inhibitum; ergo manet propositio. Hinc ex praxi Ecclesiae admittitur conjugium aegrotorum etiam graviter decumbentium, et etiam in mortis articulo constitutorum; sicut et senibus permittitur conjugium, nisi sint ita decrepiti et exhausti, ut sint impotentes ad copulam habendam, nec judicio medicorum ulla arte valeant juvari. Idem dicatur de mulieribus sterilibus aut de iis quae parere nequeunt sine vitae discrimine, vel nonnisi foetum mortuum. - III. Impotentia ad maritalem copulam habendam quaecumque sit matrimonio jam contracto superveniens illud non dirimit, sive hoc jam fuerit consummatum, aut simpliciter ratum. Res certissima est de matrimonio consummato propter ejus plenam indissolubilitatem, cum non possit dissolvi nisi per mortem, et habetur decisum ex *can.* 25 *caus.* 32 *quaest.* 2. Solum proinde quaestio esse potest de matrimonio rato antecedente. Atqui tenendum est nec matrimonium ratum dirimi per supervenientem quamcumque impotentiam. Ostenditur ex *cit. can.* 25 *in Gratiano*, et ex ratione, quia matrimonium ratum non solvitur quoad vinculum, nisi ex professione religiosa solemni, aut ex pontificia auctoritate. Imo si impotentia matrimonio superveniat, si dubitatur an sit perpetua,

licitum est conjugibus conari ad habendam copulam. Si vero est certo perpetua, tunc si provenit ex seminis defectu, puta in eo qui factus est eunuchus, plures gravesque auctores apud Schmalzgrueber *h. t. num.* 50 tenent licitum esse reddere et petere cum in casu saltem habeatur remedium concupiscentiae, nullo alio interveniente obstaculo; secus vero si impotentia impediat seminis intra vas receptionem, quia tunc illicitus est coitus.

4.° Relate vero ad impedimentum impotentiae non eadem semper fuit ratio judicandi in Ecclesia, etsi principia eadem semper fuerint admissa. Antiquitus enim, etsi ipsa recognosceret nullum esse matrimonium a perpetuo et antecedenter impotentibus contractum, consuevit tamen judicare illud non esse solvendum, sed debere partes simul permanere, et si non poterant tamquam vir et uxor, essent simul tamquam frater et soror. Id probatur ex Decretali Alexandri III relata in *cap.* 2 *h. t. in prima collectione*, et ex Decretali Clementis III *cap.* 4 *h. t. in eadem prima collectione*, ex *can.* 2 *caus.* 33 *quaest.* 1 *in Decreto* falso tributo Gregorio Magno, cum potius sit ex Capitularibus Francorum, et demum ex *cap.* 4 *h. t.* per verba: « Licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus judicare, ut quas tamquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores. » Rationes talis praxis videntur fuisse sequentes, nempe primo quia Ecclesia reformidabat

per dissolutionem talis connubii dare ansam falsae opinioni, quod Ecclesia temere connubia dissolveret; et deinde ex eo quod tales causae essent maximae difficultatis, ita ut facile posset error facti intervenire. Et quia judicium erat tantum declarativum, debebant connubia ita dissoluta instaurari, si error facti intercessisset in eo judicio, quod non sine magno scandalo fiebat. È contra illa praxis contra se habebat gravissimas rationes: si enim non solvebantur, vel potius non declarabantur invalida ea conjugia, in quibus interveniret impedimentum impotentiae, pars potens damnabatur *ad coactum coelibatum*, ex quo timendae erant dissentiones et scandala; et ex altera parte non verificabatur in praxi quod viverent ut frater et soror, sed potius indulgerent libidini, quae causa deinde fuit, ut illa connubia eunuchorum damnarentur, ut vidimus factum a Sixto V; quia praxis non correspondebat factis promissis. Et propter gravitatem istarum rationum evenit ut ex capite impotentiae inciperent processus matrimoniales, et sententia a judice daretur. Certum est enim conjugem potentem propria auctoritate non potuisse recedere, quamvis certus esset de alterius impotentia, et multo minus aliud matrimonium contrahere, sed tantum ex judicis ecclesiastici auctoritate et definitiva sententia *arg. cap.* 3 *de divort.* et judex non poterat eam ferre sententiam quin prius haberet plenam probationem. Modus autem procedendi sequens erat. Si aliter de corporis defectu

constare non poterat, erat adhibenda corporum inspectio, et quoad virum per medicos et chirurgos, quoad foeminas vero per obstetrices et honestas matronas ex *cap.* 4, 6 *et ult. h. t.*, qui quaeque esse debebant a judice electae, atque suum judicium debebant juramento firmare. Porro si ex istarum personarum judicio habebantur signa impotentiae omnino certa ex evidentia *physica*, tunc matrimonium sine mora, aliave solemnitate declarabatur invalidum; erat enim plene probata impotentia. Si autem impotentiae signa non erant *physice* certa, sed tantum *moraliter*, tunc accedebat juramentum conjugum et septem aliorum de consanguinitate aut vicinia eorum; et dicti conjuges jurabant se coire non posse, consanguinei autem vel vicini jurabant se credere, quod conjuges jurassent secundum veritatem. At si signa fuissent impotentiae dubia, tunc concedebatur triennium ad experiendum, an per veram copulam carnalem valerent matrimonium consummare; idque primo lege imperiali constitutum est, deinde Ecclesiae canone fuit receptum, prout habetur ex *cap.* 5 *et ult. h. t.* Facto autem hoc triennali experimento si signa impotentiae certa vel ad minimum verosimilia non apparuissent, tunc ad assertiones conjugum habebatur recursus, et siquidem fuissent concordes pro non secuta matrimonii consummatione, tunc recepto istius affirmationis juramento, nec non habito jurato testimonio septimae manus consanguinitatis aut viciniae matrimonium decla-

rabatur nullum et irritum. At si discordes fuissent, tunc affirmante muliere matrimonium esse consummatum contra virum negantem, sententia dabatur pro matrimonii validitate; sicut affirmante viro, et denegante muliere pariter pro validitate tenebatur sententia, nisi matronarum testimonio et certa fide constitisset mulierem esse adhuc virginem, quo casu pronuntiabatur pro invaliditate matrimonii.

5.° Haec autem sententia erat declarativa; unde si fuisset locus errori facti, ita ut quae pars fuisset declarata impotens, deinde potens apparuisset, matrimonium dissolutum, generaliter loquendo, restaurari debebat, et conjux reddi priori marito, etsi haec cum secundo novas nuptias jam contraxisset ex *cap.* 6 *h. t.* et jam decennium elapsum esset ab editione prioris sententiae, nec interim fuisset appellatum. Dixi *generaliter loquendo*; nam ab Auctoribus praeeunte jure citantur quinque casus teste Schmalzgrueber *h. t. num.* 99 *et* 100, in quibus matrimonium ob impotentiam dissolutum non restaurabatur, etsi postea is ob cujus impotentiam dissolutio facta est, repertus fuerit potens. Ad quae incommoda praecavenda ex *cit. cap.* 6 *h. t.* judex post editam dissolutionis sententiam tenebatur exhortari conjugem, ob cujus impotentiam dissolutum erat matrimonium illumque inducere ad ingrediendam religionem, ejusque edendam solemnem professionem, quia tunc matrimonii vinculum, si forte esset, eo

ipso dissolvebatur, et sic nullum periculum immineret alteri conjugi, si aliud matrimonium iniret.

6.° Mitto nunc loqui de additionibus factis huic modo procedendi in causis matrimonialibus ex celebri constitutione Benedicti XIV *Dei miseratione diei* 29 *Novembris* 1741 de qua loquemur cum in *libro de Judiciis* sermo erit de Processu matrimoniali. Adnoto tamen hodie causas matrimoniales apud S. Congregationem Concilii alio modo practice geri. Dum enim si sint causae simpliciter pro declaranda impotentia, pertractantur in prima instantia apud tribunal Episcopi, et sunt sententiae mere declarativae, apud S. Congregationem proponuntur sub duplici dubio - 1. an constet de impotentia antecedente et perpetua in casu? Et quatenus negative - 2. an sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato? atque tunc si constat de impotentia perpetua et antecedente datur ad primum affirmativa responsio, atque declaratur matrimonium fuisse invalidum, prout expositum est. Quod si non constet de extremis hujus impotentiae, quod difficillimum est, tunc data responsione *ad primum* quod *providebitur* in secundo, fit gradus ad alterum dubium. Ad cujus intellectum sciendum est hodie apud juristas et theologos absque difficultate admitti et recognosci in Romanis Pontificibus auctoritatem dissolvendi matrimonium simpliciter ratum. Anteactis temporibus hanc potestatem Romani Pontifices factis

non asseruerunt excepto forte tantum casu dissolutionis matrimonii rati non consummati per professionem solemnem religiosam, qui casus, ut vidimus, est ex jure ecclesiastico non de jure divino, cum solemnitas sit ex concessione Ecclesiae. Et ex hac raritate casuum Canonistae nonnulli concluserunt Romanos Pontifices non habere facultatem dispensandi et dissolvendi matrimonium ratum. Sed progressu temporis ista facta non defuerunt, prout de Martino V, Eugenio IV, Paulo III, Pio IV indubiis documentis traditur, atque de Gregorio XIII refert Sanchez *lib.* 2 *disput.* 4 *de matrimon.* ipsum uno die quatuordecim matrimonia rata dispensando dissolvisse quoad vinculum. Post quam aetatem non defuerunt quolibet aevo exempla, ex quibus explicatur quomodo praesens praxis inducta videatur proponendi apud laudatam S. Congregationem alterum recensitum dubium. In hoc autem dubio exponendo ac resolvendo duo praestanda sunt nempe primo quod certo constet factum de non secuta consummatione matrimonii praemisso regulari processu ad formam Constitutionis Benedictinae. In quo facto expendendo non attenditur in casu *ad extrema* impotentiae, nempe quod fuerit antecedens vel perpetua, ut debeant concludenter probari. Post quam probationem non consummationis, secundo inducuntur nonnulla extrinseca argumenta, quae reddant improbabilem et arduam individuae vitae consuetudinis instaurationem inter conjuges, quaeque so-

lutioni faveant, ut animorum alienatio, odium, dissidia etc. Quibus omnibus expensis, siquidem subsistant, S. Congregatio proponit preces Summo Pontifici, ut dignetur dispensare super matrimonio rato et non consummato. Et data dispensatione judicium completum est, etsi in eo juxta explicanda debeat sequi methodus a Benedicto XIV proposita. Quod inquam judicium in pluribus differt a consueto judicio quod ex impotentia communiter fit. Dum enim illud est simpliciter declarativum, hoc est decisivum aut decretivum, scilicet in illo declaratur matrimonium esse irritum quia initum est a parte perpetuo et antecedenter impotente; dum in hoc Pontifex dispensat vel dirimit matrimonium ratum. Hinc secundo est, quod hoc ultimum judicium seu decisio non potest reddi nisi a Supremis Congregationibus Romanis, quarum officium est Consiliariorum Romani Pontificis, qui solus potest matrimonium ratum et non consummatum dissolvere; cum primum judicium super impotentia possit agi in quibuscumque Curiis Ordinariorum caeteroquin competentibus. Hinc tertio sequitur hoc alterum judicium, quoties matrimonium fuit simpliciter ratum, esse absolutum nec reformationi subjacere, fuit siquidem a Romano Pontifice dissolutum matrimonium; dum primum judicium mere declarativum possit variationibus subesse, si facta veritati non nitantur circa *extrema* impotentiae. Ad quae clarius intelligenda notandum ultimo est, quod etsi plerum-

que fiat, ut petatur a Summo Pontifice dispensatio super matrimonio rato et non consummato ex causa impotentiae, de cujus *extremis* non constet; non est tamen hic solus casus, nam aliquando petitur a Romano Pontifice dispensatio simpliciter a matrimonio rato et non consummato etsi prius coram judicibus ordinariis disputatum sit de invaliditate matrimonii ob aliam causam, et lis deperdita, et ne veteres casus citentur adducimus Causam Compostellanam « *Dispensationis matrimonii* » actam apud S. Congregationem Concilii *die* 14 *Decembr*. 1878, in qua obtenta fuit consultatio apud Sanctissimum et concessa dispensatio matrimonii rati non consummati etsi non fuerit allegata causa impotentiae, sed longe alia.

TITULUS XVI.

De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae.

1.° Interdictum Ecclesiae generaliter assumptum comprehendit omnia impedimenta impedientia. Haec porro antiquitus numerabantur sex sequentibus in versibus comprehensa:

Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriatum
Atque catechismus, crimen, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Glossa autem in *cap. 2 de poenitent. et remission. peccator.* enumerat crimina, nempe:

Incestus, raptus sponsatae, mors mulieris
Susceptus propriae sobolis, mors presbyteralis
Vel si poeniteat solemniter, aut monialem
Suscipiat, prohibent haec conjugium sociandum.

Cum vero hodie fuerit sublatum impedimentum ex catechismo a Concilio Tridentino *sess.* 24 *de reform. matrim. cap.* 2, et ex desuetudine pariter disparuerit impedimentum criminis, quatenus impediens erat; hinc quatuor tantum remanserunt. De his impedimentis impedientibus a nobis partim tractatum est in titulis antecedentibus, puta in tit. 1 de impedimento impediente orto ex sponsalibus, ac de interdictis nuptiis catholicorum cum haereticis, quod est ecclesiae vetitum; et in tit. VI de impedimento impediente voti. Nunc proinde tantum loquendum est de impedimento temporis feriati, et de interdicto Ecclesiae singillatim sumpto.

2.° Tempus feriatum illud dicitur per decursum anni, quo Ecclesia a solemnitatibus nuptiarum abstinendum esse vetat, nempe ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniae et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, prout habetur in *cap.* 10 *sess.* 24 *de reform. matrim.* in Concilio Tridentino. Consulto dicitur eo tempore esse abstinendum a *solemnitatibus nuptiarum*, quia nec prohibentur nuptiae neque praestatio operis maritalis nec multo minus sponsalia vel denunciationes, et hoc modo lex est in vigore.

3.° Nunc aliqua de interdicto Ecclesiae singillatim sunt notanda. Interdictum usque nunc consideratum illud est quod datur *a jure*. Sed esse potest etiam ab homine, et tunc definitur:

« prohibitio, qua superior ecclesiasticus vetat ex justa causa, ne inter aliquas personas matrimonium fiat, usque dum illa causa vel ratio cesset. » Nomine autem superioris ecclesiastici venit non modo Pontifex pro universa Ecclesia, et Episcopus pro sua dioecesi aliusque judex ecclesiasticus, sed et Parochus, qui etsi de causis matrimonialibus et caeteroquin de reliquis causis judicialiter non videat, nihilominus interdictum ponere potest, ut tamquam Pastor peccatum impediat. Causae esse possunt vel sponsalia cum alia inita, vel suspicio latentis impedimenti, vel timor turbarum, ignoratio elementorum fidei, vel alia hujusmodi. Multum autem interest, quod hoc interdictum a diversis istis superioribus feratur. Si enim a Parocho fertur, hic censuris ecclesiasticis communire hoc vetitum nequit, cum veram jurisdictionem in foro externo non habeat, sed tantum imponere illud poterit *sub gravi culpa,* quia materia est gravis, et ab ipso posse hoc interdictum imponi communis est Doctorum sententia ex *cap. fin.* § *fin. h. t.* At si proveniat hoc vetitum a judice ecclesiastico non solum ejus obligatio sub gravi valet imponi, sed potest communiri etiam sanctione censurarum, ut praecipitur ex *cap.* 2 *h. t.* Imo hoc interdictum potest dirigi etiam Parocho, ut tali matrimonio prohibeatur adsistere, et inobediens Parochus puniri potest, quemadmodum et testes puniri valent, si post ve-

titum adsistant, prout et invocatis juris principiis facile concludi potest, et ex pluribus decisionibus S. Congregationis Concilii, praesertim ex *Florentina diei* 10 *Februar.* 1629 *lib.* 19 *Decretor. pag.* 35. Hoc tamen interdictum ab Episcopo directum contra Parochum ne adsistat non efficit ut illud matrimonium coram illo celebratum, validum non sit; nam etsi parochus adsistentiam praestando peccet contra rationabile Episcopi vetitum matrimonium tamen sic celebratum valet, si modo ille manet adhuc Parochus, ut liquet ex Responsis S. Congregationis Concilii datis *anno* 1581 *ad dubia proposita ab Episcopo Giennensi lib.* 3 *Decret. pag.* 59 *et seqq.* - Non potest ergo in casu dubitari quod generice loquendo matrimonium actum sub interdicto sit illicitum sed validum, neque enim alii Superiores Ecclesiastici Pontifice inferiores possunt illud interdictum communire *clausula irritante.* Hoc valet efficere solus Romanus Pontifex, licet censendum non sit quodcumque interdictum Pontificium reddere matrimonium invalidum. Ut enim optime loquitur in hac re Reiffenstuel *h. t. num.* 9 *et* 10, etiamsi Papa specialiter ex quacumque tandem causa interdicat, seu prohibeat matrimonium, valide nihilominus contrahitur, nisi sub Decreto irritante illud prohibeat, quia simplex prohibitio non irritat actum de natura et jure validum. At si constet Pontificem addidisse clausulam irritantem

(quod non est praesumendum, sed probandum) tunc matrimonium interdictum erit quoque invalidum; quia sicut Papa generali constitutione respectu omnium, ita etiam speciali decreto respectu aliquorum potest constituere impedimentum dirimens seu annullans matrimonium contrahendum.

TITULUS XVII.

Qui filii sint legitimi.

1.° Legitimorum vox aut contraponitur naturalibus, et tunc nomine filiorum legitimorum veniunt *adoptivi*, de quibus locuti sumus *tit. XII*, aut contraponitur illegitimis, et tunc legitimus filius ille est, qui procreatus est ex justis nuptiis, quarum usum Ecclesia solemniter non interdixit. Addimus haec ultima verba, ut ex numero legitimorum eos excludamus, qui post ordinem majorem susceptum, aut post editam validam professionem religiosam solemnem progeniti sunt ex matrimonio antecedenter valide contracto. Nomine autem justarum nuptiarum veniunt tum matrimonia in veritate valida, tum quae *putative* talia habentur, nempe in quibus ad valorem retinendum concurrit tum probabilis communitatis credulitas, tum utriusque

aut saltem alterutrius parentis bona fides. Quae communitatis credulitas habetur probabilis et bona parentum fides attenditur, cum ex *cap.* 3 *de clandest. despons.* fuerunt denuntiationes aut banna praemissa, vel ab auctoritate ecclesiastica dispensata. Haec autem duo, nempe, publica probabilis credulitas et bona fides saltem unius conjugis debent in facto copulari, quia id exigitur a citatis canonibus, et a communi Doctorum sententia. Unde si matrimonium mala fide utriusque conjugis fuisset contractum aut consummatum, proles ex eo genita esset illegitima, quamvis pro foro externo, ubi non constat de illorum mala fide habeatur pro legitima; et hinc talis proles quae semel habita fuit pro legitima, non tenetur credere *merae* assertioni parentum etiam juratae, quod sit illegitima. Consulto adhibuimus verbum *procreatus* vel *genitus*, quia ad favorem prolis aliquando attenditur ad nativitatem, aliquando ad conceptionem, nempe ut proles pro legitima habeatur. Hinc habetur pro legitima etsi proles jam sit concepta ante, dummodo tamen nata sit post matrimonium legitime contractum; prout qui filius est genitus in matrimonio putativo habetur legitimus, dummodo conceptus sit ante sententiam nullitatis, vel antequam deficeret probabilis communitatis credulitas cum bona fide alterutrius conjugis. Unde isti gaudent quibuscumque privilegiis legitimorum tum in civilibus, tum in ecclesiasticis. Unde est, quod quando ab Ecclesia ali-

quod matrimonium post regulare judicium declaratur invalidum, puta quia contractum est cum impedimento metus, alteriusque consimilis, nullum est dispendium prolis ex tali connubio progenitae, quae legitimitatis jura conservat, prout ex Rescripto Causae: « *Nullius Monacensis* » *diei* 3 *Januarii* 1880, ubi Cardinales rescripserunt: - Ad 1. resolutionem datam *die* 16 *Maji* 1879 esse confirmandam, nempe constare de nullitate matrimonii in casu, firmo tamen in filio statu et jure legitimae filiationis. - Ad 2. ad mentem. Mens est ut per resolutionem ad 1. dubium nihil detractum sit juri et obligationi tam patris quam matris in iis quae respiciunt educationem filii habita ratione ad dispositiones juris publici et privati. Teneri parentes ad conveniendum intra tres menses a die praesentis resolutionis de loco, ubi filius collocandus et educandus est, et intra mensem a die initae conventionis ad eam exequendam.

2°. Qui extra nuptias vel vere vel putative justas sunt nati, habentur pro illegitimis. Istorum si pater non est certus, quia ex muliere quidem soluta sed se passim prostituente seu meretrice procreati sunt vocantur *spurii* seu *nothi*. Quod si a viro et foemina sunt procreati, inter quos matrimonium tempore conceptionis vel nativitatis aut saltem intermedio tempore consistere poterat, tunc dicuntur filii *naturales*. Si demum parentum matrimonio per omne illud tempus obstitisset quodcumque impedimentum dirimens vel natu-

rale vel juris positivi divini aut ecclesiastici, tunc tales dicuntur ex damnato coitu procreati.

3.° .Quod pertinet ad eorum legitimationem ea recolantur quae dicta sunt *tit. XVII lib.* 1. Nunc tantum haec addimus: - (a) per subsequens matrimonium non posse legitimari nisi filios naturales non vero eos qui sunt ex incerto patre, aut qui ex damnato coitu progeniti sunt, - (b) sed Rescripto supremi Principis posse quoscumque illegitimos legitimari, ita ut Pontifex id valeat praestare pro societate ecclesiastica, moderatores vero supremi rerum publicarum in societate civili, prout expresse declaratur in *cap.* 13 *h. t.* - (c) Sed numquid Pontifex nunquam poterit legitimare quoad consecutionem jurium civilium, quae ad legitimos pertinent? Cui quaestioni respondemus, quod praecisione facta a casu, quo Romanus Pontifex habeat civilem principatum, cum tum id valeat, quod supremo cuique civili Principi competit, nequit ipse legitimare in civilibus nisi *indirecte*, id est *sanando in radice* matrimonium, quod obstante ecclesiastica lege initum erat invalide; tunc enim sanato conjugio sanantur quicumque ejus effectus, unde filii qui ex illo conjugio nati sunt, quique ante sanationem in radice erant illegitimi, post eam sanationem habentur legitimi et non modo in ecclesiasticis sed quoque in civilibus, nam ex justo matrimonio nati sunt. Quae sanatio matrimonii in radice potest concedi viventibus adhuc conjugibus, aut

iis demortuis ad unicum effectum legitimationis prolis, et etiam in hoc casu effectum operatur quoque in civilibus, quia istius sanationis semper idem est conceptus. Hac ratione explicantur plura Rescripta, quae a S. Poenitentiaria data sunt sanationis in radice matrimoniorum post mortem eorumdem conjugum impetrata a filiis ad unicum effectum legitimationis. Non confundenda vero sunt haec Rescripta sanationis in radice cum illa clausula, quae apponitur dispensationibus matrimonialibus, scilicet cum decreto legitimationis prolis ante dispensationem susceptae; quia illud decretum non est aliud nisi Rescriptum Supremi Principis ecclesiastici nempe Papae de legitimatione danda filiis, qui nati sunt ex personis inter quas verum matrimonium esse non poterat obstante lege ecclesiastica, et qui utpote nati ex damnato coitu nequibant per subsequens matrimonium legitimari; quibus proinde providetur per adnexum decretum, quod exequendum committitur eidem executori dispensationis pontificiae: unde iste praeter executionem dispensationis, et hoc decretum exequi tenetur, quod si praetermittat, illi filii remanent illegitimi. Porro legitimati per hoc decretum vel Rescriptum legitimorum jura consequuntur in ecclesiasticis, non autem in civilibus, quia ipsi *directe* legitimantur.

4.° Istius tituli quotidiana erat antiquitus allegatio, quia legitimitatis judex erat Ecclesia, quae unice videbat de validitate matrimonii, et filii

legitimi nascebantur ex justis nuptiis. Quod pariter ex eo eveniebat, quia legitimorum jura quam plurima erant in societate civili prae illegitimis. Verum hodie res omnino immutata est quoad societates civiles. Imprimis enim haec jura legitimorum in iisdem societatibus valde imminuta sunt, si forte excipias successiones intestatas. Deinde Potestas civilis sicut se recognoscit solummodo competentem ad leges ferendas pro matrimoniis, exclusa omnino Ecclesiae auctoritate, sic pariter ipsa exclusive judicare praetendit de matrimoniorum validitate et de legitimitate filiorum. Unde venit quod in civilibus plures habeantur filii legitimi qui secundum canonicas sanctiones tales non sunt; et viceversa plures habeantur pro illegitimis, qui juxta Ecclesiae legislationem sunt nati ex justis nuptiis. Ex hoc advenit quod Ecclesia de legitimitate prolis judicat secundum suas leges, eique insistit quoad jura societatis ecclesiasticae, neque suo muneri deficit, si potestas civilis ejus judicia parvi pendens in hac re sicut in pluribus aliis diversum imo oppositum iter instituit.

TITULUS XVIII.

Qui matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari.

1.° In hoc titulo fiunt sequentes tres quaestiones, nempe: - I. Quis sit judex in causis matrimonialibus. - II. Qui accusare valeant matrimonium, vel contra illud testificari. - III. Quomodo sit procedendum in iisdem causis.

2.° Causae vero matrimoniales esse possunt multiplices, nam: - I. esse potest quaestio de valore matrimonii aut sponsalium, de juribus sponsorum aut conjugum, de legitimitate prolis, aliisque similibus respicientibus vinculum; - II. de divortiis quoad separationem thori et cohabitationis; - III. de dote, donatione propter nuptias, de haereditaria successione, alimentis aliisque similibus; - IV. de criminibus quae locum habere possunt in matrimoniis, puta adulterio, uxoricidio, incestu etc. -

Porro tenendum est causas vere matrimoniales esse eas, quae continentur sub *num. I et II*, quia in iis quaestio est de vinculo et juribus, et de istis causis dicitur a Concilio Tridentino *sess. XXIV can. XII* quod spectent ad judices ecclesiasticos. Idque valet non solum si *principaliter agantur* praesertim primae, sed etiam *si incidant*. In hoc enim ultimo casu judex laicus debet supersedere usque dum quaestio incidentalis fuerit resoluta a judice competente, ut notabitur *Libro II* et patet ex communi Doctorum sententia ex statuta incapacitate laicorum quoad causas spirituales. Statuit vero Concilium Tridentinum *sess. XXIV cap. XX de reformatione* quod hae causae non Decani, Archidiaconi aut aliorum inferiorum judicio etiam visitando, sed Episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquantur, ita ut nec Legatus Apostolicus efficere possit quod ipsi priventur potestate eas videndi in prima instantia. Qua sanctione non tollitur potestas Episcopis alios sua vice delegandi ad videndas has causas puta Vicarium Generalem aliasque ecclesiasticas personas, quae ab Episcopo ad id muneris deputentur, cum in casu ejus nomine et vice agant. Nam Concilium Tridentinum id tantummodo voluit vitare, ut quis praeter Episcopum id propria auctoritate praesumeret. Causae tertiae speciei si principaliter agantur pertinent exclusive ad judices laicos, prout cum communi Doctorum sententia notat Pirhing *h. t. num.* 17. Ratio est, quia non sunt vere causae

matrimoniales, sed potius causae civiles actae occasione matrimonii. At vero si incidant istae causae in causa matrimoniali proprie dicta, quae principaliter agatur, tunc judex ecclesiasticus hujusmodi causas quoque cognoscere potest, et super his pronuntiare, prout sentiunt omnes Doctores apud Reiffenstuel *h. t. num.* 25 cum judex ecclesiasticus non sit incapax cognoscendi causas temporales, sed potius capax esse potest ex consuetudine, ex continentia causae, aliisque ex rationibus. Causae demum quae pertinent ad quartam speciem dicuntur *mixti fori* cum talia crimina laedant tam civilis reipublicae statum, quam societatem ecclesiasticam. Hodie vix casus est quo in iis interveniat auctoritas ecclesiastica, cum sanctio civilis sit efficacior.

3.° Sequitur quaestio: qui valeant accusare matrimonium? Et in hac quaestione fit a Doctoribus prima distinctio, an scilicet agatur de matrimonio contrahendo, vel jam contracto. Et siquidem de accusando matrimonio contrahendo ad accusandum vel potius denuntiandum impedimentum omnes de populo admittuntur, imo si probare valeant, omnes qui talis impedimenti notitiam habent sub gravi tenentur, prout dictum est *Tit. III* in exponendo legem publicationum matrimonio praemittendarum. Si vero sermo sit de matrimonio jam contracto dissociando alia est adhibenda distinctio. Vel enim accusatio est ad obtinendum divortium minus plenum seu quoad thorum et

cohabitationem, vel ad obtinendum divortium plenum, nempe nullitatem contracti connubii. Si enim primum contingat, tunc admittitur solum conjux, qui putat se habere rationem ad dissociandam individuam vitae consuetudinem, ut ex communi ostenditur Doctorum sententia pluribus allatis juris textibus, et ex apposita ratione, quod unusquisque juri suo renuntiare valet, aut ei, quod in sui favorem introductum est; alii proinde cum interesse in talibus causis non habeant, ad accusandum non admittuntur. Verum si agatur de petenda nullitate matrimonii, tunc videndum est, quale sit impedimentum, ob quod petatur nullitatis matrimonii declaratio. Et siquidem sit impotentia, tunc ad accusandum admittitur solus conjux potens, quia ejus est vel persequi accusationem, aut ei renuntiare consentiendo cum impotente cohabitare ut frater et soror. Quod idem dicendum est, si impedimentum sit *error*, vel *metus*, aut *vis*, cum pars laesa possit supplere consensum, aut matrimonium convalidare eumdem consensum supplendo vel reiterando. Si autem sit impedimentum consanguinitas aut affinitas aut publica honestas admittuntur ad accusandum consanguinei inter quos primum gradum retinent parentes vel vicini, qui melius quam alii impedimentum cognoscere valent, ex *canonibus* 2 *et* 3 *caus.* 35 *quaest.* 6 et Doctores communiter. Super aliis impedimentis admittuntur praeter conjuges et propinquos alii, dummodo non sint suspectae fidei, praesertim si

eorum interest. Dixi eos debere esse non suspectos, cum repellantur qui turpis quaestus causa id faciant ex *cap.* 5 *h. t.* vel qui denuntiare matrimonium detrectaverint, nisi possint se excusare, scilicet id rationabiliter non fecisse ex *cap. fin. h. t.* In hac pariter quaestione dubitatur: an accusatio matrimonii sit talis, ut semper et quandocumque permittatur? Cui interrogationi respondetur, quod semper potest haec causa proponi, quia in matrimoniis sententia numquam transit in rem judicatam ex *cap.* 7 *de sent. et re judic.* Hoc tamen probe est intelligendum; nam hoc verum est quamdiu causa accusandi durat, nempe usque dum matrimonium viget. At si matrimonium morte fuerit dissolutum, tunc remota causa peccandi, actio vel accusatio non est perpetua, sed perimitur sicut aliae actiones post tempus triginta annorum.

4.° Testes in accusatione matrimonii illi admittuntur, qui praeter scientiam non sunt suspectae fidei ex *cap.* 47 *de test. et attest.* Hinc etiam pater admittitur, et consanguinei et affines in primis gradibus ex *cap.* 3 *h. t.* dummodo sint praesentes ex *cap.* 2 *h. t.* Hoc autem in hisce causis ideo a jure constitutum est, quia non tam attenditur ad interesse singulorum, quam ad vitandum peccatum; proinde testibus non obstat nec consanguinitas nec affinitas, quemadmodum caeteris personis nihil obstat, dummodo praedicta requisita praebeant.

5.° Quod autem spectat ad modum quo hae causae debent pertractari praesertim de Benedictina Constitutione loquemur in Processu Matrimoniali Libro Secundo, ut in antecessum notatum est.

TITULUS XIX.

De divortiis.

1.° Inter proprietates, quas habuit nostrorum protoparentum matrimonium universorum typus et exemplar, quae ab humano genere erant socianda, computatur monogamia et indissolubilitas, et cum de prima actum sit in *Tit. IV* hic loquemur de indissolubilitate. Doctores catholici cum de hac re conveniant, non satis sunt unanimes, imo discordes in eo sunt, quo scilicet jure has qualitates ipsum habuerit, jure ne naturali, aut potius jure positivo divino. Nobis qui jam eo *Tit. IV* exposuimus quid tenendum sit de monogamia, magis arridet ea sententia, quae tenet et indissolubilitatem non posse repeti nisi ex jure positivo-divino. Quamvis enim confiteamur matrimonium jure naturae esse societatem permanentem attendendo ad

fines matrimonii ejusdem, tamen asserimus hanc veram indissolubilitatem non satis et concludenter probari inspecto tantum jure naturae, licet convenientia suadeatur. Quae nostra sententia plenius confirmatur ex dicendis de dispensatione huic legi indissolubilitatis concessa in lege Moysi, aliisque in processu explicandis. Certum tamen est hanc qualitatem protoparentum matrimonio competiisse ex jure divino positivo. Cum enim a Paulo sciamus verba ab Adamo prolata dicta esse inspirante Spiritu Sancto, et ex iis verbis: « Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una » concludatur matrimonium consummatum esse indissolubile, ut exposuit Innocentius III in *cap.* 5 *de bigam. non ordin.* recte eam esse qualitatem arguimus illi matrimonio adscribendam. Cumque, ut supra dictum est, illud matrimonium fuerit typus et exemplar omnium matrimoniorum, quae a filiis Adae erant quandocumque socianda, hinc indissolubilitatem dicimus esse inductam pro quocumque humano connubio ex jure divino positivo primigenio.

2.° Haec autem lex progressu temporis passa est dispensationem; cum populo hebraeo permissum sit dare libellum repudii, et sic matrimonia dissociare in casibus a lege mosaica contemplatis. Etsi enim, prout Christus ajebat, hoc permissum fuerit hebraeis *propter duritiam cordis,* non est

tamen minus verum, quod hoc eis fuerit ex dispensatione divina concessum. Neque videtur illa sententia praeferenda, quae tenet hebraeis non fuisse indultum sed tantum non imputatum ad poenam, quod darent libellum repudii, cum id divinae legi potius videatur injuriosum. Quod autem hebraeis directe permissum est, id caeteris populis indultum esse ad minus indirecte tenent doctores, attenta etiam duritia cordis eorum, quae communis ratio istius indulgentiae retenta est. At adveniens humani generis Reparator Christus huic indulto factus est finis. Cum enim interpellatus fuerit a judaeis, an liceret homini dimittere uxorem suam *quacumque ex causa*, non modo eorum interpretationem reprehendit tamquam nimis latam, sed matrimonium revocavit ad pristinam indissolubilitatis dignitatem subjungens « quod Deus conjunxit, homo non separet » prout apertissime insinuat Concilium Tridentinum *sess. XXIV de Doctrina Matrimonii.*

3.° Haec tamen instauratio non fuit pacifice et incunctanter ab hominibus recepta, sed potius Ecclesia Dei jugiter pugnare debuit pro ejus executione. Principio enim pugnatum est contra leges imperii romani, quae in aliquibus casibus etiam post christianae legis receptionem divortium permittebant. Et contra has leges pugnavit Ecclesia sive ex parte Romanorum Pontificum, sive ex parte principaliorum Doctorum, ut Ambrosius fuit, Hieronymus aliique, usquedum cum suis legibus

idem imperium dispareret. Devictis hisce adversariis Ecclesiae lex de indissolubilitate conjugiorum mansit; verum non defuere singularia certamina contra nonnullos praepotentes principes, qui divortium contra fas pro sua voluntate et utilitate inducere voluerunt. At suo muneri Ecclesia non defuit, cum eis intimavit retinendam esse indissolubilitatem matrimonii, sicut pro quolibet alio christifideli et sic in honore talis lex fuit usque ad saeculum decimum sextum et in viridi observantia. Eo autem tempore luctuosum aevum pro Ecclesia incoepit, cum ex parte novatorum, et praecipue Lutheri Ecclesiae indictum fuerit implacabile bellum etiam quoad hunc articulum de matrimonii indissolubilitate. Neque contra hos novatores aliquid valuere veteres Ecclesiae canones, nec nova Concilii Tridentini decreta, sed iterum apud protestantes inducta est divortii licentia; unde ex eo tempore haec praeter caeteras alia fuit inter pseudoreformatos et catholicos populos differentia, ut cum isti servarent indissolubilitatis matrimonii legem, illi admitterent licentiam divortii. Reservatum erat hoc dedecus saeculo decimo octavo, ut nationibus catholicis haec constitueretur licentia dicta lex divortii, et quidem in ea latitudine, prout locum habuit in novissimo aevo corruptionis romanae demorientis reipublicae, quod factum est in Galliis tempore revolutionis *die* 20 *Septembris* 1792. Compositis vero rebus civilibus haec infausta lex, quae tot gravissima attulerat damna, fuit revocata an-

no 1816. Novissimis autem hisce diebus ecce novi insurgunt conatus pro illa instauranda, et in Comitiis Gallicis ea proponitur rogante Deputato Naquet Judaeo, atque in Camera Italica rogante Deputato Morelli. Nec defuit Scriptorum auxilium, qui editis libris in favorem istius legis publicam ut ajunt opinionem commoverent, inter quos primas partes sibi vindicat Alexander Dumas *La question du divorce*, et jam parata sunt argumenta, quibus legislatores utriusque regionis inducantur ad illam legem recipiendam. - At nec pro causa veritatis et catholicae fidei apologistae defuerunt, et qua editis in confutationem praedictorum voluminum aliis satis doctis libris maxime accomodatis nostri- aevi indoli, ut *Paul Féval Pas de divorce Reponse a M. Alexandre Dumas*, qua vulgatis in publicis periodicis foliis aeque doctis articulis illorum sophismata diluerunt, et indissolubilitatis matrimonii utilitatem imo et necessitatem socialem demonstraverunt. Indicanda tamen est methodus a defensoribus divortii servata. Ea duplex est; nam alii divortium ostendunt veluti optimam legem respondentem hominis juribus, et quemadmodum pro istis proprietas est *furtum*, sic indissolubilitas matrimonii est *injustitia*. Haec tamen pugnandi ratio, utpote quae *internationalismi* putidum errorem a longe sapiat, a plerisque despicitur, cum tunc non solum impugnetur indissolubilitas connubiorum, sed ipsa ratio matrimonii, et via pateat ad execratum systema *liberi amoris*. Moderatiores au-

tem inter oppugnatores aliam methodum sectantur. Ajunt siquidem divortium esse malum, sed spectatis conditionibus societatis ab *ea exigi* utpote quod majora mala praecaveat, quae eo non admisso societatem vexarent; unde non verentur asserere divortii legem esse satis congruam ad fovendam populorum moralitatem, et satis respondere eorum sociali tranquillitati. Contra quos catholici publicistae ostenderunt *veniam legalem divortii* esse destructivam vinculi familiae, proinde vere oppositam ordini societatis, eam moralitati populorum omnino esse noxiam, et fovere potius crimina, atque proinde non minus esse oppositam dictamini christianae religionis, quam bono societatis civilis regimini.

4.° Dum haec apud Auctores agerentur sive ad ingerendos populo errores, sive ad revelandas iniquorum fraudes, atque legum latores in publicis Aulis secum certarent pro divortii lege vel recipienda vel reprobanda non defuit Supremi Christianorum Sacrorum Antistitis Romani Pontificis Leonis XIII infallibile Oraculum. Ipse enim Encyclicâ Epistolâ ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos universos gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes data *die* 10 *Februarii* 1880 apprime exposuit quid de matrimonii foedere juxta catholicam doctrinam esset tenendum, et quomodo haec doctrina divortium aliosque errores damnans populorum civili regimini esset salutaris. Pro summo honore habemus

praeclari istius documenti textum in nostro hoc volumine inserere alios Commentatores imitati, qui Bullas Romanorum Pontificum tempore confecti commentarii editas reproduxerunt. Textus est sequens: - « Arcanum divinae sapientiae con-
» silium, quod Salvator hominum Jesus Christus
» in terris erat perfecturus, eo spectavit, ut mun-
» dum, quasi vetustate senescentem, Ipse per se
» et in se divinitus instauraret. Quod splendida
» et grandi sententia complexus est Paullus Apo-
» stolus, cum ad Ephesios ita scriberet: *Sacra-*
» *mentum voluntatis suae..... instaurare omnia in*
» *Christo, quae in caelis et quae in terra sunt.* -
» Revera cum Christus Dominus mandatum facere
» instituit quod dederat illi Pater, continuo novam
» quamdam formam ac speciem rebus omnibus
» impertiit, vetustate depulsa. Quae enim vulnera
» piaculum primi parentis humanae naturae im-
» posuerat, Ipse sanavit: homines universos, na-
» tura filios irae, in gratiam cum Deo restituit;
» diuturnis fatigatos erroribus ad veritatis lumen
» traduxit; omni impuritate confectos ad omnem
» virtutem innovavit; redonatisque hereditati bea-
» titudinis sempiternae spem certam fecit, ipsum
» eorum corpus, mortale et caducum, immortali-
» tatis et gloriae caelestis particeps aliquando fu-
» turum. Quo vero tam singularia beneficia, quam-
» diu essent homines, tamdiu in terris perma-
» nerent, Ecclesiam constituit vicariam muneris
» sui, eamque jussit, in futurum prospiciens, si

» quid esset in hominum societate perturbatum,
» ordinare; si quid collapsum, restituere. - Quam-
» quam vero divina haec instauratio, quam di-
» ximus, praecipue et directo homines attigit in
» ordine gratiae supernaturali constitutos, tamen
» pretiosi ac salutares ejusdem fructus in ordinem
» quoque naturalem largiter permanarunt; qua-
» mobrem non mediocrem perfectionem in omnes
» partes acceperunt cum singuli homines, tum hu-
» mani generis societas universa. Etenim, chri-
» stiano rerum ordine semel condito, hominibus
» singulis feliciter contigit, ut ediscerent atque ad-
» suescerent in paterna Dei providentia conquie-
» scere, et spem alere, quae non confundit, cae-
» lestium auxiliorum; quibus ex rebus fortitudo,
» moderatio, constantia, aequabilitas pacati animi,
» plures denique praeclarae virtutes et egregia
» facta consequuntur. - Societati vero domesticae
» et civili mirum est quantum dignitatis, quantum
» firmitudinis et honestatis accesserit. Aequior et
» sanctior effecta principum auctoritas; propensior
» et facilior populorum obtemperatio; arctior ci-
» vium conjunctio; tutiora jura dominii. Omnino
» rebus omnibus, quae in civitate habentur utiles,
» religio christiana consuluit et providit; ita qui-
» dem, ut, auctore S. Augustino, plus ipsa afferre
» momenti ad bene beateque vivendum non po-
» tuisse videatur, si esset parandis vel augendis
» mortalis vitae commodis et utilitatibus unice
» nata. - Verum de hoc genere toto non est Nobis

» propositum modo singula enumerare; volumus
» autem de convictu domestico eloqui, cujus est
» in *matrimonio* principium et fundamentum. -
» Constat inter omnes, Venerabiles Fratres, quae
» vera sit matrimonii origo. - Quamvis enim fidei
» christianae vituperatores perpetuam hac de re
» doctrinam Ecclesiae fugiant agnoscere, et me-
» moriam omnium gentium, omnium saeculorum
» delere jamdiu contendant, vim tamen lucemque
» veritatis nec extinguere nec debilitare potuerunt.
» Nota omnibus et nemini dubia commemoramus:
» posteaquam sexto creationis die formavit Deus
» hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem
» ejus spiraculum vitae, sociam illi voluit adjun-
» gere, quam de latere viri ipsius dormientis mi-
» rabiliter eduxit. Qua in re hoc voluit providen-
» tissimus Deus, ut illud par conjugum esset cun-
» ctorum hominum naturale principium, ex quo
» scilicet propagari humanum genus, et, numquam
» intermissis procreationibus, conservari in omne
» tempus oporteret. Atque illa viri et mulieris con-
» junctio, quo sapientissimis Dei consiliis respon-
» deret aptius, vel ex eo tempore duas potissimum,
» easque in primis nobiles, quasi alte impressas
» et insculptas prae se tulit proprietates, nimirum
» unitatem et perpetuitatem. - Idque declaratum
» aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus
» divina Jesu Christi auctoritate; qui Judaeis et
» Apostolis testatus est, matrimonium ex ipsa in-
» stitutione sui dumtaxat inter duos esse debere,

» scilicet virum inter et mulierem; ex duobus unam » veluti carnem fieri; et nuptiale vinculum sic esse » Dei voluntate intime vehementerque nexum, ut » a quopiam inter homines dissolvi, aut distrahi » nequeat. *Adhaerebit* (homo) *uxori suae, et erunt* » *duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed* » *una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non* » *separet.* - Verum haec conjugii forma, tam ex» cellens atque praestans, sensim corrumpi et in» terire apud ethnicos populos coepit; et penes » ipsum Hebraeorum genus quasi obnubilari atque » obscurari visa. - Nam apud hos de uxoribus » susceperat consuetudo communis, ut singulis » viris habere plus una liceret; post autem, cum » *ad duritiam cordis* eorum indulgenter permi» sisset Moyses repudiorum potestatem, ad di» vortium factus est aditus. - In societate vero » ethnicorum vix credibile videatur, quantam cor» ruptelam et demutationem nuptiae contraxerint, » quippe quae objectae fluctibus essent errorum » uniuscujusque populi et cupiditatum turpissi» marum. Cunctae plus minus gentes dediscere » notionem germanamque originem matrimonii vi» sae sunt; eamque ob caussam de conjugiis pas» sim ferebantur leges, quae esse e republica vi» derentur, non quas natura postularet. Sollemnes » ritus, arbitrio legumlatorum inventi, efficiebant » ut honestum uxoris, aut turpe concubinae nomen » mulieres nanciscerentur; quin eo ventum erat, » ut auctoritate principum reipublicae caveretur,

» quibus esset permissum inire nuptias, et quibus » non esset, multum legibus contra aequitatem » contendentibus, multum pro injuria. Praeterea » polygamia, polyandria, divortium caussae fue- » runt, quamobrem nuptiale vinculum magnopere » relaxaretur. Summa quoque in mutuis conjugum » juribus et officiis perturbatio extitit, cum vir do- » minium uxoris acquireret, eamque suas sibi res » habere, nulla saepe justa caussa, juberet; sibi » vero ad effrenatam et indomitam libidinem prae- » cipiti impune liceret *excurrere per lupanaria et* » *ancillas, quasi culpam dignitas faciat, non vo-* » *luntas*. Exsuperante viri licentia, nihil erat uxore » miserius, in tantam humilitatem dejecta, ut in- » strumentum pene haberetur ad explendam libi- » dinem, vel gignendam sobolem comparatum. » Nec pudor fuit, collocandas in matrimonium emi » vendi, in rerum corporearum similitudinem, data » interdum parenti maritoque facultate extremum » supplicium de uxore sumendi. Talibus familiam » ortam connubiis necesse erat aut in bonis rei- » publicae esse, aut in mancipio patrifamilias, cui » leges hoc quoque posse dederant, non modo li- » berorum conficere et dirimere arbitratu suo nu- » ptias, verum etiam in eosdem exercere vitae ne- » cisque immanem potestatem. - Sed tot vitiis, » tantisque ignominiis, quibus erant inquinata con- » jugia, sublevatio tandem et medicina divinitus » quaesita est; quandoquidem restitutor dignitatis » humanae legumque mosaicarum perfector Jesus

» Christus non exiguam, neque postremam de ma-
» trimonio curam adhibuit. Etenim nuptias in Cana
» Galileae Ipse praesentia sua nobilitavit, primoque
» ex prodigiis a se editis fecit memorabiles; quibus
» caussis vel ex eo die in hominum conjugia novae
» cujusdam sanctitudinis initia videntur esse pro-
» fecta. Deinde matrimonium revocavit ad pri-
» maevae originis nobilitatem, cum Hebraeorum
» mores improbando, quod et multitudine uxorum
» et repudii facultate abuterentur; tum maxime
» praecipiendo, ne quis dissolvere auderet quod
» perpetuo conjunctionis vinculo Deus ipse con-
» strinxisset. Quapropter cum difficultates diluisset
» ab institutis mosaicis in medium allatas, supremi
» legislatoris suscepta persona, haec de conjugibus
» sanxit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimi-*
» *serit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et*
» *aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam du-*
» *xerit, moechatur.* - Verum quae auctoritate Dei
» de conjugiis decreta et constituta sunt, ea nuncii
» divinarum legum Apostoli plenius et enucleatius
» memoriae litterisque prodiderunt. Jamvero Apo-
» stolis magistris accepta referenda sunt, quae
» *sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ec-*
» *clesiae traditio semper docuerunt,* nimirum Chri-
» stum Dominum ad Sacramenti dignitatem eve-
» xisse matrimonium; simulque effecisse ut con-
» juges, caelesti gratia quam merita ejus pepe-
» rerunt septi ac muniti, sanctitatem in ipso con-
» jugio adipiscerentur: atque in eo, ad exemplar

» mystici connubii sui cum Ecclesia mire confor-
» mato, et amorem qui est naturae consentaneus
» perfecisse, et viri ac mulieris individuam suapte
» natura societatem divinae caritatis vinculo va-
» lidius conjunxisse. *Viri*, Paullus inquit ad Ephe-
» sios, *diligite uxores vestras, sicut et Christus*
» *dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut*
» *illam sanctificaret... Viri debent diligere uxores*
» *suas ut corpora sua... nemo enim unquam carnem*
» *suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut*
» *et Christus Ecclesiam; quia membra sumus cor-*
» *poris ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Pro-*
» *pter hoc relinquet homo patrem et matrem suam*
» *et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne*
» *una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem*
» *dico in Christo et in Ecclesia.* - Similiter Apo-
» stolis auctoribus didicimus unitatem, perpetuam-
» que firmitatem, quae ab ipsa requirebatur nu-
» ptiarum origine, sanctam esse et nullo tempore
» violabilem Christum jussisse. *Iis qui matrimonio*
» *juncti sunt*, idem Paullus ait, *praecipio non ego,*
» *sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod*
» *si discesserit, manere innuptam, aut viro suo*
» *reconciliari*. Et rursus: *Mulier alligata est legi,*
» *quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit*
» *vir ejus, liberata est.* - Hisce igitur caussis ma-
» trimonium extitit *sacramentum magnum, hono-*
» *rabile in omnibus*, pium, castum, rerum altis-
» simarum imagine et significatione verendum. -
» Neque iis dumtaxat quae commemorata sunt,

» christiana ejus perfectio absolutioque continetur.
» Nam primo quidem nuptiali societati excelsius
» quiddam et nobilius propositum est, quam antea
» fuisset; ea enim spectare jussa est non modo
» ad propagandum genus humanum, sed ad inge-
» nerandam Ecclesiae sobolem, *cives Sanctorum*
» *et domesticos Dei; ut* nimirum *populus ad veri*
» *Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et reli-*
» *gionem procrearetur atque educaretur.* - Secundo
» loco sua utrique conjugum sunt officia definita,
» sua jura integre descripta. Eos scilicet ipsos ne-
» cesse est sic esse animo semper affectos, ut amo-
» rem maximum, constantem fidem, sollers assi-
» duumque praesidium alteri alterum debere intel-
» ligant. - Vir est familiae princeps, et caput mu-
» lieris; quae tamen, quia caro est de carne illius
» et os de ossibus ejus, subjiciatur pareatque viro,
» in morem non ancillae, sed sociae; ut scilicet
» obedientiae praestitae nec honestas, nec dignitas
» absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae
» paret, cum imaginem uterque referant alter Chri-
» sti, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua
» moderatrix officii. Nam *vir caput est mulieris,*
» *sicut Christus caput est Ecclesiae... Sed sicut*
» *Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris*
» *suis in omnibus.* - Ad liberos quod pertinet, su-
» besse et obtemperare parentibus, hisque honorem
» adhibere propter conscientiam debent; et vicissim
» in liberis tuendis atque ad virtutem potissimum
» informandis omnes parentum curas cogitatio-

» nesque evigilare necesse est: *Patres.... educate* » *illos* (filios) *in disciplina et correptione Domini.* » Ex quo intelligitur, nec pauca esse conjugum » officia, neque levia; ea tamen conjugibus bonis, » ob virtutem quae Sacramento percipitur, non » modo tolerabilia fiunt, verum etiam jucunda. - » Christus igitur, cum ad talem ac tantam excel- » lentiam matrimonia renovavisset, totam ipsorum » disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit. » Quae potestatem in conjugia christianorum omni » cum tempore, tum loco exercuit, atque ita exer- » cuit, ut illam propriam ejus esse appareret, nec » hominum concessu quaesitam, sed auctoris sui » voluntate divinitus adeptam. - Quot vero et quam » vigiles curas in retinenda sanctitate nuptiarum » collocarit, ut sua his incolumitas maneret, plus » est cognitum quam ut demonstrari debeat. - Et » sane improbatos novimus Concilii Hierosolymi- » tani sententia amores solutos et liberos; civem » Corinthium incesti damnatum beati Paulli aucto- » ritate; propulsatos ac rejectos eodem semper te- » nore fortitudinis conatus plurimorum, matrimo- » nium christianum hostiliter petentium, videlicet » Gnosticorum, Manichaeorum, Montanistarum » sub ipsa rei christianae primordia; nostra autem » memoria Mormonum, Sansimonianorum, Pha- » lansterianorum, Communistarum. - Simili modo » jus matrimonii aequabile inter omnes atque » unum omnibus est constitutum, vetere inter » servos et ingenuos sublato discrimine; exaequata

» viri et uxoris jura; etenim, ut ajebat Hiero-
» nymus, *apud nos quod non licet feminis, aeque*
» *non licet viris, et eadem servitus pari conditione*
» *censetur:* atque illa eadem jura ob remunera-
» tionem benevolentiae et vicissitudinem officiorum
» stabiliter firmata; adserta et vindicata mulierum
» dignitas; vetitum viro poenam capitis de adul-
» tera sumere, juratamque fidem libidinose atque
» impudice violare. - Atque illud etiam magnum
» est quod de potestate patrumfamilias Ecclesia,
» quantum oportuit, limitaverit, ne filiis et filiabus
» conjugii cupidis quidquam de justa libertate mi-
» nueretur; quod nuptias inter cognatos et affines
» certis gradibus nullas esse posse decreverit, ut
» nimirum supernaturalis conjugum amor latiore
» se campo diffunderet; quod errorem et vim et
» fraudem, quantum potuit, a nuptiis prohibenda
» curaverit; quod sanctam pudicitiam thalami,
» quod securitatem personarum, quod conjugiorum
» decus, quod religionis incolumitatem sarcta tecta
» esse voluerit. Denique tanta vi, tanta providentia
» legum divinum istud institutum communiit, ut
» nemo sit rerum aequus existimator, quin intel-
» ligat, hoc etiam ex capite quod ad conjugia re-
» fertur, optimam esse humani generis custodem
» ac vindicem Ecclesiam; cujus sapientia et fugam
» temporum, et injurias hominum, et rerum publi-
» carum vicissitudines innumerabiles victrix eva-
» sit. - Sed, adnitente humani generis hoste, non
» desunt qui, sicut cetera redemptionis beneficia

» ingrate repudiant, sic restitutionem perfectio-
» nemque matrimonii aut spernunt, aut omnino
» non agnoscunt. - Flagitium nonnullorum veterum
» est, inimicos fuisse nuptiis in aliqua ipsarum
» parte; sed multo aetate nostra peccant pernicio-
» sius qui earum naturam, perfectam expletamque
» omnibus suis numeris et partibus, malunt fun-
» ditus pervertere. Atque hujus rei caussa in eo
» praecipue sita est, quod imbuti falsae philoso-
» phiae opinionibus corruptaque consuetudine ani-
» mi plurimorum, nihil tam moleste ferunt, quam
» subesse et parere; acerrimeque laborant, ut non
» modo singuli homines, sed etiam familiae atque
» omnis humana societas imperium Dei superbe
» contemnant. - Cum vero et familiae et totius
» humanae societatis in matrimonio fons et origo
» consistat, illud ipsum jurisdictioni Ecclesiae su-
» besse nullo modo patiuntur; imo dejicere ab omni
» sanctitate contendunt, et in illarum rerum exi-
» guum sane gyrum compellere, quae auctoribus
» hominibus institutae sunt, et jure civili popu-
» lorum reguntur atque administrantur. Unde se-
» qui necesse erat, ut principibus reipublicae jus
» in connubia omne tribuerent, nullum Ecclesiae
» esse decernerent; quae si quando potestatem ejus
» generis exercuit, id ipsum esse aut indulgentia
» principum, aut injuria factum. Sed jam tempus
» esse inquiunt, ut qui rempublicam gerunt, iidem
» sua jura fortiter vindicent, atque omnem conju-
» giorum rationem arbitrio suo moderari aggre-

» diantur. - Hinc illa nata, quae *matrimonia ci-*
» *vilia* vulgo appellantur; hinc scitae leges de
» caussis, quae conjugiis impedimento sint; hinc
» judiciales sententiae de contractibus conjuga-
» libus, jure ne initi fuerint, an vitio. Postremo
» omnem facultatem in hoc genere juris consti-
» tuendi et dicundi videmus Ecclesiae catholicae
» praereptam tanto studio, ut nulla jam ratio ha-
» beatur nec divinae potestatis ejus, nec provi-
» darum legum, quibus tamdiu vixere gentes, ad
» quas urbanitatis lumen cum christiana sapientia
» pervenisset. - Attamen *Naturalistae* iique omnes,
» qui reipublicae numen se maxime colere profi-
» tentes, malis hisce doctrinis totas civitates mi-
» scere nituntur, non possunt reprehensionem fal-
» sitatis effugere. Etenim cum matrimonium ha-
» beat Deum auctorem, fueritque vel a principio
» quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio,
» idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam,
» non adventitium, sed ingenitum, non ab homi-
» nibus acceptum, sed natura insitum. Quocirca
» Innocentius III et Honorius III, decessores Nostri,
» non injuria nec temere affirmare potuerunt, *apud*
» *fideles et infideles existere Sacramentum conju-*
» *gii*. Testamur et monumenta antiquitatis, et
» mores atque instituta populorum, qui ad huma-
» nitatem magis accesserant et exquisitiore juris
» et aequitatis cognitione praestiterant: quorum
» omnium mentibus informatum anticipatumque
» fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent,

» forma occurreret rei cum religione et sanctitate
» conjunctae. Hanc ob caussam nuptiae apud illos
» non sine caeremoniis religionum, auctoritate pon-
» tificum, ministerio sacerdotum fieri saepe con-
» sueverunt. - Ita magnam in animis caelesti do-
» ctrina carentibus vim habuit natura rerum, me-
» moria originum, conscientia generis humani! -
» Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura,
» sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur
» ac temperetur non principum imperio, sed divina
» auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola
» habet magisterium. - Deinde consideranda sacra-
» menti dignitas est, cujus accessione matrimonia
» christianorum evasere longe nobilissima. De sa-
» cramentis autem statuere et praecipere, ita, ex
» voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia,
» ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam
» partem ad gubernatores rei civilis velle esse tran-
» slatam. - Postremo magnum pondus est, magna
» vis historiae, qua luculenter docemur, potestatem
» legiferam et judicialem, de qua loquimur, libere
» constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse
» iis etiam temporibus, quando principes reipu-
» blicae consentientes fuisse aut conniventes in
» ea re, inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam
» incredibile, quam absurdum, Christum Domi-
» num damnasse polygamiae repudiique invete-
» ratam consuetudinem delegata sibi a procuratore
» provinciae vel a principe Judaeorum potestate;
» similiter Paullum Apostolum divortia incestasque

» nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite » mandantibus Tiberio, Caligola, Nerone! Neque » illud unquam homini sanae mentis potest per- » suaderi, de sanctitate et firmitudine conjugii, » de nuptiis servos inter et ingenuas, tot esse ab » Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab » Imperatoribus romanis, inimicissimis nomini » christiano, quibus nihil tam fuit propositum, » quam vi et caede religionem Christi opprimere » adolescentem: praesertim cum jus illud ab Ec- » clesia profectum a civili jure interdum adeo dis- » sideret, ut Ignatius Martyr, Justinus, Athena- » goras et Tertullianus, tamquam injustas vel » adulterinas publice traducerent nonnullorum nu- » ptias, quibus tamen imperatoriae leges favebant.- » Postea vero quam ad christianos Imperatores po- » tentatus omnis reciderat, Pontifices maximi et » Episcopi in Concilia congregati, eadem semper » cum libertate conscientiaque juris sui, de matri- » moniis jubere vetare perseverarunt quod utile » esse, quod expedire temporibus censuissent, ut- » cumque discrepans ab institutis civilibus vide- » retur. Nemo ignorat quam multa de impedi- » mentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, con- » sanguinitatis, criminis, publicae honestatis in » Conciliis Illiberitano, Arelatensi, Chalcedonensi, » Milevitano II aliisque, fuerint ab Ecclesiae prae- » sulibus constituta, quae a decretis jure impera- » torio sancitis longe saepe distarent. - Quin tan- » tum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent

» in matrimonia christiana potestatem, ut potius
» eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agno-
» scerent et declararent. Revera Honorius, Theo-
» dosius junior, Justinianus fateri non dubitarunt,
» in iis rebus quae nuptias attingant, non amplius
» quam custodibus et defensoribus sacrorum ca-
» nonum sibi esse licere. Et de connubiorum im-
» pedimentis si quid per edicta sanxerunt, caussam
» docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse
» ex Ecclesiae permissu atque auctoritate; cujus
» ipsius judicium exquirere et reverenter accipere
» consueverunt in controversiis de honestate na-
» talium, de divortiis, denique de rebus omnibus
» cum conjugali vinculo necessitudinem quoquo
» modo habentibus. - Igitur jure optimo in Con-
» cilio Tridentino definitum est in Ecclesiae pote-
» state esse *impedimenta matrimonium dirimentia*
» *constituere, et caussas matrimoniales ad judices*
» *ecclesiasticos spectare.* - Nec quemquam moveat
» illa tantopere a Regalistis praedicata distinctio,
» vi cujus contractum nuptialem a sacramento
» disjungunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiae reser-
» vatis sacramenti rationibus, contractum tradant
» in potestatem arbitriumque principum civitatis.-
» Etenim non potest hujusmodi distinctio, seu
» verius distractio, probari; cum exploratum sit
» in matrimonio christiano contractum a sacra-
» mento non esse dissociabilem; atque ideo non
» posse contractum verum et legitimum consistere,
» quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus

» Dominus dignitate sacramenti auxit matrimo-
» nium; matrimonium autem est ipse contractus,
» si modo sit factus jure. - Huc accedit, quod ob
» hanc caussam matrimonium est sacramentum,
» quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et
» imaginem referens mysticarum nuptiarum Chri-
» sti cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura
» illo ipso exprimitur summae conjunctionis vin-
» culo, quo vir et mulier inter se conligantur,
» quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimo-
» nium. Itaque apparet, omne inter christianos
» justum conjugium in se et per se esse sacra-
» mentum: nihilque magis abhorrere a veritate,
» quam esse sacramentum decus quoddam ad-
» junctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus,
» quae a contractu disjungi ac disparari hominum
» arbitratu queat. - Quapropter nec ratione effi-
» citur, nec teste temporum historia comprobatur
» potestatem in matrimonia christianorum ad prin-
» cipes reipublicae esse jure traductam. Quod si
» hac in re alienum violatum jus est, nemo pro-
» fecto dixerit esse ab Ecclesia violatum. - Utinam
» vero Naturalistarum oracula, ut sunt plena fal-
» sitatis et injustitiae, ita non etiam essent fecunda
» detrimentorum et calamitatum. Sed facile est
» pervidere quantam profanata conjugia perniciem
» attulerint; quantam allatura sint universae ho-
» minum communitati. - Principio quidem lex est
» provisa divinitus, ut quae Deo et natura aucto-
» ribus instituta sunt, ea tanto plus utilia ac sa-

» lutaria experiamur, quanto magis statu nativo
» manent integra atque incommutabilia; quando-
» quidem procreator rerum omnium Deus probe
» novit quid singularum institutioni et conserva-
» tioni expediret, cunctasque voluntate et mente
» sua sic ordinavit, ut suum unaquaeque exitum
» convenienter habitura sit. At si rerum ordinem
» providentissime constitutum immutare et pertur-
» bare hominum temeritas aut improbitas velit,
» tum vero etiam sapientissime atque utilissime
» instituta aut obesse incipiunt, aut prodesse de-
» sinunt, vel quod vim juvandi mutatione ami-
» serint, vel quod tales Deus ipse poenas malit
» de mortalium superbia atque audacia sumere.
» Jamvero qui sacrum esse matrimonium negant,
» atque omni despoliatum sanctitate in rerum pro-
» fanarum conjiciunt genus, ii pervertunt funda-
» menta naturae, et divinae providentiae tum con-
» siliis repugnant, tum instituta, quantum potest,
» demoliuntur. Quapropter mirum esse non debet,
» ex hujusmodi conatibus insanis atque impiis eam
» generari malorum segetem, qua nihil est saluti
» animorum, incolumitatique reipublicae pernicio-
» sius. - Si consideretur quorsum matrimoniorum
» pertineat divina institutio, id erit evidentissi-
» mum, includere in illis voluisse Deum utilitatis
» et salutis publicae uberrimos fontes. Et sane,
» praeter quam quod propagationi generis humani
» prospiciunt, illuc quoque pertinent, ut meliorem
» vitam conjugum beatioremque efficiant; idque

» pluribus caussis, nempe mutuo ad necessitates
» sublevandas adjumento, amore constanti et fideli,
» communione omnium bonorum, gratia caelesti,
» quae a sacramento proficiscitur. Eadem vero plu-
» rimum possunt ad familiarum salutem; nam ma-
» trimonia quamdiu sint congruentia naturae, Dei-
» que consiliis apte conveniant, firmare profecto
» valebunt animorum concordiam inter parentes,
» tueri bonam institutionem liberorum, temperare
» patriam potestatem proposito divinae potestatis
» exemplo, filios parentibus, famulos heris facere
» obedientes. Ab ejusmodi autem conjugiis expe-
» ctare civitates jure possunt genus et sobolem
» civium qui probe animati sint, Deique reverentia
» atque amore assueti, sui officii esse ducant juste
» et legitime imperantibus obtemperare, cunctos
» diligere, laedere neminem. - Hos fructus tantos
» ac tam praeclaros tamdiu matrimonium revera
» genuit, quamdiu munera sanctitatis, unitatis,
» perpetuitatisque retinuit, a quibus vim omnem
» accipit frugiferam et salutarem; neque est du-
» bitandum similes paresque ingeneraturum fuisse,
» si semper et ubique in potestatem fidemque fuis-
» set Ecclesiae, quae illorum munerum est fidis-
» sima conservatrix et vindex. - Sed quia modo
» passim libuit humanum jus in locum naturalis
» et divini supponere, deleri non solum coepit ma-
» trimonii species ac notio praestantissima, quam
» in animis hominum impresserat et quasi consi-
» gnaverat natura; sed in ipsis etiam Christia-

» norum conjugiis, hominum vitio, multum vis » illa debilitata est magnorum bonorum procrea- » trix. Quid est enim boni quod nuptiales afferre » possint societates, unde abscedere christiana re- » ligio jubetur, quae parens est omnium bonorum, » maximasque alit virtutes, excitans et impellens » ad decus omne generosi animi atque excelsi? » Illa igitur semota ac rejecta, redigi nuptias opor- » tet in servitutem vitiosae hominum naturae et » pessimarum dominarum cupiditatum, honestatis » naturalis parum valido defensas patrocinio. Hoc » fonte multiplex derivata pernicies, non modo in » privatas familias, sed etiam in civitates influxit. » Etenim salutari depulso Dei metu, sublataque » curarum levatione, quae nusquam alibi est quam » in religione christiana major, persaepe fit, quod » est factu proclive, ut vix ferenda matrimonii mu- » nera et officia videantur; et liberari nimis multi » vinculum velint, quod jure humano et sponte » nexum putant, si dissimilitudo ingeniorum, aut » discordia, aut fides ab alterutro violata, aut » utriusque consensus, aliaeve caussae liberari » suadeant oportere. Et si forte satis fieri proca- » citati voluntatum lege prohibeatur, tum iniquas » clamant esse leges, inhumanas, cum jure civium » liberorum pugnantes; quapropter omnino viden- » dum ut, illis antiquatis abrogatisque, licere di- » vortia humaniore lege decernatur. - Nostrorum » autem temporum legumlatores, cum eorumdem » juris principiorum tenaces se ac studiosos pro-

» fiteantur, ab illa hominum improbitate, quam » diximus, se tueri non possunt, etiamsi maxime » velint: quare cedendum temporibus ac divor- » tiorum concedenda facultas. - Quod historia idem » ipsa declarat. Ut enim alia praetereamus, exe- » unte saeculo superiore, in illa non tam pertur- » batione quam deflagratione Galliarum, cum so- » cietas omnis, amoto Deo, profanaretur, tum » demum placuit ratas legibus esse conjugum di- » scessiones. Easdem autem leges renovari hoc » tempore multi cupiunt, propterea quod Deum » et Ecclesiam pelli e medio ac submoveri volunt » a societate conjunctionis humanae; stulte pu- » tantes extremum grassanti morum corruptelae » remedium ab ejusmodi legibus esse quaeren- » dum. - At vero quanti materiam mali in se di- » vortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim » caussa fiunt maritalia foedera mutabilia; exte- » nuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa » incitamenta suppeditantur; tuitioni atque insti- » tutioni liberorum nocetur; dissuendis societa- » tibus domesticis praebetur occasio; discordiarum » inter familias semina sparguntur; minuitur ac » deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum » veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, » pro derelictis habeantur. - Et quoniam ad per- » dendas familias, frangendasque regnorum opes » nihil tam valet, quam corruptela morum, facile » perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum » maximo inimica esse divortia, quae a depravatis

» populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum
» usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae con-
» suetudines aditum januamque patefaciunt. - Mul-
» toque esse graviora haec mala constabit, si con-
» sideretur, frenos nullos futuros tantos, qui con-
» cessam semel divortiorum facultatem valeant
» intra certos, aut ante provisos, limites coercere.
» Magna prorsus est vis exemplorum, major cu-
» piditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut di-
» vortiorum libido latius quotidie serpens pluri-
» morum animos invadat, quasi morbus contagione
» vulgatus, aut agmen aquarum, superatis agge-
» ribus, exundans. - Haec certe sunt omnia per
» se clara; sed renovanda rerum gestarum me-
» moria fiunt clariora. - Simul ac iter divortiis
» tutum lege praestari coepit, dissidia, simultates,
» secessiones plurimum crevere; et tanta est vi-
» vendi turpitudo consecuta, ut eos ipsos, qui
» fuerant talium discessionum defensores, facti
» poenituerit; qui nisi contraria lege remedium ma-
» ture quaesissent, timendum erat, ne praeceps
» in suam ipsa perniciem respublica dilaberetur.-
» Romani veteres prima divortiorum exempla di-
» cuntur inhorruisse; sed non longa mora sensus
» honestatis in animis obstupescere, moderator cu-
» piditatis pudor interire, fidesque nuptialis tanta
» cum licentia violari coepit, ut magnam veri si-
» militudinem habere videatur quod a nonnullis
» scriptum legimus, mulieres non mutatione con-
» sulum, sed maritorum enumerare annos consue-

» visse. - Pari modo apud Protestantes principio
» quidem leges sanxerant, ut divortia fieri liceret
» certis de causis, iisque non sane multis: istas
» tamen propter rerum similium affinitatem, com-
» pertum est in tantam multitudinem excrevisse
» apud Germanos, Americanos, aliosque, ut qui
» non stulte sapuissent, magnopere deflendam pu-
» tarint infinitam morum depravationem, atque in-
» tolerandam legum temeritatem. - Neque aliter
» se res habuit in civitatibus catholici nominis:
» in quibus si quando datus est conjugiorum di-
» scidiis locus, incommodorum, quae consecuta
» sunt, multitudo opinionem legislatorum longe
» vicit. Nam scelus plurimorum fuit, ad omnem
» malitiam fraudemque versare mentem, ac per
» saevitiam adhibitam, per injurias, per adulteria
» fingere caussas ad illud impune dissolvendum,
» cujus pertaesum esset, conjunctionis maritalis
» vinculum: idque cum tanto publicae honestatis
» detrimento, ut operam emendandis legibus quam-
» primum dari omnes judicaverint oportere. - Et
» quisquam dubitabit, quin exitus aeque miseros
» et calamitosos habiturae sint leges divortiorum
» fautrices, sicubi forte in usum aetate nostra re-
» vocentur? Non est profecto in hominum com-
» mentis vel decretis facultas tanta, ut immutare
» rerum naturalem indolem conformationemque
» possint: quapropter parum sapienter publicam
» felicitatem interpretantur, qui germanam matri-
» monii rationem impune perverti posse putant;

» et, qualibet sanctitate cum religionis tum Sacra-
» menti posthabita, diffingere ac deformare con-
» jugia turpius velle videntur, quam ipsa ethni-
» corum instituta consuevissent. Ideoque nisi con-
» silia mutentur, perpetuo sibi metuere familiae
» et societas humana debebunt, ne miserrime con-
» jiciantur in illud rerum omnium certamen atque
» discrimen, quod est Socialistarum et Communi-
» starum flagitiosis gregibus jamdiu propositum. -
» Unde liquet quam absonum et absurdum sit pu-
» blicam salutem a divortiis expectare, quae po-
» tius in certam societatis perniciem sunt evasura. -
» Igitur confitendum est, de communi omnium po-
» pulorum bono meruisse optime Ecclesiam ca-
» tholicam, sanctitati et perpetuitati conjugiorum
» tuendae semper intentam; nec exiguam ipsi gra-
» tiam deberi, quod legibus civicis centum jam
» annos in hoc genere multa peccantibus palam
» reclamaverit; quod haeresim deterrimam Prote-
» stantium de divortiis et repudiis anathemate per-
» culerit; quod usitatam graecis diremptionem ma-
» trimoniorum multis modis damnaverit; quod ir-
» ritas esse nuptias decreverit ea conditione initas,
» ut aliquando dissolvantur; quod demum vel a
» prima aetate leges imperatorias repudiarit, quae
» divortiis et repudiis perniciose favissent. - Pon-
» tifices vero maximi quoties restiterunt princi-
» pibus potentissimis, divortia a se facta ut rata
» Ecclesiae essent minaciter petentibus, toties exi-
» stimandi sunt non modo pro incolumitate reli-

» gionis, sed etiam pro humanitatis gentium pro» pugnavisse. Quam ad rem omnis admirabitur » posteritas invicti animi documenta a Nicolao I » edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Pa» schali II adversus Philippum I regem Galliarum; » a Caelestino III et Innocentio III adversus Al» phonsum a Leone et Philippum II principem Gal» liarum; a Clemente VII et Paullo III adversus » Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo » fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, » secundis rebus et magnitudine imperii exultan» tem. - Quae cum ita sint, omnes gubernatores » administratoresque rerum publicarum, si ra» tionem sequi, si sapientiam, si ipsam populorum » utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de » matrimonio leges intactas manere, oblatumque » Ecclesiae adjumentum in tutelam morum prospe» ritatemque familiarum adhibere, quam ipsam vo» care Ecclesiam in suspicionem inimicitiae, et in » falsam atque iniquam violati juris civilis insimu» lationem. - Eoque magis, quod Ecclesia catho» lica, ut in re nulla potest ab religione officii et » defensione juris sui declinare, ita maxime solet » esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis » in rebus omnibus, quae cum incolumitate jurium » et sanctitate officiorum suorum possunt una con» sistere. Quam ob rem nihil unquam de matri» moniis statuit, quin respectum habuerit ad sta» tum communitatis, ad conditiones populorum; » nec semel suarum ipsa legum praescripta, quoad

» potuit, mitigavit, quando ut mitigaret caussae
» justae et graves impulerunt. - Item non ipsa
» ignorat neque diffitetur, sacramentum matri-
» monii, cum ad conservationem quoque et incre-
» mentum societatis humanae dirigatur, cogna-
» tionem et necessitudinem habere cum rebus ipsis
» humanis, quae matrimonium quidem consequun-
» tur, sed in genere civili versantur: de quibus
» rebus jure decernunt et cognoscunt qui rei pu-
» blicae praesunt. - Nemo autem dubitat, quin
» Ecclesiae conditor Jesus Christus potestatem sa-
» cram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas
» utramque res agendas liberam atque expeditam;
» hoc tamen adjuncto, quod utrique expedit, et
» quod interest omnium hominum, ut conjunctio
» inter eas et concordia intercederet, in iisque
» rebus quae sint, diversa licet ratione, communis
» juris et judicii, altera, cui sunt humana tradita,
» opportune et congruenter ab altera penderet, cui
» sunt caelestia concredita. Hujusmodi autem com-
» positione, ac fere harmonia, non solum utriusque
» potestatis optima ratio continetur, sed etiam op-
» portunissimus atque efficacissimus modus ju-
» vandi hominum genus in eo quod pertinet ad
» actionem vitae et ad spem salutis sempiternae.
» Etenim sicut hominum intelligentia, quemad-
» modum in superioribus Encyclicis Litteris osten-
» dimus, si cum fide christiana conveniat, multum
» nobilitatur multoque evadit ad vitandos ac re-
» pellendos errores munitior, vicissimque fides non

» parum praesidii ab intelligentia mutuatur; sic
» pariter, si cum sacra Ecclesiae potestate civilis
» auctoritas amice congruat, magna utrique ne-
» cesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim
» amplificatur dignitas, et, religione praeeunte,
» numquam erit non justum imperium: alteri vero
» adjumenta tutelae et defensionis in publicum fi-
» delium bonum suppeditantur. - Nos igitur, ha-
» rum rerum consideratione permoti, cum studiose
» alias, tum vehementer in praesenti viros prin-
» cipes in concordiam atque amicitiam jungendam
» iterum hortamur; iisdemque paterna cum bene-
» volentia veluti dexteram primi porrigimus, oblato
» supremae potestatis Nostrae auxilio, quod tanto
» magis est hoc tempore necessarium, quanto jus
» imperandi plus est in opinione hominum, quasi
» accepto vulnere, debilitatum. Incensis jam pro-
» caci libertate animis, et omne imperii, vel ma-
» xime legitimi, jugum nefario ausu detrectan-
» tibus, salus publica postulat, ut vires utriusque
» potestatis consocientur ad prohibenda damna,
» quae non modo Ecclesiae, sed ipsi etiam civili
» societati impendent. - Sed cum amicam volun-
» tatum conjunctionem valde suademus, preca-
» murque Deum, principem pacis, ut amorem con-
» cordiae in animos cunctorum hominum injiciat,
» tum temperare Nobis ipsi non possumus, quin
» Vestram industriam, Venerabiles Fratres, Ve-
» strum studium ac vigilantiam, quae in Vobis
» summa esse intelligimus, magis ac magis hor-

» tando incitemus. Quantum contentione assequi,
» quantum auctoritate potestis, date operam, ut
» apud gentes fidei Vestrae commendatas integra
» atque incorrupta doctrina retineatur, quam Chri-
» stus Dominus et caelestis voluntatis interpretes
» Apostoli tradiderunt, quamque Ecclesia catholica
» religiose ipsa servavit, et a Christifidelibus ser-
» vari per omnes aetates jussit. - Praecipuas curas
» in id insumite, ut populi abundent praeceptis
» sapientiae christianae, semperque memoria te-
» neant matrimonium non voluntate hominum, sed
» auctoritate nutuque Dei fuisse initio constitutum,
» et hac lege prorsus ut sit unius ad unam: Chri-
» stum vero novi Foederis auctorem illud ipsum
» ex officio naturae in Sacramenta transtulisse,
» et quod ad vinculum spectat, legiferam et judi-
» cialem Ecclesiae suae adtribuisse potestatem.
» Quo in genere cavendum magnopere est, ne in
» errorem mentes inducantur a fallacibus conclu-
» sionibus adversariorum, qui ejusmodi potestatem
» ademptam Ecclesiae vellent. - Similiter omnibus
» exploratum esse debet, si qua conjunctio viri
» et mulieris inter Christifideles citra Sacramentum
» contrahatur, eam vi ac ratione justi matrimonii
» carere; et quamvis convenienter legibus civicis
» facta sit, tamen pluris esse non posse, quam
» ritum aut morem, jure civili introductum; jure
» autem civili res tantummodo ordinari atque ad-
» ministrari posse, quas matrimonia efferunt ex
» sese in genere civili, et quas gigni non posse

» manifestum est, nisi vera et legitima illarum
» caussa, scilicet nuptiale vinculum, existat. -
» Haec quidem omnia probe cognita habere ma-
» xime sponsorum refert, quibus etiam probata
» esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac
» in re morem legibus gerere; ipsa non abnuente
» Ecclesia, quae vult atque optat ut in omnes
» partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne
» quid liberis detrimenti afferatur. - In tanta autem
» confusione sententiarum, quae serpunt quotidie
» longius, id quoque est cognitu necessarium, sol-
» vere vinculum conjugii inter christianos rati et
» consummati nullius in potestate esse; ideoque
» manifesti criminis reos esse, si qui forte con-
» juges, quaecumque demum caussa esse dicatur,
» novo se matrimonii nexu ante implicare velint,
» quam abrumpi primum morte contigerit. - Quod
» si res eo devenerint, ut convictus ferri diutius
» non posse videatur, tum vero Ecclesia sinit al-
» terum ab altera seorsum agere, adhibendisque
» curis ac remediis ad conjugum conditionem ac-
» commodatis, lenire studet secessionis incommo-
» da; nec umquam committit, ut de reconcilianda
» concordia aut non laboret aut desperet. - Verum
» haec extrema sunt; quo facile esset non descen-
» dere, si sponsi non cupiditate acti, sed prae-
» sumptis cogitatione tum officiis conjugum, tum
» caussis conjugiorum nobilissimis, ea qua aequum
» est mente ad matrimonium accederent; neque
» nuptias anteverterent continuatione quadam se-

» rieque flagitiorum, irato Deo. Et ut omnia paucis
» complectamur, tunc matrimonia placidam quie-
» tamque constantiam habitura sunt, si conjuges
» spiritum vitamque hauriant a virtute religionis,
» quae forti invictoque animo esse tribuit; quae
» efficit ut vitia, si qua sint in personis, ut distantia
» morum et ingeniorum, ut curarum maternarum
» pondus, ut educationis liberorum operosa solli-
» citudo, ut comites vitae labores, ut casus adversi
» non solum moderate, sed etiam libenter perfe-
» rantur. - Illud etiam cavendum est, ne scilicet
» conjugia facile appetantur cum alienis a catho-
» lico nomine: animos enim de disciplina religionis
» dissidentes vix sperari potest futuros esse cetera
» concordes. Quin imo ab ejusmodi conjugiis ex
» eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod
» occasionem praebent vetitae societati et commu-
» nicationi rerum sacrarum, periculum religioni
» creant conjugis catholici, impedimento sunt bo-
» nae institutioni liberorum, et persaepe animos
» impellunt, ut cunctarum religionum aequam ha-
» bere rationem assuescant, sublato veri falsique
» discrimine. - Postremo loco, cum probe intelli-
» gamus, alienum esse a caritate Nostra neminem
» oportere, auctoritati fidei et pietati Vestrae, Ve-
» nerabiles Fratres, illos commendamus, valde
» quidem miseros, qui aestu cupiditatum abrepti,
» et salutis suae plane immemores contra fas vi-
» vunt, haud legitimi matrimonii vinculo con-
» juncti. In his ad officium revocandis hominibus

» Vestra sollers industria versetur: et cum per Vos
» ipsi, tum interposita virorum bonorum opera,
» modis omnibus contendite, ut sentiant se flagi-
» tiose fecisse, agant nequitiae poenitentiam, et
» ad justas nuptias ritu catholico ineundas animum
» inducant. - Haec de matrimonio christiano do-
» cumenta ac praecepta, quae per has litteras No-
» stras Vobiscum, Venerabiles Fratres, communi-
» canda censuimus, facile videtis, non minus ad
» conservationem civilis communitatis, quam ad
» salutem hominum sempiternam magnopere per-
» tinere. - Faxit igitur Deus ut quanto plus habent
» illa momenti et ponderis, tanto dociles prom-
» ptosque magis ad parendum animos ubique nan-
» ciscantur. Hujus rei gratia, supplice atque hu-
» mili prece omnes pariter opem imploremus bea-
» tae Mariae Virginis Immaculatae, quae, excitatis
» mentibus ad obediendum fidei, matrem se et
» adjutricem hominibus impertiat. Neque minore
» studio Petrum et Paullum obsecremus, Principes
» Apostolorum, domitores superstitionis, satores
» veritatis, ut ab eluvione renascentium errorum
» humanum genus firmissimo patrocinio tueantur.-
» Interea caelestium munerum auspicem et singu-
» laris benevolentiae Nostrae testem, Vobis omni-
» bus, Venerabiles Fratres, et populis vigilantiae
» Vestrae commissis, Apostolicam Benedictionem
» ex animo impertimus. - Datum Romae apud
» S. Petrum, die 10 Februarii 1880, Pontificatus
» Nostri Anno Secundo. - Leo PP. XIII. »

5.° Absolutissimo hoc documento, quo universa catholica doctrina de matrimonio a Supremo Ecclesiae Doctore Romano Pontifice mirifice et clarissime exponitur praesens profecto tempus egebat. Siquidem profligata jamdiu poligamiae et divortii monstra non modo haereticas societates invadere, sed et catholicas gentes inficere denuo minitantur. Quibus gravissimis malis, sicut et aliis maritali unioni impendentibus nullum est tutum effugium, cum repudiata Ecclesiae auctoritate Rectores civilium societatum super matrimoniali foedere leges ferre et judicia reddere populis non reformident etiam in iis, quae vinculum conjugale respiciunt. Quod quam sit adversum divinis ordinationibus in ipsa primaeva institutione conjugii, et Evangelicae praesertim veritati nemo non videt, juxta quam matrimonium ad Sacramenti dignitatem a Christo Domino elatum est. Insistendum proinde fuit in exclusivo Ecclesiae jure ordinandi matrimonium christianorum jamdiu ab omnibus recepto adeo ut politicae potestati non relinquerentur nisi ea decernenda, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur. Explodenda deinde fuit illa a regalistis decantata distinctio, vi cujus contractum nuptialem a sacramento distinguunt, eaque verius *distractio* vocanda, cum in matrimonio christiano contractus a sacramento non sit dissociabilis, atque proinde ut ludicrum et inane commentum reputandum sic dictum *matrimonium civile*, quod nullam veri matrimonii per se habet

validitatem. Et quoniam quod verum est, si utile quoque sit nos potenter allicit, sicut quod falsum, si perniciosum quoque est ab eo facilius abstinemus, hinc sapientissime insistendum fuit in recensendis ex historia commodis ex servata in hac re catholicae Ecclesiae legislatione, quemadmodum in numerandis malis, quae ex derelicta catholica veritate dimanarunt. Utinam quae infallibili magisterio et paterno affectu Summus Pontifex Leo XIII universas gentes edocuit, ea omnium mentes et corda captivent!

6.° Post ea, quae in antecessum exposuimus, quaeritur a juristis an aliquis sit casus, in quo matrimonium dissolvi possit? Cui interrogationi satisfit recolendo eam distinctionem, quae existit inter matrimonium *legitimum*, *ratum*, et *consummatum;* aliamque distinctionem adhibendo scilicet de diversis divortii speciebus, nempe quod divortium aliud sit *plenum*, quando nempe resolvitur ipsum vinculum, et partes omnimodam libertatem recuperant sublato impedimento *ligaminis*, aliud vero divortium est *minus-plenum*, quando integro remanente vinculo dissociatur ex causa individua vitae consuetudo, ita ut non maneat ex una parte obligatio praestandi officia maritalia, sed non sit licentia ineundi alias nuptias: quod divortium minus-plenum iterum subdividitur in perpetuum et temporaneum, prout liberatio a praestandis maritalibus officiis ex alterius culpa inducta ex hujus ad meliorem frugem conversione non reintegretur,

sed semper maneat ad arbitrium partis innocentis, aut reintegranda sit ex illius conversione. Porro in matrimonio legitimo nempe in infidelitate contracto est casus, quo illud etiamsi consummatum nihilominus solvatur, si unus ad fidem convertatur, et alter renuat converti, aut saltem cohabitare nolit sine contumelia Creatoris. Quod luculenter constat ex Pauli testimonio in *Ep.* 1 *ad Corint. cap.* 7 quod Innocentius III in *cap.* 7 *h. t.* his verbis declarat: « Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum ei cohabitare volente, qui relinquitur ad secunda si voluerit vota transibit. Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus, si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi: et canonem, in quo dicitur, contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur. » Et hoc privilegium a Christo inductum est in favorem fidei, ne infideles a conversione deterrerentur, si obstricti priori vinculo, cum non possent aliud matrimonium contrahere ex instaurata monogamia, alterius ex iniquitate, qui nollet pacifice cohabitare, tenerentur servare coactum caelibatum. Et in vim istius privilegii divini solvitur conjugium, non autem ex auctoritate Papae, ut clare demonstrat Benedictus XIV *De Syn. Dioec. lib.* 13 *cap.* 21; etsi Pontifex in talibus casibus interveniat ut divini juris interpres

declarans quo casu conversus ad fidem eo uti possit diversis circumstantiis.

7.° Frui autem potest conversus hoc privilegio in tribus casibus, nempe: - 1° si infidelis renuat cohabitare in odium fidei; - 2° si infidelis velit cohabitare sed non sine contumelia Creatoris, ejusque laudes prohibeat, et ad defectionem conversum velit inducere, vel - 3° si conjux infidelis pertrahat fidelem ad peccatum mortale, ut notatur in *cap.* 7 *h. t.* - Et jure quidem, cum in his duobus postremis casibus conjux fidelis ad arcendum periculum subversionis teneatur relinquere cohabitationem, semper in unoquoque ex tribus casibus verificatur ejus dispendium ex conversione ad fidem, quod dispendium vitare voluit Christus concedendo hoc privilegium. Idque habet locum, etiamsi conjux in infidelitate manens per aliquod tempus cum converso pacifice cohabitare consentiat, et deinde mutata voluntate id amplius implere nolit, tunc enim fidelis divina dispensatione uti potest, ut decisit Congregatio S. Officii in Casu oblato a Missione Cocincinensi *die* 1 *Augusti* 1759 sub Clemente XIII, ubi permissum est fideli ad alia vota transire, etsi mansisset cum infideli per aliquot annos, qui postea mutata voluntate renuit cohabitare nisi cum contumelia Creatoris. - Aliud autem dicendum esset, si pars infidelis discessisset non in odium fidei, sed ex alia causa, puta ob adulterium. Nam in hoc eventu Doctores distinguunt quatuor diversas species: - (α) si adulterium

patratum sit a parte fideli post conversionem et susceptum baptisma; - (β) vel ab eodem sit patratum ante conversionem; - (γ) vel si eo crimine se ambo foedaverint; - (δ) vel demum si pars in infidelitate manens hujus criminis rea sit. - Si enim primum contingat pars fidelis non potest privilegio hoc uti, cum pars infidelis discedendi habuerit legitimam causam, et privilegium tributum sit in favorem fidei, non in favorem delicti, prout decisit S. Congregatio Inquisitionis *die* 1 *Augusti* 1759. Si vero adveniat secundus casus, tunc cum macula adulterii per conversionem et baptismum sublata esse censeatur, et pars infidelis irrationabiliter et injuste in suscepto consilio perseveret minime se parti fideli reconciliandi, facta interpellatione, an velit pars infidelis recipere partem fidelem et cum ea absque contumelia Creatoris habitare, ne pars fidelis in statu involuntariae continentiae cum peccandi periculo maneat, potest haec ad alia vota transire, et ita decisum est a Suprema Inquisitione *die* 17 *Januar.* 1797. At si tertius casus obveniat, cum crimina quoad poenam compensentur, et propter adulterium ab utroque commissum neutra pars habeat justam causam discedendi, si post interpellationem pars infidelis renuerit habitare absque contumelia Creatoris, potest pars fidelis ad alia vota transire, ut docet cum pluribus Doctoribus Benedictus XIV in *Quaest. Canon.* 546. Quod si demum adveniat adulterium patratum esse ab infideli, tunc pars

conversa potest vel divisa manere etiam si altera pars cupiat reconciliationem, aut illâ irrequisitâ ad sacros ordines ascendere aut professionem solemnem in ordine approbato edere, quia jus habet perpetuo discedendi. Sed in casu transitus ad secundas nuptias non datur, quia non potest applicari privilegium fidei, quod considerat dispendium habitum ex irrationabili discessu conjugis in infidelitate manentis, in odium receptae fidei.

8.° Hoc autem privilegio ad fidem conversus uti non potest, nisi praecedat interpellatio conjugis infidelis, quod aperte constat ex citato Pauli testimonio et *cap.* 7 *h. t.* dependet enim a conditione explorandae voluntatis infidelis: an velit converti, aut saltem cohabitare sine contumelia Creatoris. Unde S. Congregatio Concilii *die* 23 *Januarii* 1603, ut refertur in *lib.* 10 *Decret. pag.* 55 respondit: « S. Congregatio censuit ita respondendum: minime posse praedictos ad veram fidem conversos accipere alias fideles uxores, nisi prius constiterit utrum primae voluerint cum eis permanere vel non. Quod si noluerint cohabitare, vel si voluerint non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut conversos ad peccatum mortale pertrahant, tunc posse alias fideles accipere uxores. Si cohabitare absque Creatoris contumelia velint, et absque eo quod conversos ad mortale peccatum pertrahant, quamvis veram agnoscere fidem noluerint, non posse conversos alias fideles accipere uxores. Non sufficere ea quae proponuntur, nempe

loci distantiam, difficultatem ac praesumptionem cum constare debeat de voluntate ipsarum uxorum infidelium. » - Ex quo S. Congregationis Rescripto sequentia eruuntur consectaria: - (a) hanc interpellationem requiri ad *valide* contrahendum alterum conjugium, non vero tantum ad ejusdem liceitatem, quod confirmatur ex alio responso S. Congregationis de Propaganda Fide pro Vicariatu Apostolico Tunchini Occidentalis *diei* 5 *Martii* 1816; - (b) non posse ab hac interpellatione aliquem eximi, co quod satis constaret de contrario infidelis animo, puta quia conjugi ad baptismum pergenti dedit libellum repudii, aliasque in odium fidei nuptias inivit, ut cum communi Doctorum tenuit Benedictus XIV tunc temporis Secretarius S. Congregationis Concilii in *Causa Florentina die* 17 *Januarii* 1722; - (c) has vero interpellationes fieri debere quoad eos qui convertuntur a secta permittente polygamiam primae tantum uxori, quae sit vera uxor, non vero subsequentibus uxoribus, quae post abolitam a Christo polygamiae permissionem neque sunt verae uxores quoad infideles. Consulto tamen diximus: « si prima sit vera uxor », namque ejus conjugio obstare potest vel jus naturale, vel jus positivum divinum puta si sit mariti soror, vel si fuerit ab alio repudiata, et tunc secunda erit vera uxor. - (d) Has interpellationes debere esse duas, prima, si infidelis velit ad fidem converti, altera si saltem velit cohabitare absque contumelia Creatoris. Etenim

responsio negativa ad utramque interpellationem constituit illud dispendium, quod avertere sategit privilegium fidei relatum. Idque magis explicite constat ex responsione S. Congregationis de Propaganda Fide jam citata, dum ad secundum dubium respondit: « Interpellandum esse conjugem infidelem non solum si converti velit, sed etiam casu quo nolit converti, an velit cum conjuge fideli cohabitare sine contumelia Creatoris juxta dispositionem Innocentii III in *cap.* 7 *de divort.* » Et cohaerenter ad hoc Gregorius XVI, ut referunt *Analecta Juris Pontificii (onzième livraison),* in radice revalidavit multa conjugia a conversis ad fidem inita, quae ob insufficientiam interpellationis factae conjugibus in infidelitate relictis irrita fuerant, prius scilicet dispensando cum dictis Neophytis ex justa causa ab onere reiterandi monitionem conjugibus infidelibus, et deinde matrimonia ab iisdem cum fidelibus inita in radice revalidando. Neque deferendum est difficultati propositae ex nonnullis Canonibus Concilii Toletani, in quibus proponitur unica interpellatio, nempe an conjux velit ad fidem converti, et posita responsione negativa statim dabatur licentia novas nuptias ineundi a converso. Namque hi canones fundabantur in probabili conjectura ab experientia probata, quod pars renuens conversionem promittens vero pacificam cohabitationem vellet illudere, ut Verricellus ostendit *De Apostol. Mission. tit. XII.* Hodie tamen hac super re recursus ad

Sedem Apostolicam faciendus est, ut ex consequentibus patebit. - (e) Debere autem fieri istas interpellationes *judicialiter*, nec sufficere monitiones extrajudiciales tenuisse videtur Benedictus XIV *De Synod. Dioeces. lib.* 13 *cap.* 21 *num.* 4 et expresse Cardin. De Laurea *disp.* 16 *num.* 202 suffragante praxi.

9.° Primum vero matrimonium in infidelitate contractum nec statim post baptisma susceptum, nec post adimpletas interpellationes et habitum negativum responsum, sed in ipsa conciliatione alterius conjugii dissolvitur, prout clare edicitur in cit. responsione Supremae Inquisitionis *diei* 1 *Augusti* 1759 ad quintum dubium, quod sic expressum est: « Conversus ad fidem in ipso conversionis momento non intelligitur solutus a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti; sed tunc acquirit tantummodo jus transeundi ad alias nuptias cum conjuge tamen fideli, idque si conjux infidelis renuat post interpellationem converti. Caeterum tunc solum conjugii vinculum dissolvitur, quando conjux conversus transit cum effectu ad alias nuptias. » Ex quo eruitur quid in diversis casibus sit tenendum; nam post peractas interpellationes et responsum negativum receptum, si deinde mutata voluntate conjux infidelis fuerit conversus; tunc vel primo conversus: - (α) jam ad secunda vota nuptialia transivit, et tunc resoluto primo conjugio pars sero ad fidem adveniens cum alia fideli valet matrimo-

nium contrahere, ex utraque enim parte solutum est vinculum; vel - (β) primo conversus sacros ordines suscepit, aut vota solemnia edidit in religione approbata, et tunc, quia matrimonii consummati vinculum non dissolvitur per solemnem professionem aut per susceptionem ordinis sacri, altera pars dein conversa nequit aliud copulare conjugium: sed nec prior conjux tenetur vel potest ad ipsam redire, quia impleta interpellatione et accepto negativo responso usus est jure suo eligens statum monachalem seu sacerdotalem: vel - (γ) primo conversus adhuc manet liber, et tunc sero conversus ad primam redire tenetur; si tamen prima alterum velit recipere, et non potius manere in coelibatu elegerit, quod potest ex habito negativo responso ad interpellationes: at in hoc ultimo casu neuter valet alterum exinde matrimonium contrahere. Hinc disputatio fuit inter Doctores: an Pontifex extra casum Paulini privilegii dispensare valeat super conjugio in infidelitate inito, quando una pars ad fidem convertitur? Et ab omnibus admisso, quod id praestare Pontifex queat, dum agitur de matrimonio non consummato, assumpto argumento *a majori ad minus* ex matrimonio non consummato christianorum, antiquitus magnis animis certabatur relate ad matrimonium infidelium consummatum. Qui enim negativam sententiam tuebantur, eam sequentibus argumentis confirmabant, nempe matrimonium in infidelitate contractum cum consummatum est, retinendum esse indissolubile

ex jure positivo divino primigenio a Christo instaurato; proinde non esse admittendum alium casum dissolutionis, nisi nobis constet de hac divina venia. At hanc veniam non habemus, nisi in privilegio Paulino, et praesens casus esset in hypothesi quod non posset privilegium Paulinum applicari. Quid quod ipsi Romani Pontifices numquam sibi hanc auctoritatem asseruerunt? Unum proinde pro altera sententia esset argumentum petitum ex Brevi Pii V, cujus initium *Romani Pontificis dato die* 2 *Augusti* 1571; et ex altero Brevi Gregorii XIII « *Quoniam saepe contingit* » ex quibus argueretur dictos Pontifices dispensasse in matrimonio consummato contracto in infidelitate extra casum privilegii Paulini. Atqui tamen etsi haec duo exempla anteactis temporibus a pluribus Auctoribus sic explicarentur, non defuerunt, qui ea exempla exponerent de dispensatione ab interpellatione praemittenda a fideli ad conjugem infidelem, minime vero de ipsa dissolutione vinculi matrimonialis, inter quos postremos jure memoramus Benedictum XIV *De Synod. Dioeces. lib.* 6 *cap.* 6 *num.* 3 et *lib.* 13 *cap.* 21 *per totum.* Et jure quidem cum id satis aperte pateat ex ipso Brevi Pii V, ubi leguntur haec verba: « maxime quia difficillimum foret primum conjugem invenire. » Idemque ex altero Gregorii XIII, in quo inter caetera haec habentur: « Dummodo constet etiam summario et extrajudicialiter conjugem absentem moneri legitime non posse, aut maritum

intra tempus eidem monitioni praefixum suam voluntatem non significasse. » Quae omnia ostendunt ibi agi de dispensatione ab interpellatione, proinde de casu privilegii Paulini. Erimus proinde valde discreti et temperantes, si hanc quaestionem concludemus verbis Benedicti XIV in Discursu cum munus Secretarii S. Congregationis Concilii in Causa Florentina ageret in quo *num.* 16 ait: « At » cum doctrina Sanchez et Navarri consilium im» pugnetur a Pontio *de matrim. lib.* 9 *cap.* 2, cui » adhaeret Perez *de matrim. disput.* 20 *sect.* 10 » *per totum,* nec adsint, quod sciam exempla con» similis dispensationis, quidquid sit de pontificia » auctoritate, quam sarctam tectam in omnibus » esse debere sentio, ejus exercitium absque dubio » esset in casu periculosum. » Cui consilio cessit S. Congregatio Concilii, quemadmodum a tali actu abstinuit Sixtus V, prout refertur ab eodem Benedicto XIV *Quaest. canon.* 546 *num.* 29.

10.° Non est infrequens casus, in quo vel impossibilis vel maximae difficultatis est interpellatio, quae debet praemitti ad hoc ut conjux ad fidem conversus habeat jus novas nuptias ineundi adhuc prima conjuge vivente. Tunc necessario recursus faciendus est Summo Pontifici, qui utpote juris divini authenticus interpres et juris ecclesiastici supremus moderator declarare potest in iis adjunctis jus divinum non obligare ad praemittendas interpellationes, et in jure ecclesiastico dispensare quoad formam juridicam earumdem in-

terpellationum. Aliquando autem ex causa Pontifex dispensat in totum ab interpellationibus, et aliquando dispensat a rigore interpellationis, ut puta coarctat, ut tantum quaeratur a conjuge infideli an velit fieri christiana, et non aliter. Causae vero propter quas id Pontifex concedat nos non valemus omnes assignare, et tantum eas referimus, ad quas respexerunt Pontifices usque adhuc in suis indultis. Eae autem sunt sequentes: - 1° quia conjux infidelis degit in hostilibus et barbaris provinciis, ubi ne nuntiis quidem accessus patet; - 2° vel quia ignoratur in quas regiones infidelis conjux degat; - 3° vel quia itineris longitudo magnam affert difficultatem; - 4° vel quod timeatur, ne molestia aut persecutio contra christianos oriatur, si interpellatio fiat; - 5° aut quia conversus non recordetur quam primum uxorem duxerit ex pluribus, quas in gentilitate habuit sequens morem detestabilis polygamiae in sua patria vigentis, - 6° aut demum, quia serio dubitatur an conversus in sua patria verum matrimonium contraxerit cum priori aut altera ex pluribus ductis uxoribus vel potius omnes retinuerit tamquam contubernales. - Pro tribus primis causis data sunt Indulta Pii V, quod incipit « Romani Pontificis » et Gregorii XIII, quod incipit « Quoniam saepe contingit. » Quae tamen indulta, ut habet Benedictus XIV in *Synod. Dioeces. lib.* 13 *cap.* 21 *num.* 6: « certas quasdam regiones tantummodo respiciunt, neque extendi ad alias possunt, quantumvis rationis et circumstan-

tiarum paritas aut identitas id suadere videatur; » et quando S. Sedes voluit ut ea extenderentur ad Missiones Sinici Imperii id expresse declaravit, prout constat ex Synodo Sutchuensi prout quoque factum est in indulto Benedicti XIV *diei* 10 *Januarii* 1745 Apostolico Nuntio Venetianum « In suprema. » De quarta causa loquitur Responsum datum a S. Congregatione S. Officii anno 1769 ad Vicarium Apostolicum imperii Sinensis, ut nempe consulatur S. Sedes, quae pro hac causa ab interpellationibus dispensabit. Quintum casum contemplata est constitutio Pauli III « *Altitudo* » *diei* 1 *Junii* 1537. Ad sextum casum demum respexit Responsum S. Universalis Inquisitionis *diei* 8 *Jun.* 1836 approbatum a Gregorio XVI ad dubium propositum ab Episcopo Quebecensi in America Septemtrionali. In quibus casibus dispensatur a Summo Pontifice ab interpellationibus, et tunc, prout ait *loco cit.* de Syn. Benedictus XIV: « si » conversus nubat, secundum hoc matrimonium » ita validum et firmum est, ut et ipse ad priorem » conjugem amplius reverti nequeat, et primus » conjux jus illud omne perdiderit, quod in con- » trahendo priore matrimonio acquisierat. Primum » enim matrimonium eo ipso momento, et quidem » irrevocabiliter solutum manet, quo conjux con- » versus ad alias nuptias cum fideli transivit; sive » quia in hanc libertatem vindicatus fuerit jure » divino, propterea quod infidelis conjux judicia- » liter interpellatus evangelicae veritati, aut inno-

» cuae cohabitationi se denegaverit; sive quia pe-
» culiares rerum circumstantiae viam aperuerunt
» indulto apostolico, quo sublata fuit interpellandi
» necessitas; quod quidem indultum cum nulli con-
» ditioni sit alligatum, secundi matrimonii validi-
» tatem et firmitatem perpetuo asserit, et reditum
» intercludit ad prima connubia, etiamsi quis pro-
» bare contenderet, primo conjugi interpellato non
» fuisse liberum respondere, vel eum jam tunc chri-
» stianae religioni amplectendae paratum fuisse,
» imo ante illam diem, qua secundum matrimo-
» nium a conjuge converso celebratum fuit, ipsum
» quoque Christo nomen dedisse, et baptismum
» suscepisse. » - Aliquando Sedes Apostolica dispensat a rigore interpellationis, ut puta non exigat ut duae fiant interpellationes, sed tantum una, nempe si prima mulier velit fieri christiana, prout inter facultates, quae Episcopis et Vicariis Apostolicis Asiae, Africae et Americae, nec non praefectis Missionum in iisdem partibus tribuuntur a Propaganda, legimus quoque sequentem: « Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, *nisi prima voluerit converti.* » Una ergo sufficit interrogatio: an velit fieri christiana. Circa quam facultatem optime notat *loc. cit.* Benedictus XIV: « in ea formula nullam fieri
» mentionem de facultate dispensandi super juri-
» dica illa et formali interpellatione, quae primo

» conjugi fieri debet, ut mentem suam de Christi » fide amplectenda declaret, et subrogandi in illius » locum aut extrajudiciales notitias, aut alias cir- » cumstantias et argumenta, quae suadeant impro- » babile omnino esse primum conjugem ad chri- » stianam religionem converti velle; id quod ex- » presse concessum legitur in duabus illis aposto- » licis constitutionibus Pii V et Gregorii XIII. »

11.° Ut omnia sub hac materia relata comprehendamus, superest ut alias tres quaestiones resolvamus: - (a) an fidelis, qui ex dispensatione apostolica dispensato impedimento disparitatis cultus matrimonium contraxit cum infideli possit ad alias nuptias transire utendo divina dispensatione si infidelis discedat, vel pacifice cohabitare nolit, sed tantum cum contumelia Creatoris vel ut fidelem pertrahat ad peccatum? Sed respondendum est negative, cum tantum solvi possit quoad thorum et cohabitationem non vero quoad vinculum. Id probatur ex decisione S. Congregationis Inquisitionis *die* 1 *Augusti* 1753 his verbis: « Si fidelis praevia » dispensatione contraxit matrimonium cum infi- » deli, censetur illud contraxisse cum explicita con- » ditione, dummodo nimirum infidelis secum coha- » bitare velit absque contumelia Creatoris. Quare » si infidelis non servet praedictam conditionem, » adhibenda sunt juris remedia ad hoc, ut eam » servet, alias separari debent quoad thorum et » cohabitationem, non tamen quoad vinculum; » quocirca in casu, de quo agitur, conjuge infi-

» deli superstite non potest fidelis ad alia vota tran- » sire. » - (b) Si conversus mediante dispensatione super cultus disparitate iterato consensu retinuerit unam ex illis, quas praeter primam uxoris appellatione duxerat in infidelitate ob polygamiam in sua secta vigentem, et ea lapsu temporis discesserit, an ex privilegio fidei possit ad alia vota transire eâ adhuc vivente? Et pariter negative respondetur tum ob allatam rationem in dubio praecedenti, cum praesens casus ab illo non differat; et deinde ex eo quod simili dubio a Vicario Apostolico Siam proposito S. Congregatio S. Officii anno 1854 respondit per Instructionem ex Synodo Sutchuensi *cap.* 9 § 7 ubi adnotatur post dispensationem ab impedimento disparitatis cultus non posse amplius ullo in casu matrimonium solvi quoad vinculum, sed solum quoad thorum, quia factum est indissolubile in favorem fidei et partis fidelis. - (c) Demum quaeritur: an privilegium fidei iis quoque prosit, qui ab infidelitate convertuntur ad aliquam sectam christianam non ad catholicam Ecclesiam recepto tamen in sua secta valido baptismo, ut interpellato legitime conjuge et responsis negativis habitis possint aliud contrahere matrimonium? Antiqui Interpretes hac in re oppositas abierunt sententias. Alii enim verba *fidelis*, *frater* et *soror* intelligebant de baptizatis in genere, et ipse Augustinus applicare visus est privilegium Paulinum etiam ad Donatistas *De Sermon. Domini in monte cap.* 22 *num.* 75, aliis Doctoribus e contra

opinantibus hoc privilegium non competere nisi eis, qui ex infidelitate ad sacra catholica convertuntur, cum qui extra veram Ecclesiam est nec mereatur nomen *fidelis*, *fratris*, vel *sororis*, sed potius habeatur ut transfuga et sit infideli deterior. Consulta a me cum humiliter fuerit S. Congregatio Universalis Inquisitionis respondere dignata est se hanc casum expendisse, sed post serias inquisitiones nihil decisum fuisse, et proinde esse liberum unam vel alteram sententiam amplecti. Et revera gravia sunt pro utraque argumenta, et praesertim maximi faciendum est quod Apostoli eorumque doctrinam retinentes apostolici viri non consideraverint haereticos ut fratres, sed potius ut pervicacissimos hostes. Illud autem tenendum est, quod etiamsi teneatur sententia affirmativa, rarissime applicetur haereticis hoc privilegium; nam si est casus consequendi dispensationem apostolicam ab onere interpellationis, ea namquam haereticis conceditur a Pontifice.

12.° Matrimonium christianorum ratum et non consummatum quamvis de se sit stabile, neque a partibus ullo modo directe resolvi possit, tamen non ita est indissolubile ut in nullo casu valeat irritari. Casus unus est notatus in jure, nempe per solemnem religionis professionem alterius conjugum, quo dirimitur, de quo habetur *can. VI sess.* 24 *Conc. Trid. De sacram. matrim.:* « Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem al-

terius conjugum non dirimi anathema sit. » In qua re cum omnes catholici convenire debeant, non tamen inter Doctores pacificum est quo id jure statutum sit, aliis nempe contendentibus id factum esse *jure divino*, aliis è contra *jure ecclesiastico*. Cum nos hanc alteram sententiam probaverimus alibi, hic tantum difficultati reponemus desumptae ex citato canone; nempe quod cum haec doctrina sit objectum seu materia canonis dogmatici, profecto debet esse divini juris non autem ecclesiastici. At respondendum est in eo canone non venire sub definitione simpliciter doctrinam de solemni professione religionis dirimentem matrimonium, sed venire auctoritatem Ecclesiae tributam id praestandi, unde hic canon est dogmaticus quia attingit potestatem Ecclesiae divinitus concessam, prout sunt plures Canones praesertim *sess.* 23 *et* 24; qui si hoc modo non intelligantur in inextricabiles quaestiones incidemus. - Praeter hunc casum in jure notatum hodie ab omnibus Doctoribus communiter admittitur Romanos Pontifices gravibus de causis sibi bene visis ex plenitudine potestatis posse dirimere matrimonium christianorum ratum sed non consummatum, prout et rationes ex antecedentibus desumptae plene probant, et exempla, quae nostris temporibus rara non sunt, quaeque faciunt jus ut apud Schmalzgrueber *h. t. n.* 46. - Matrimonium demum christianorum si est ratum et consummatum, si vere validum fuit nonnisi morte alterutrius solvitur, neque est potestas in terris, quae

illud dirimere valeat, de quo praecise dictum est: « quod Deus conjunxit, homo non separet », neque ipsi Summi Pontifices umquam asseruerunt hanc sibi potestatem a Christo tributam fuisse, imo contrarium semper tenuerunt. Et *canones V et VII Conc. Trid. sess. 24 de sacram. matrim.* hanc receptam a Christo doctrinam palam exhibent. Quo *canone V* fuit confirmata responsio data ab Innocentio III *cap.* 7 *h. t.* ubi et ipse definivit, non posse applicari privilegium fidei matrimonio a fidelibus contracto et consummato, si deinde alteruter in haeresim vel apostasiam lapsus esset, nec vellet cum altera parte pacifice cohabitare. Etsi enim in hoc casu dispendium partis catholicae idem esset ac in altero, et malitia alterius partis potior; tamen quia matrimonium christianorum est non modo *verum* sed *ratum*, hinc majorem firmitatem habet, ac proinde non dissolvitur quoad vinculum per quamcumque causam, et habet omnimodam indissolubilitatem. Atque non semel iidem Romani Pontifices pro indissolubilitate matrimonii rati et consummati christianorum pugnarunt etiam contra potentes saeculi, prout historiae ecclesiasticae monumenta ostendunt; et clarissima documenta ab ipsis edita testantur. Unde supinae ignorantiae vel effrontis malitiae rei arguuntur moderni instauratores divortii, cum in publicis Comitiis Statuum affirmare non erubuerunt, Romanos Pontifices suis sententiis in causis matrimonialibus stetisse pro

divortio! Dare sententiam pro divortio est resolvere vinculum existens, cum tribunalia ecclesiastica sententias dederint pro declaratione vinculi numquam contracti, ex eo quod matrimonii validitati oberat impedimentum dirimens. Id tamen non impedit, quominus ad fucum imperitis faciendum istae sententiae *de nullitate* matrimonii ab istis vocentur sententiae *de divortio*.

13.° Longe alia res est, si loquamur de divortio quoad thorum et cohabitationem. Nam hoc esse potest vel *voluntarium,* si utraque pars in illud conveniat, vel *coactum* prout uno instante alteri parti etsi invitae imponitur. Utrumque autem est vel *perpetuum* vel *temporaneum*. Porro propria utriusque auctoritate divertere licet, sive ut vacent ad tempus orationi prout B. Paulus innuit, sive ut votum solemne in susceptione sacrorum ordinum aut professione religiosa ab uno conjugum altero consentiente edatur, prout dictum est *Titulo XXXII Lib. III*. Quod pertinet vero ad divortium coactum, sciendum est hoc induci posse pluribus de causis, et perpetuum vel temporaneum. Divortium perpetuum inducitur ex causa adulterii, ex quo crimine conjux innocens habet justam causam divertendi a conjuge adultero, et se a thoro et cohabitatione illius separare. Hoc jus ex sententia omnium catholicorum recognitum dicitur esse ex divina permissione Matth. *cap.* 5 *v.* 32 et *cap.* 19 *v.* 9. Quod competit parti inno-

centi, si adulterium commissum sit ex *can.* « *Dixit Dominus* » *caus.* 32 *quaest.* 1 et hoc fuerit criminosum cum si culpa vacet non noceat *can.* 3 *caus.* 32 *quaest.* 5 dummodo altera pars eam adulterandam non tradiderit *cap.* 6 *de eo qui cognovit;* et dummodo alia etiam pars se eodem crimine non foedaverit *cap.* 4 *h. t.* Hoc vero crimen dat potestatem *perpetuo* divortio ex *cap.* 4, 5 *et* 8 *h. t.*, et nocet sive viro sive foeminae. Quando autem dicimus adesse ex parte innocentis potestatem abeundi vel divertendi, ex hoc etiam includimus, quod valeat injuriam remittere; quemadmodum eamdem valet quoque progressu temporis condonare, et tunc non licet amplius ex ea culpa suo jure uti, quia injuria dimissa est. Unde est quod pars innocens potest impune discedere, vel ad sacros ordines ascendere aut professionem solemnem edere irrequisita alia parte; quod alteri non licet, nisi parte innocente requisita. Neque illam emendatam tenetur de rigore juris recipere, quia dedit causam adulterium divortio perpetuo. An autem parti innocenti liceat a criminosa recedere propria auctoritate, vel sit necessarium quod praecedat judicium Ecclesiae controvertitur; et rationabilior sententia distinguit inter casum adulterii notorii, et occulti. Si adulterium est notorium, divertere licet etiam auctoritate privata, cum ex dictis liceat divertere ab adultero ex divina permissione, et in notoriis non sit necessaria judicis

ecclesiastici declaratio, neque hic recessus factus propria auctoritate umquam a canonibus reprehendatur, imo ratus habeatur a judice ecclesiastico ex *cap.* 4 *h. t.* At si adulterium est occultum, et a fortiori si non habeantur sufficientes de eo probationes aut certa notitia, non permittitur divortium, nisi postquam advenerit judicis ecclesiastici sententia. - Alia causa separationis est lapsus unius in haeresim vel apostasiam aut schisma ex *cap.* 7 *h. t.,* aequiparatur enim haec adulterio, et vocatur adulterium spirituale. Verum talis aequiparatio in totum urgenda non est; nam lapsâ una parte in haeresim, alia valet ad religionem converti eamque profiteri, etiamsi non praecesserit sententia judicis ecclesiastici ex *cap. fin. de convers. conjugat.*, atque in hoc casu conjux emendatus atque ad Ecclesiae unitatem rediens nequit amplius revocare conjugem religiosum. At si conjux in fide manens ad religionem conversus non sit, tunc vel separatio facta est judicio Ecclesiae aut privata auctoritate; in primo enim casu non tenetur reintegrare individuam vitae consuetudinem cum emendato, tenetur autem si propria auctoritate discesserit ex *cap.* 7 *h. t.* - Propter periculum animae etiam ex proprio arbitrio licet divortium facere temporaneum, scilicet usque dum talis causa perdurat ex *can.* 5 *caus.* 28 *quaest.* 1, sicut et propter saevitiam unius licet quoque in incontinenti discedere ex *cap.* 13 *de restit. spoliat.*

nec altera pars petens reintegrationem cohabitationis auditur cum effectu nisi det cautionem ex *cap.* 8 *dicti tit.*, quae causa valet etiamsi saevitia procedat ex parte mulieris, ut habetur *cap.* 1 *h. t.* De causa aegritudinis dictum jam est in *Tit. VIII hujus Libri*.

TITULUS XX.

De donationibus inter virum et uxorem, et de dote post divortium restituenda.

Titulus hic quoad utramque partem non continet nisi dispositiones mere civiles desumptas ex jure Romanorum, quas etiam in suo Tribunali Ecclesia servandas esse proposuit, si quando ex connexione causarum eaedem quaestiones in foro ecclesiastico determinandae intervenirent. Istae porro sanctiones in diversis Codicibus Civilibus, qui juri communi Romanorum successerunt fere eaedem permanserunt praesertim circa donationes inter virum et uxorem et circa dotem post divortium restituendam. At si progressu temporis aliqua in iis inducatur variatio, Ecclesia non insistet in servando jure Romanorum, easque modificationes dummodo justitiae conveniant laeta suscipiet. Non

putamus autem nobis esse insistendum in his exponendis, quia ad cessandam quamcumque aemulationem Ecclesia in suo Tribunali tales causas non assolet pertractare, sed decidendas relinquit judicibus civilibus.

TITULUS XXI.

De Secundis Nuptiis.

1.° Ecclesia secundas et ulteriores nuptias esse de se honestas et licitas contra Montanistas non semel asseruit, et proinde christianis permissas retinuit, utens B. Apostoli Pauli textu *Ep.* 1 *ad Corinth. cap.* 7 *v.* 39: « Mulier alligata est legi » quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit » vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum » in Domino. » Easdemque nuptias non minus ac primas esse verum sacramentum asseruit ex accepta doctrina, quod inter christianos non sint contractus nuptiales, nisi simul sint sacramenta. Fatendum tamen est Ecclesiam habere has secundas et ulteriores nuptias non sic honorabiles ut primas, atque id ostenditur ex eo quod antiquitus pro celebratis his secundis nuptiis imponebantur poeni-

tentiae, de quibus loquitur *can.* 8 *caus.* 31 *quaest.* 1, quas poenitentias teste Giraldi *op. cit. p.* 1 *sect.* 741 sustulit consuetudo. Id quoque ostenditur ex hoc, quod tales nuptiae non benedicantur, prout ex Rituali Romano in *Rubricis de Sacram. Matrim.*, ubi edicitur quod si in aliquo loco vigeat consuetudo benedicendi has secundas nuptias quando mulier primo nubit etsi vir sit viduus, potest haec servari; non poterit autem servari si mulier secundo nubat, etiamsi vir prima vice matrimonium contrahat, cum in hoc casu abstinendum omnino sit a benedictione. Rationes hujus minoris honorabilitatis sunt, quod in secundis et ulterioribus nuptiis interveniat causa potius vitandae incontinentiae, quam studium habendae prolis et mutui adjutorii; et deinde quod in secundis et ulterioribus nuptiis habeatur *defectus in sacramento* propter *carnis divisionem* in plures quam duo sint; quemadmodum expositum est in *Tit. XX Libri Primi;* unde non in totum sèu in integralibus non respondent unioni Christi cum Ecclesia.

2.° Jus Romanorum, prout ex *Leg.* 1 *et* 2 *Digest. De iis qui notantur infamia* et *Leg.* 1 *et* 2 *Codic. de secundis Nuptiis,* non permittebat mulieribus secundas nuptias intra annum luctus contrahere inflictâ quoque infamiae nota tum in ipsam mulierem, quam in maritum, qui eam ducebat, ac in patrem, qui illam nuptui collocabat, nec non in patrem mariti, cum posset filium prohibere. Nec talis vetiti erant contemnendae rationes,

ut advertit Giraldi *loc. cit.* Praecipuae enim duae erant, ut scilicet evitaretur sanguinis turbatio, ac ne frequenter incertum fieret quis natae prolis pater esset an primus, an secundus maritus; secundo vero, quia si mox a morte mariti alteri nuberet vidua, non levem suspicionem ingereret perpetrati adulterii viro adhuc vivente, vel saltem jam pridem cogitasse de secundis nuptiis, cui nubere festinabat. Haec tamen infamiae nota per leges ecclesiasticas abolita est, prout dicitur in *cap.* 4 *et* 5 *h. t.*, cum secundum Apostolum mulier mortuo viro suo ab ejus sit lege soluta, et nubendi cui vult, tantum in Domino, liberam habeat facultatem, proinde non debeat infamiae legalis sustinere jacturam. Codices Civiles moderni, ut *Codice Civile del Regno d' Italia art.* 57, de hac poena infamiae non loquuntur, neque de anno luctus, sicut nec de ratione publicae honestatis, sed vetant has nuptias primis decem mensibus a die soluti vel irriti habiti primi matrimonii, ita ut cesset impedimentum a die, quo mulier pepererit; quod importat id factum esse tantum ad tollendam incertitudinem successionis. Et in hoc nihil aliud reprehendit Ecclesia, nisi *excessum sanctionis*, sibi enim arrogat jus civile potestatem ponendi impedimentum matrimonii dirimens, quam non habet, cum aliis modis posset certitudini successionum prospicere; et alia sanctione haec inconvenientia vitare.

3.° Ad secundas autem nuptias non permit-

titur quis transire, nisi certus sit de primi conjugii resolutione, est enim primum conjugium ad alias nuptias ineundas impedimentum juris divini positivi, atque proinde eo non resoluto fas non est alias nuptias conciliare, quod parti certo constet *cap. 2 h. t.* - Si ergo altera pars de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, et tamen ad alias nuptias migrare praesumpserit, tunc ei quae sibi nupsit (si ea est in bona fide) debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Si vero deinde de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem reverti tenetur. Quod si hoc dubium enascatur postquam in bona fide initum sit connubium, idem servandum erit, ut alteri parti in bona fide manenti non denegetur debitum, sed a dubitante non petatur, et interim haec tenetur omnem diligentiam adhibere, ut veritatem dignoscat, dubiumque deponat. Ex quo pariter intelligitur quod si utraque pars in dubio sit, nec petitioni nec redditioni debiti est locus.

4.° Cum autem Doctores discrepent in statuendo qualis debeat esse certitudo de morte prioris conjugis antequam superstes transeat ad secunda vota, relictis privatis eorumdem Doctorum opinionibus, tenemus cum Giraldi *op. et part. cit. sect.* 656 habendam esse pro certa regula praxim Tribunalis S. Inquisitionis, a quo hujusmodi transitus numquam permittitur, nisi constet de morte conjugis vel per autenticum testimonium seu fidem, puta

praefecti nosocomii vel alterius loci, in quo forte decesserit, sive Rectoris Ecclesiae, in qua sepultus fuerit; sive etiam per testimonium Ducis illius cohortis, in qua descriptus erat miles; vel etiam per juratum testimonium duorum testium deponentium de visu obitus, aut etiam unius tantum, omni tamen exceptione majoris. Advertendum tamen est, quod praelaudata S. Congregatio monet in Instructione edita *die* 21 *Augusti* 1670 a Clemente X confirmata, nempe quod si haec testimonia deficiant, ea non intendit excludere alias probationes quae de jure communi possunt admitti dummodo sint legitimae et sufficientes, ut de fama conjuncta cum aliis adminiculis probat Schmalzgrueber *num.* 18 *h. t.* - A Doctoribus quoque disputatur: « An viduis quoque, quae legalem probationem de obitu conjugis exhibere nequeunt, deferri possit juramentum suppletorium? » Et Reiffenstuel *h. t. num.* 21 putat in aliquo casu in quo habeatur publica fama aliaeque praesumptiones tunc posse viduam ad suam assertionem, de morte conjugis, quam ipsa certo scit, probandam admitti ad exibendum juramentum, quod in casu dicitur suppletorium, prout ex Indulto S. Sedis habent Episcopi quando non potest aliunde plene constare de statu libero nupturiensium.

EXPLICIT LIBER QUARTUS.

INDEX

LIBER IV.

DECRETALIUM GREGORII IX.

Appendix De Dispensationibus Matrimonialibus satis copiosa dabitur in sequenti volumine.

IMPRIMATUR

P. Fr. Vincentius M. Gatti O. P. S. P. A.

Magister.

—

IMPRIMATUR

Julius Lenti Archiep. Siden. Vicesgerens.

PRAELECTIONES

JURIS CANONICI.

PRAELECTIONES
JURIS CANONICI

AD METHODUM

DECRETALIUM GREGORII IX EXACTAE,

QUAS

IN SCHOLIS PONTIFICII SEMINARII ROMANI

TRADEBAT

PHILIPPUS DE ANGELIS

CANONICUS LIBERIANUS,

DEVOTUS MEMORIAE ET AMICITIAE EJUS

PROSEQUI CURAVIT

NAZARENUS GENTILINI

in Curia Romana Advocatus
et Canonicus S. Mariae in Via Lata de Urbe

Tomi quarti — Pars unica

ROMAE
EX TYP. PACIS PH. CUGGIANI
Piazza della Pace N. 35
1891

PARISIIS
APUD P. LETHIELLEUX
Rue Cassette Num. 4
1891

LIBER QUINTUS

DECRETALIUM GREGORII IX

DE DELICTIS, ET POENIS.

Quanto dulcior mihi, ac jucundior fuit conversatio Gregorii IX in prioribus suarum Decretalium libris evolvendis, atque interpretandis, tanto tristior, atque asperior modo evadit in exponendo, atque explicando libro V praefatarum Decretalium. Liber enim hic terribilem iuris Ecclesiastici partem continet, cum in atrocioribus criminibus recensendis, et severioribus poenis in reos eorumdem infligendis versetur.

Recreat me tamen, ac reficit animadversio, quod Ecclesia Mater etiam in hac re non exuat erga homines scelerum conscios maternam pietatem, et in ipsis poenis infligendis clementiam sequatur Dei Optimi Maximi, qui non vult mortem peccatorum, sed ut convertantur, et vivant, ceu sacrae paginae testantur.

Hac dulci animadversione confortatus festino pede ad V libri expositionem ingredior.

Decretalium Compilator postquam in superioribus libris egit de causis civilibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, in praesenti libro tractationem aggreditur de causis criminalibus ad eumdem forum spectantibus, seu agit de delictis, et poenis, quae praecipuum materiale objectum constituunt hujus libri.

Ne vero in his exponendis, et discutiendis lucidus ordo eum deserat, agit praeprimis de modis, quibus Suprema Auctoritas ad criminum cognitionem deveniebat, seu de modo, et ratione, qua actiones criminales institui debebant, deinde tractat de natura, et indole delictorum, quae ad forum Ecclesiasticum deduci, ibique judicari, et puniri debent. Tandem agit de poenis, sive vindicativis, sive medicinalibus in criminosos statutis. Idque diversis titulis absolvit. Sit itaque

TITULUS I.

De accusationibus, denunciationibus, et inquisitionibus.

Antequam hujus rubricae materiam evolvamus, atque explicemus, operae pretium ducimus majoris prespicuitatis, et concinnioris ordinis gratia generalem delictorum notitiam praemittere, ut inde sponte veluti sua fluat examen quoad modos, quibus Suprema Auctoritas eorum cognitionem

acquirebat, seu de modo, quo in judicium hujusmodi delicta deducebantur. Videamus itaque quid sit delictum, quotuplicis generis, et quinam delinquere possint.

Dubitari minime potest, quod unaquaeque lex rite lata subditos obligat, ut ad ejus normam suas actiones componant. Dubitari pariter minime potest, quod lex haec obbligat in conscientia. De legibus divinis, sive naturalibus, sive positivis id minime ambigendum. Siquidem Christus diserte dixit: *Si vis ad vitam ingredi serva. mandata,* et Apostolus praecepit: *Euntes docete omnes gentes.... servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Nec pariter dubitandum est de legibus humanis, sive Ecclesiasticis, sive civilibus. Quandoquidem Paulus *ad Rom. 13, v. 1, 2, et 3,* haec praedicat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit... qui resistit potestati, Dei voluntati resistit... qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Hac de re patet, eum, qui legem divinam, sive naturalem, sive positivam, vel legem humanam, sive Ecclesiasticam, sive civilem transgreditur committendo, quod lex vetat, aut omittendo quod lex jubet, peccatum facere, modo libere, et voluntarie agat, sive modo commissio, vel omissio sit ipsi imputabilis. Peccatum autem divinae tantum ultioni reservatur, de eoque potest in hoc mundo dumtaxat judicare Mater Ecclesia,

quippe quia ipsi soli Christus tribuit peccatorum retinendorum aut remittendorum potestatem.

Verumtamen ab humana potestate, sive ab hominibus eae tantum vindicandae sunt legis transgressiones, quae societatis libertatem, securitatem, felicitatemque intervertunt. Nihil enim aliud exposcere possunt, nisi ut obtineatur finis ille, propter quem Societas constituta est. Jamvero legis violatio, quae in societatis damnum redundat, ea est, quae delictum nuncupatur. Hinc manifestum apparet delictum quodvis, cum sit legis transgressio, esse quoque peccatum, non vero omne peccatum esse delictum. Quamobrem etsi nonnulli peccatum cum delicto confundant, delictum tamen a peccato sedulo distinguendum esse docet S. Augustinus a Gratiano relatus *can. 1, dist. 81.*

At non quaevis legis violatio statim pro vero delicto habenda est, et ceu verum delictum punienda. Violari enim lex potest, vel dolo, vel culpa, vel casu. Porro si *casu* legis violatio contingat, quisque ingenio suo facile percipit, id fortunae non homini, utpote ad casum illum praevidendum, aut vitandum inepto, adscribendam esse. Quare id quod casu fit, delictum dici nequit, et casu delinquens nulla poena multari debet, nisi forte casui culpa hominis conjungatur, vel nisi quis culpa sua causam casui dederit, dans videlicet operam rei illicitae, aut licitae quidem, sed neque tempore, neque loco opportuno, ceu eleganter tradit Tullius *Tuscul. quaest. 3, 16, et*

Lex 11 § *2 ff. de poenis*. Si vero legis violatio contingeret *culpa*, sive debitae diligentiae praetermissione, id non vero delicto, sed quasi delicto imputandum est. Si denique contingeret dolo, praecipue malo, tunc profecto verum, et proprium delictum est; scitissimum cum sit duobus elementis delictum constare debere, videlicet ex voluntatis proposito, quo quis intendit, et vult effectum legi contrarium, nec non ex facto externo, ex quo lex violatur. Quorum elementorum alterutrum si desit, delictum amplius non habebitur. Hinc delictum Maschat definit: *factum exterius contra legem dolo, vel culpa admissum*. Devoti autem: *libera, et voluntaria actio, vel omissio contraria legibus, poenaque coercenda*.

Delicta apud Romanos alia *publica* esse, alia *privata* notum est. Publica, quae Reipublicae, privata, quae singulorum jura laedebant. Verum hodie quodvis delictum censetur publicum, nullum autem privatum. *Gloss. in Cap. Infames caus. 6, q. 1*. Et merito: nullum enim delictum est, quod saltem indirecte, ac reflexim societatem non laedat. Enimvero, *si nefas nocere patriae*, inquit Seneca, *de ira lib. 2-39, ergo civi quoque: nam hic pars patriae est. Sanctae partes sunt, si totum venerabile est*. Publica vero subdividebant pariter Romani in *ordinaria*, et *extraordinaria*. Prima, quae et *crimina* proprie dicebantur, erant de quibus lex certa caverat, certamque poenam praefinierat, secunda vero erant, de quibus lex

certa non extabat, aut si extaret, adeo tamen atrox fuerat delictum, ut duceretur extra ordinem potius, quam juxta leges puniendum. Praeterea alia erant *excepta*, seu *irregularia*, alia *non* excepta, seu *regularia*. Prima erant illa, quae communem judiciorum regulam non sequebantur, sed admittebant accusatores, et testes alias de jure inhabiles, et contra illa judex speciali inquisitione procedere poterat, licet infamia personae non praecesserat. Talia delicta erant: *crimen laesae majestatis*, praesertim *perduellionis*, *proditionis patriae*, *seditionis*, item *haeresis*, *simonia*, etc. Secunda erant, in quibus procedebatur regulariter secundum jus ordinarium, servata forma accusationis, denunciationis, et inquisitionis, etc.

Hisce tamen, aliisque delictorum divisionibus antiquatis aliae substitutae sunt. Et in primis cum nos ad duplicem pertineamus societatem, quarum utraque perfecta est, et altera ab altera independens, ceu videri potest in prolegomen *in lib. 2, Decretalium, ultimo juxta methodum auctoris*, cumque nostra commissione, vel omissione tam illius, quam hujus, vel etiam simul utriusque societatis leges violare, tranquillitatemque turbare possimus, factum est, ut alia delicta nuncupata sint *civilia*, alia *Ecclesiastica*, alia *mixta*. Sunt *civilia*, quae legibus secularibus adversantur, et civilem societatem, ac cives turbant, nihilque habent spirituale praeter peccati in foro interno absolutionem, et satisfactionem. Sunt *Ecclesiastica*,

quae directe contra religionem, Ecclesiaeque leges perpetrantur, et Ecclesiasticam turbant societatem, quae tamen B. Raymundo placuit dividere 1.° in ea, quae in vilipendium rerum spiritualium, et orthodoxae fidei subversionem tendunt. 2.° In illa, quibus proximi vita, fama, et fortunae laeduntur. 3.° In ea, quae temeraria Ecclesiasticorum ordinum susceptione, et sacrilego susceptorum usu perpetrantur, nec non excessu privilegiatorum injuriis, et damnis illatis.

Sunt denique *mixta*, quae tam civiles, quam Ecclesiasticas leges laedunt, et utramque simul societatem vexant. Delicta civilia, nisi patrata sint a clericis, aliisque fori privilegio fruentibus a saecularibus Tribunalibus sunt cognoscenda; Ecclesiasticorum vero cognitio, sive a laicis, sive a clericis commissa sint, privative spectat ad judices Ecclesiasticos, *Cap. Tuam de Ord. Cognit. Cap. Lator. qui fil. sint. legit.* Tertia denique, scilicet mixta, in quibusdam regionibus deferuntur ad tribunalia mixta, quae nempe ex judicibus tam Ecclesiasticis, quam laicis constant: alicubi vero mos fuit, ut hujusmodi causas unus judex sive laicus, sive Ecclesiasticus definiret, qui scilicet prior negocium occupaverat. Ita ordinatum fuisse videtur consensu saltem tacito utriusque potestatis, ne quaedam rerum confusio oriretur, si reus unius criminis duplex judicium, et duplicem poenam perferre cogeretur. *Devoti lib. IV, tit. XI de Delictis.*

Hujusmodi vero delicta sive civilia, sive Ecclesiastica, alia sunt *notoria, manifesta,* seu *publica,* alia sunt *occulta.* Notoria sunt, quae ita patent, ut nulla tergiversatione celari possint: et quidem si patent in jure, quia reus de illis convictus, vel confessus est, dicuntur *notoria de jure,* seu *notorietate juris:* si vero patrata sint in loco publico in praesentia multorum dicuntur *notoria de facto,* seu *notorietate facti.* Quot autem homines adesse debeant, ad hoc, ut delicta dicantur notoria notorietate facti, jure defenitum non est, adeoque id relinquitur arbitrio judicis. Ex communi tamen sententia sufficiunt decem personae in magna communitate, puta civitate, in minori vero sex, aut quinque, coram quibus praesentibus patrata sint delicta. *Manifesta,* seu *publica* quae saepe confunduntur cum notoriis, proprie sunt illa, quae per famam manifestantur, seu divulgantur inter plures, seu potiorem partem communitatis. *Occulta* autem sunt, quae clam committuntur, ita ut publice non innotescant. Et haec alia sunt occulta *simpliciter,* et *absolute,* alia sunt *fere,* vel *quasi occulta.* Prima scilicet *occulta simpliciter,* et *absolute* dicuntur, quae nulla ratione probari possunt, et ideo solius Dei judicio relinquuntur. Secunda vero, scilicet *fere* vel *quasi occulta* dicuntur, quae in foro externo probari possunt.

Inspecto quid sit delictum, et quaenam ejus divisiones, videamus modo, quinam ea committere

possunt. Cum delictum quodvis praecipue dolo contrahatur, patet, eos tantum delinquere posse, qui doli capaces sunt, non vero eos, qui aut doli sunt incapaces, aut dolo, dum agunt, penitus vacant. Quinam autem isti sint, videri potest penes auctores causa brevitatis.

Ast quoniam qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum; hinc delicti tenetur non modo qui propria delinquit manu, verum etiam, qui delictum mandavit, aut delinquendi jussum dedit. Uterque in culpa est; uterque idcirco poena plectendus. Qui enim ex mandato, aut jussu delictum exequutus est, fuit causa delicti physica; qui mandavit, aut jussit, causa moralis.

Hanc ob causam imo nequior est culpa mandantis, et jubentis, quam mandatarii, et subditi; ideoque ad mandantem, et jubentem potius quam ad exequutores pertinet sceleris infamia. Quare si exequutores praeter mandantis, aut jubentis expectationem, et voluntatem in mandati, aut jussus exequutione fines excesserint, atrociusque patrarint maleficium, hoc mandanti, aut jubenti, quippe qui id praevidere poterant, ac debebant, est adscribendum. Quin extra ordinem animadvertendum est in mandantem, aut jubentem, licet tempore habili revocarint mandatum, et jussum, quia nudum mandatum, et jussum in acerbioribus maleficiis pro maleficio est. Similiter extra ordinem puniendus tam mandans, quam mandatarius, casu quo mandatarius simulans acceptare mandatum re-

cepta mercede, illud tamen conscientiae stimulis perterritus haud est exequutus.

Delictum quoque merito adscribitur ei, qui tametsi delictum per se non exequatur, ad illud tamen sive active, sive passive quodammodo concurrit. Itaque delicto tenentur 1.° qui delinquentibus suppetias, opemque ferunt, veluti qui revera in ipso actu delinquentem manu adjuvant, aut quemquam ab agendo abstinent, adsunt tamen delinquenti faventes, puta excubantes, ne delinquens deprehendatur, vel armati, ut patiens deterreatur. 2.° Qui prudentes scientes peccaturo sicam, scalas, venena suppeditarunt. 3.° Qui tale delinquendi suggerunt consilium, ut media quoque absolvendi facinoris demonstrent; imo 4.° qui monent dumtaxat, hortantur, sollicitant, casu tamen, quo reus absque hac hortatione, et sollicitatione culpam non fuisset patraturus. 5.° Qui patrato jam crimine criminosum domi excipiunt, inquisitoribus celant, ejusve fugam quoquomodo curant. 6.° Denique qui ex peculiari suo munere debent delictum impedire, cumque possint, non impediunt, veluti Magistratus, Educatores, Pastores, Parentes, Milites; imo Cives omnes, qui cum possunt, non impediunt illa crimina, quorum reatu irretiri volunt leges non auctores modo, verum non prohibentes etiam, aut non indicantes.

Sed prout rei postulabuntur ne et Ratihabentes, seu qui delictum eorum quidem nomine, sed iis insciis patratum postea adprobant, ratumque

habent? Nae Ulpianus docet, axioma illud legale: *Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari,* non solum in contractibus, sed et in delictis locum habere. Et revera tam civili quam canonico jure Ratihabentes poena plectuntur. At quaeso, qua ratione imputabitur mihi alienum delictum, in quod nullatenus influxi, quodque patratum iri nesciebam? Improbus quidem sum, qui alienum adprobo flagitium, animum foedo, sed peccati, non delicti sum reus.

Habita generali delictorum notitia, eorumque definitione, et divisione, inspecto quinam ea patrare possint, videamus nunc oportet modos, quibus suprema auctoritas ad ipsorum cognitionem perveniebat, seu videamus, quomodo delicta perpetrata in judicium deducebantur. Compilator juris canonici tres enumerat modos, scilicet *accusationem, denunciationem,* et *inquisitionem.* Patet id ex *Cap. 24, § penult. h. t.* — ibi — *Contra quos* (criminosos) *tribus modis procedi potest: videlicet per accusationem, denunciationem, et inquisitionem ipsorum.* Cui concinit *Cap. 31, princip. de Simonia.* His autem licet nonnulli DD. et Canonistae addant etiam *exceptionem*; attamen de ea silet praelaudatus Pontifex Innocentius III in *cit. cap. 24,* ideoque nonnulli tractatores juris Canonici de ipso haud loquuntur.

Accusationis methodus antiquitus ab omnibus populis fuit servata, Egyptiis primum, dein Graecis, ac tandem Romanis, tum stante Republica,

tum postquam summa rerum potestas in Imperatorem translata fuit, tum exacto Romano Imperio, superventisque barbaris. A Romanis vero methodus haec accusationis in Ecclesiam translata fuit, et diu, idest fere per duodecim saecula viguit. Certum siquidem est, Romanum jus Ecclesiastico foro normam fuisse, ubi nihil contrarium canones statuissent. De praescripta sane accusatoris proprie dicti necessitate legi Romanae decreta canonica nequaquam adversa reperiuntur ita ut a jure Romano ad Ecclesiasticum recte illatio fiat. Haec vero utriusque juris in re, de qua agitur, censensio historice confirmatur apud clariss. Devoti *Lib. 4, Instit. Tit. 1,* § *5, nota 4*ᵃ.

Verum ejectis barbaris, pulsis ignorantiae tenebris, et reviviscente scientiarum luce, canonicae purgationes, Dei judicia, et singularia certamina reprobata exularunt, quae exacto Romano Imperio, et circumfusis undequaque barbaris invecta fuerant, ac rursus caepta solemniter criminalia judicia exerceri, opitulante Ecclesia.

At cum tractu temporis accusationis methodus non amplius responderet fini, propter quem instituta fuit, sensim, et sine sensu in desuetudinem abiit. Vetitum quidem non fuit, se accusatorem constituere, subsistunt enim vetera jura, sed invaluit alia consuetudo, scilicet ex illo Christi: *Si peccaverit in te frater tuus* etc. *Matth. 18,* cautum fuit, ut delinquentes non accusarentur, sed denunciarentur Ecclesiae *Cap. 5 de Accusat.,*

Cap. 31 de Simon.; cumque denunciatores non tenerentur prouti accusatores inscribere in crimen, quisque denunciare maluit, quam accusare.

Interim identidem facta fuit ab Imperatoribus facultas magistratibus quibusdam in casibus procedendi ex officio. Id a SS. canonibus confirmatum paullatim adeo late obtinuit, ut judices in omnibus fere delictis ex officio inquirerent, et procederent. Hac de re in lucem venerunt celeberrima juris canonici capita, et praecipue *Cap. 21, 22, et 24. de Accusat.* Hinc processu accusatorio inquisitorius multo frequentior fuit, et adeo invaluit, ut quae olim erat remedium extraordinarium, laeto successu in Ecclesia transierit in ordinarium.

Imo talem, ac tantum plausum accepit hujusmodi procedendi modus, ut illum saecularia tribunalia ab Ecclesiasticis mutuata fuerint. Ex quo patet, quod criminali juris prudentiae barbariem, et situm potissimum detrahere caeperint sacri canones, qui novam judiciorum criminalium formam ad Evangelicas regulas exactam constabiliverunt, quae in tota ferme Europa ab ipsis saecularibus Principibus adoptata est, adeo ut canonico juri, quod hodie insipienter, ne dicam stulte carpunt, ét calumniantur libertini homines, et sicophantae, merito adscribatur urbanitas illa morum, et comitas, qua pleraeque Orbis nostri gentes tantopere gloriantur. Testimonium de hoc perhibet gallus Fleurius *Instit. Jur. Can. p. 3, cap. 6,*

et Renazzi *Elem. Jur. crim. lib. 3, cap. 3,* § *4, n. 2,* prouti jure ac merito adseruit Pius VII *in proem. Mot. pr. 6 Julii 1816.*

Hodie igitur ordinarius modus in inquisitione situs est; nonnullis enim in casibus denunciationes admittuntur, prorsus autem videtur ab usu recessisse accusatio. At sicut pudor esset, res ignorare, quarum cognitio, aut necessaria, aut maxime utilis est, praesertim quia vetus accusandi ratio tota hodie in denuntiationes, et inquisitiones translata est, ita ut apprime dignosci nequeat denuntiationum, et inquisitionum doctrina, nisi comperta sit ratio priscarum accusationum, hac de re nos de omnibus singillatim loquemur distinctis paragraphis, brevitati, et claritati, quantum fieri potest, consulentes. Sit itaque

§ 1.ª

De accusatione.

Accusatio proprie dicta definitur: *Criminis alicujus apud judicem competentem legitime facta delatio ad publicam vindictam.* — Dicitur *criminis alicujus* ad indicandum oportere, ut ipsum delictum sit publicum, et grave, siquidem leviora delicta de plano judicari debent ad tramitem legis *Levia 6, tit. 2, lib. 48 ff. h. t.* Dicitur *apud competentem judicem,* quia si judex haud competens foret,

hoc in casu nec processus, nec sententia substineretur, sed nullitati subjaceret *leg. 1, et ult. Cod. Si non competenti.* Dicitur autem *ad publicam vindictam*, quia nisi ita se res haberet, scilicet non esset ad bonum publicum, ad terrorem, et exemplum aliorum, sed solummodo ad commodum, et utilitatem illius, qui damnum, aut injuriam passus est, tunc non foret accusatio criminalis, sed *actio civilis*; scitissimum cum sit, de omni delicto agi posse, vel *civiliter*, vel *criminaliter*. *Civiliter* ad interesse, et commodum proprium Actoris, *criminaliter ad vindictam publicam*, seu ad bonum commune Reipublicae, cujus interest crimina impunita haud manere. Additur tandem *legitime facta*, ut innuatur, eam non quocumque modo, sed ad tramitem legis esse faciendam. Porro ut ad tramitem legis fiat, plures requiruntur conditiones, quae ad binas tantum reducimus, scilicet:

Prima conditio. Debet accusatio proponi in scriptis, (saltem in criminibus gravioribus) per libellum *rite formatum*, exprimendo *nomen judicis*, apud quem fit accusatio, ut cognosci valeat, an sit competens, nomen *accusatoris*, et *accusati*, ut appareat, an sint tales, ut accusare, vel accusari valeant, *speciem delicti*, quia accusatio delicti in genere, sicut probari non potest, ita omnino rejicienda est; nec posset judex debitam poenam aestimare, nisi delictum determinaretur: *locum*, quia alioquin deesset reo facultas sese defendendi, probando negativam quoad talem locum, et sic testes

falsitatis convincendi: *annum*, et *mensem* ob eamdem rationem mox expositam quoad locum. Quae omnia praeterquamquod lege naturali suadentur, constant etiam expresse ex *lege Libellorum 3 ff. de accusat.* in foro Ecclesiastico recepta. Quod si una ex memoratis circumstantiis omittatur, libellus non est rite formatus, ideoque tamquam vitiosus ex officio rejici debet ad tradita per Reiffenstuel *h. t. n. 8*.

Quaeri hic haud ineleganter potest, utrum praeter dictas circumstantias apponi etiam in libello oporteat *diem patrati delicti*, nec non *diem factae accusationis, et determinatae poenae petitionem*? Huic interrogationi respondet citata lex *libellorum 3 ff. de accusat.* praescribens diem, et horam patrati criminis necessario exprimendam non esse, sed accusatoris arbitrio relinquendam, at diem factae accusationis necessario, et omnino exprimendam. Utrum autem formalitas ista sit de substantia accusationis non concordant Doctores. Ita Schmalzgrueber *h. t. n. 29*. Quoad vero determinatae poenae petitionem, seu conclusionem, citatus auctor *cit. loc. n. 35*: ait non esse necessario apponendam.

Secunda conditio. In libello apponi debet *subscriptio*, qua se accusator ad subeundam talionis poenam obliget, scilicet tenetur accusator ad poenam talionis se subscribere obligando se ad crimen objectum probandum, vel, si in probatione deficeret, ad eamdem poenam subeundam,

quam subiturus fuisset reus, probato delicto. Idque statutum est ad refraenandam temeritatem accusatorum, ne scilicet facile quis prosiliret ad accusa tionem. Verum hodie ista solemnitas inscriptionis et poena talionis in foro et judicio saeculari non est amplius in usu, sed per contrariam consuetudinem abolita est, tum quia per eam retrahuntur homines ab accusando, nolentes in se suscipere onus probandi cum tanto periculo, tum quia nunc judex ex officio procedere potest, si actor in probatione defecerit. In foro autem Ecclesiastico, et jure canonico adhuc necessaria esse videtur, ceu desumitur ex cap. *Super his* — ibi — *Sed cum in modum accusationis oportet inscribi*, et *cap. qualiter 24 h. t.* prope finem — *sicut accusationem legitima debet praecedere inscriptio.* Idque eo vel magis, quia canones poenam talionis sanxerunt ad efficacius removendum calumniatores, unde dicitur in *Cap. nullus 2.° caus. 4.° quaest. 4.ª* — ibi — *inscriptio primo semper fiat, ut talionem accusator recipiat: quia ante inscriptionem nemo judicari debet, vel damnari, cum et saeculi leges eadem retineant*, et tandem quia recentiori tempore eamdem sanctionem innovavit Pius V in Bulla *Cum primum* adversus eos, qui aliquem calumniaverint de crimine simoniae, blasphemiae, et concubinatus — ibi — *Si aliqui ex calumnia aliquos denuntiasse comperti fuerint, eos ad poenam talionis teneri volumus, et mandamus.* Quam legem Canonistae arbitrantur ad

omnes calumnias in materia criminali coram judicibus factas extendi. Schmalzgrueber *tit. 11, lib. 5, n. 17*. Sed videamus quinam accusare, et accusari possunt. Quaeritur hinc 1.°

Quinam accusare valeant?

Ait Juriscunsultus Macer in *lege 8 ff. h. t.* — *Qui accusare possent, intelligemus, si scierimus, qui non possunt.* Et merito: edictum enim de non accusando est prohibitorium; atqui in hoc genere edictorum id intelligitur esse concessum, quod non est prohibitum a jure. Quapropter generaliter loquendo his omnibus accusare permissum est, quibus specialiter, et expresse non est a jure prohibitum; eis autem est vetitum, qui recensentur fuse *leg. 8.ª ff. de accusat. can. 13, caus. 11. quaest. 1.ª*, scilicet 1.° ob defectum aetatis ab accusando repelluntur pupilli, seu impuberes. 2.° Ob infirmitatem sexus mulieres accusare non possunt. 3.° *Clerici* et *Monachi*, id est *Regulares* non possunt accusatoris partes gerere, tum quia Clerici remoti esse debent a negociis saecularibus, tum quia periculum est irregularitatis, si poena mortis, aut mutilationis accusatum sequeretur, secus autem dicendum, si Clerici, et Religiosi delictum civiliter tantum in judicium deferant, puta ad compensationem sibi faciendam pro damnis causatis ex furto, vel alio delicto: hoc enim in casu, facta protestatione, quod non agant cri-

minaliter ad poenam sanguinis, aut mutilationis, sed praecise ad proprium interesse nullam irregularitatem incurrunt, etsi dein judex a civili judicio ad criminale transeat, et per viam inquisitionis malfactorem convictum condemnet ultimo supplicio. Et jure ita statutum est: nam si Clericis, et Religiosis fures, et alios malfactores convenire non liceret, lata aperiretur via depraedandi bona Ecclesiarum, Monasteriorum, et Clericorum eosque male tractandi, et etiam occidendi. Ita expresse statuit Bonif. VIII *Cap. 2, de homicidio in 6.°* Ex quo manifestum apparet Praelatum, praemissa protestatione sine irregularitatis metu, fures, et alios malfactores in judicium deferre posse ad compensationem damnorum sibi faciendam. 4.° Propter sacramentum ab accusando repelluntur *milites*, et *magistratus* majores praediti potestate, seu imperio mero, ne a suis muneribus avocentur. 5.° *Infames* infamia juris *leg. 4.ª ff. h. t.*, et de jure canonico etiam infames infamia facti *can. 18, caus. 2, quaest. 7*; 6.° Ob dubiam fidem prohibentur accusare *inimici graves*, seu *capitales*, et *qui eos frequenter adeunt*. Suspecti de bona fide censentur etiam *qui pecuniam ad accusandum receperunt*, nec non *inopia laborantes*. Quando autem pauperes arcendi sint tamquam suspecti, id arbitrio judicis relinquitur. 7.° Ob calumniae suspicionem ab accusando Christianos repelluntur Infideles, Judaei, et Haeretici, ceu patet ex *Can. 24, caus. 2, q. 7*. Ob eamdem rationem facile repel-

luntur *Laici* ab accusando Clericos. *Can. 1, caus. 2 quaest. 7.* Suspicari enim potest ipsos ad accusandum moveri ex odio contra Clericos concepto ob fidele sacri ministerii exercitium, sicut dicit Pontifex in *Cap. 3 de immunit. Ecclesiae in 6.* 8.° Ob vinculum cognationis, et reverentiam debitam arcentur ab accusatione promovenda *liberi* contra parentes, fratres contra fratres aut sorores. Nimis enim indignum, atque inhumanum videtur, ut frater fratris publicam damnationem desideret L. *Si magnum 14 Cod. de his qui accusare non possunt.*

Haec autem dicta sint de criminibus communibus, et de injuria non sibi illata; nam si ageretur de injuria sibi illata; vel de propinquorum morte, vel de criminibus atrocioribus, hoc in casu possent etiam superius excepti accusatoris officium implere. Crimina autem hujusmodi sunt ea, quae diriguntur contra *Deum,* scilicet *blasphemia, apostasia, haeresis, simonia, magia, sacrilegium* etc. In hisce tamen criminibus ut clerici, et regulares non incurrant irregularitatem, cavendum est, ne accusent ad vindictam publicam, et ad poenam sanguinis, sed ad utilitatem, vel propriam, vel Ecclesiae, vel Monasterii procurandam.

Haec de iis, qui accusare possunt; nunc pauca de iis, qui accusari valent. Quaeritur hinc 2.°

Quinam accusari possint?

Regulariter omnes delinquentes absque ulla sexus, et status differentia accusari possunt, haud

exceptis impuberibus pubertati proximis, eo quod doli capaces praesumuntur, uti patet ex *leg. 111 ff. de regulis Juris*. Verumtamen attenta impuberum aetate, judex poterit ex commiseratione poenae rigorem mitigare *leg. 37, §. In delictis ff. de minor*. Ratio autem, cur omnes delinquentes regulariter accusari possint, est quia jus naturale exigit quemcumque malefactorem puniri.

Ab hac tamen communi regula excipiuntur: 1.° Principes supremi Superiorem haud agnoscentes *can. 13, caus. 9, quaest. 3*. 2.° Qui jam semel criminaliter accusatus fuit, et legitime per sententiam absolutus *cap. 4. de accusat*. Ratio est, quia reus per sententiam absolutus suae innocentiae restituitur, et sententia lata contra unum accusatorem parit exceptionem rei judicatae contra omnes de populo; cum enim quilibet accusare potuerit, uno, qui praevenit, victo, censentur ommes victi. Excipe nisi accusatio non fuisset legitime proposita, vel per collusionem partium elusa, vel nisi in eodem facto plura intervenerint delicta, vel reus absolutus fuerit tantum ab observantia judicii, non vero a delicto etc. Caetera vide apud Auctores.

Nunc videamus quodnam sit officium judicis in casu accusationis. Judicis officium in casu accusationis est admittere accusationem, quatenus ipsa fuerit legitima, etsi accusatus infamia delicti non laboret; quandoquidem judex ex officio suo tenetur studere bono reipublicae; atqui accusatio legitima

ad bonum reipublicae ordinatur, ne delicta maneant impunita, neque ullo jure constat infamiam praerequiri ad accusationem criminosi, ergo etc. Interim si nullum timetur damnum reipublicae, vel tertii, lex charitatis dictat, ut quis antequam deveniat ad accusationem, secreto fratrem moneat de emendatione. Accusare vero regulariter nemo obligatur, nisi delictum certum plene probari possit, et simul aliter consuli nequeat bono communi, nisi per accusationem.

Verumtamen si accusatio legitima non fuerit, tenetur judex accusatorem repellere; nec tali casu tenetur reus citatus comparere in judicio ad tramitem *Cap. 1, h. tit.* — ibi — *Si legitimus non fuerit accusator, non fatigetur accusatus.* Concinunt *Cap. 13, 19, 20, h. t.* nec non leges *8, ff. h. t. et 9, 13, 19, Cod. de his qui accus.* Et optimo sane jure; sicut enim reipublicae interest crimina non manere impunita, ita ejusdem interest, ne per illegitimas accusationes subditi saepe innocentes fatigentur ex odio, vel alia prava passione accusantis, atque ita quodammodo infamentur.

Quid sed vero dicendum, si judici publice non constaret de illegitimitate accusationis? Respondemus, si judici publice non constaret de illegitimitate accusationis, hoc in casu reus citatus tenetur comparere, et opponere exceptionem illegitimitatis, et hoc modo explicantur *Cap. 4, 10 ad fin. et 15, h. t., lex 32, ff. si quis in jus voc.*

lex 5, ff. de public. jud, lex 33, ff. ad legem Jul. de adult. Quin dicatur, quod uti quis potest in judicium vocari, et condemnari sine accusatore ad tradita per *leges 3, § Praeterea ff. de suspect. tutor. leg. 1, § 6, ff. ad leg. Jul., de adult.,* ita, et multo magis potest quis in judicium vocari cum accusatore illegitimo. Haec enim difficultas in tenues auras abit, si paulisper animadvertatur quod quis potest in judicium vocari sine accusatore vero, minime autem sine accusatore ficto. Atqui in his, et similibus casibus si non adest verus accusator, fictus profecto non deest, quia lex ipsa, et officium judicis supplet, et substinet vices legitimi accusatoris. Ita Maschat. *in tit. 1 lib. 5 decret n. 9.* Ex quibus omnibus usque huc expositis sequens fluit

CONCLUSIO.

Si procedatur *accusationis via,* ante omnia debet accusator libellum accusationis in forma legitima judici porrigere; idque potest non tantum quando judex pro tribunali sedet, verum etiam privatim; modo exhibeatur ipsi tamquam judici, et ad publicam vindictam. Audito autem accusatore, et inspecto ipsius libello, duo debet judex expendere: 1.° utrum accusator sit legitimus; 2.° an libellus sit in forma legitima conscriptus. Omnibus autem rite factis accusationem recipere debet, et

ad ulteriora procedere; secus contra ipsum utpote praevaricatorem actio intentari potest.

At cum ex populi moribus non amplius veri accusatores haberentur, ne crimina impunita manerent, inducta est simplex *denunciatio*, de qua loquemur in sequenti

§ 2.ª

De denunciatione.

Denunciatio in sensu juris definiri potest: *manifestatio criminis Superiori legitime facta, sine obligatione probandi crimen, et subeundi poenam talionis.* Unde patet denunciationem dissimilem esse ab accusatione non tantum quoad modum, sed etiam quoad obligationes.

Ipsa dividi solet in *Evangelicam* et *judicialem*. *Evangelica* (quae etiam paterna, fraterna et caritativa nuncupatur) ea est quae fit Superiori tamquam patri, non ad publicam vindictam, sed ad paternam correctionem, et emendationem denunciati. Evangelica vocatur, eo quod a Christo Domino tradita, et praescripta reperiatur in Evangelio S. Matthaei, *c. 18, v. 15*. Haec tamen ad nostri tractatus scopum proprie non spectat, sed ad Theologos. *Judicialis* autem ea est, quae fit Superiori ut *judici* ad vindictam publicam. De hac igitur potissimum in praesenti paragrapho a nobis est disserendum.

Judicialis denunciatio definiri potest: *delatio criminis apud Superiorem ut judicem.* Ista autem subdividitur in *civilem,* et *canonicam: civilis* est delatio criminosi apud Superiorem ut judicem, vel ad vindictam publicam, vel ad privatum proprium interesse, et damni reparationem. Dicitur vero *civilis,* quia originem suam ducit a jure civili, et proponi potest tum coram judice saeculari, tum Ecclesiastico: haec si fit ad interesse proprium audit *privata,* si autem ad vindictam publicam, nominatur *publica;* differt autem a canonica, nedum ratione *originis,* sed et *judicis,* quia a SS. Canonibus introducta coram solo judice Ecclesiastico exclusive proponi potest. Ipsa autem definitur: *delatio criminis apud Superiorem Ecclesiasticum ut per ipsum crimen illud impediatur.* Delatio ista quidquid dicant alii vel est *generalis,* vel *specialis:* prima permissa est omnibus, ut ex. g. a quocumque denunciari possunt impedimenta matrimoniorum, electionum, ordinationum etc. Secunda certis tantum personis est permissa, quarum interest, ut malus qui praeest, corrigatur, vel non resipiscens a regimine amoveatur. Ita *can. 49 et sequen. 2 quaest.* 7, etc.

Verum quaenam delicta judicialiter denunciari possunt? Huic interrogationi respondet Schmalzgrueber *h. t. n. 157 et sequen* — ibi — « *Denun-*
» *ciari possunt crimina omnia, etiam* mere prae-
» terita, et emendata, nec amplius committenda,
» tam privata, quam publica, tam aperta, quam

» occulta, et de quibus nulla adhuc existit delin-
» quentis infamia (dummodo probari valeant). Ita
» cum S. Thoma Fagnan. *in Cap. Qualiter 24*
» *h. t. n. 72,* Reiffenstuel *n. 88.* Ratio est, quia
» publicitas, et infamia delicti tantum requiritur
» ad processum media inquisitione instituendum
» *arg. Cap. Inquisitionis 2 et Cap. Qualiter 24*
» *h. t.* ubi infamia supplere debet vices accusa-
» toris, sine quo nullus condemnatur; secus est
» in denunciatione, utpote in qua ipse denuncians
» vices accusatoris gerit: licet per inscriptionem
» ad accusandum se non obliget. Dixi *dummodo*
» *probari possint;* nam crimen omnino occultum
» nisi vergat in praejudicium communitatis, vel
» tertii, judicialiter denunciari non potest, *arg. Can.*
» *Si tantum 2 et Can. Placuit 3, caus. 6, quaest. 2,*
» *Can. Qui crimen 4, caus. 24 q. 8, leg. Nostris*
» *8 et leg. fin. Cod. De Calumn.* Ratio est, quia
» cum denunciatio ad vindictam publicam publico
» judicio inferendam tendat, sicut accusatio, pu-
» blico autem judicio sine legitima probatione
» nemo puniri valeat, injuste quis judicialiter de-
» nunciatur de crimine, quod probari nequit, cum
» sine fructu fama ejus laedatur.

» Imo neque potest judex recipere denunciatio-
» nem judicialem, vel vi illius ad inquisitionem
» procedere, et processum instituere, nisi videat a
» denunciante tales denominari testes aut talia pro-
» bationis offerri media, per quae delictum suffi-
» cienter probari valeat; secus faciens censebitur

» esse calumniator, utpote judicium publicum sine » probationibus attentans: nec effugiet poenam ca- » lumniatorum saltem extraordinariam, arbitrio » judicis imponendam, ut cum Ameno notat Reif- » fenstuel *n. 89*. Excepi autem *nisi crimen vergat in* » *praejudicium communitatis vel tertii;* nam de- » linquens adversus tertium, vel commune bonum, » si alia via non suppetat impediendi damnum, » denunciari debet Superiori, ut judici, etiam ab » eo, qui solus scit, modo notitiam ejus non hau- » serit ex confessione, et per manifestationem de- » licti damnum illud impediri possit, quamvis non » perfecte. Ratio est, quia haec denunciatio non » tam ad punitionem delinquentis, quam ad prae- » cavendum damnum, quod intendit inferre, ordi- » natur: ergo non est curandum, quod ipse de- » linquens infametur, aut per denunciationem » vexetur; nam bonum privatum cedere debet » bono communi, vel tertii innocentis. *Neque ob-* » *stat* delictum probari non posse, quia hoc casu » non denunciatur delictum ut illud probetur, sed » ut impediatur damnum, ad quod hujusmodi de- » nunciatio eatenus servit, quatenus viam aperit » judici ut inquirat, et quaerat media illud im- » pediendi ».

Item si ageretur de delicto haereseos, cuius denunciandi obligatio existere potest, etiamsi probari nequeat. Constat hoc ex quinta propositionum ab Alexandro VII damnatarum hujusmodi tenoris: *Quamvis evidenter tibi constet Petrum*

esse haereticum, non teneris denunciare, si probare non possis. Sed videamus modo quinam judicialiter denunciare valeant.

Quaestio hujusmodi admodum difficilis est propter inopiam et egestatem textuum sacri juris, ac proinde facile profecto non est discernere, ac definire quinam habiles sint, vel inhabiles ad judicialiter denunciandum, ceu tradit Bouix textus omnes exponendo, et explicando, quibus DD. innituntur. *Tract. de judiciis p. 2, § 3.* In hac itaque paupertate textuum illud in medium proferemus quod meliores Doctores, et Canonistae tradunt. Ajunt ipsi, inhabilem ad accusandum esse etiam inhabilem ad faciendam denunciationem judicialem ad vindictam publicam, et qui non potest accusare non posse judicialiter denunciare; idque deducunt ex *Cap. Cum dilectus 20 h. t.* Et ratio est, quia haec denunciatio habet eumdem finem, et principalem effectum cum accusatione publica, nempe vindictam ad bonum communitatis, in exemplum aliorum, agitque vices accusationis. Hinc valere subdunt argumentum ab accusatione ad denunciationem, et viceversa. Salicet. in *leg. 7, n. 11, Cod. h. t.* Addit autem Ludovicus Ameno *h. t. v. Denunciatio § 3, n. 15* ex communi tribunalium praxi, ac recepta consuetudine hodie quemvis licet alias inhabilem admitti ad denunciationem judicialem etiam *publicam*, seu *criminalem*, eo quod per denunciationem solum sternatur via ad inquirendum. Quare concluden-

dum videtur hodie quoscumque homines ad denunciandum admitti posse, licet excommunicati et infames fuerint, dummodo tamen judici indicent idoneos testes, et alia media,. quibus delictum probari posse prudenter speretur.

Post haec quaeritur, qua forma fieri debeat denunciatio *judicialis*? Huic dubio respondetur: 1° Ad denunciationem *judicialem* fere eamdem formam requiri, quae ad accusationem, excepta inscriptione, cum denunciatio in locum accusationis successerit. Hinc sequitur 1.° quod in scriptis offerri debeat, vel oretenus, modo a denunciatore proposita saltem per actuarium, vel notarium publicum scribatur, et in acta redigatur. 2.° Requiritur, ut exprimatur nomen judicis. 3.° Nomen denunciantis, et denunciati, qualitas, seu species delicti, item locus, et tempus illius, annus saltem et mensis, ceu superius innuimus. Et quidem haec omnia sunt de forma substantiali, et ita necessaria, ut si aliquid horum omitteretur, processus esset nullus, et reus absolvendus; etsi nemo quidpiam opponat, ceu cum communi docet Clarus *in leg. Edicta q. 12, n. 9,* et sequitur novissime Ludovicus de Ameno *tit. Denunciatio* § *4, q. 4, n 3.* 4.° Requiritur ut exprimatur dies, et a fortiori annus denunciationis factae, et quidem probabilissime etiam de substantia. 5.° Requiritur ut denunciator denominet testes, ac probationes, media, instrumenta, quae scit, vel habet, judici suggerat, *arg. leg. Ab Accusatione 6,* § *3, ff.* de S. C.

Turpil. et ibi DD. Ratio est, ut ex tali instructione judex cognoscere queat, an delictum sufficienter probari, consequenter ipse denunciationem recipere, et inquirere, processumque formare valeat, an vero denunciationem rejicere debeat.

Et in hoc etiam differt denunciatio ab accusatione, utpote in qua non requiritur, ut accusator statim ab initio denominet testes, sed sufficit, si eos producat tempore, quo erunt ad probationem necessarii, prout bene observat Ludov. de Ameno *tit. 8, V. Accusatio ad § 3, n. 32*, quamvis etiam accusator, si velit, statim ab initio una cum libello denominare testes, aliasque indigitare possit probationes. Est praeterea aliud discrimen inter testes in accusatione, et denunciatione, scilicet quod in illa producuntur ab accusatore, et ut ab eo producti examinentur; in ista vero assumuntur ex officio, et non ad instantiam partis, sed tantum ad suggestionem, seu subministrationem denunciantis. Unde per testes delictum non probat, nec probare tenetur ipse denunciator, sicut facere debet accusator: sed tantum testes, et media probationis judici suggerit, et suggerere debet, relinquens judici, ut mediantibus illis ad probationem descendat.

At quid requiritur ad valorem *iudicialis denunciationi*? In hoc etiam articulo non conveniunt Doctores, et Canonistae. Alii enim substinent quod licet in foro saeculari possit fieri hujusmodi denunciatio, nulla praemissa Evangelica

correctione, in foro tamen Ecclesiastico id omnino requiratur. Nonnulli vero pro viribus hoc negant, et istorum sententia est communior: 1.° Quia nec divino, nec humano jure probari potest, id requiri ad valorem denunciationis judicialis. 2.° Quia leges, et canones illi, qui hoc requirere videntur, non probant, uti sunt *Cap. 2, et 20, h. t.* 3.° Quia obstat consuetudo, et praxis tribunalium.

Restat modo ut aliquid dicamus de effectibus praefatae denunciationis. Ipsi multiplices sunt, sed nos brevitatis amore nonnullos tantum recensemus. *Primus* effectus est, ut haec judicialis denunciatio aperire possit viam ad inquisitionem specialem. *Secundus* est, quod si reus suspectus est de fuga, vel quod testes subornet, impediat, vel terreat, possit conjici in carcerem custodiae causa, etiam ante citationem, dummodo tamen delictum sit grave, et sufficientia adsint indicia ad capturam. *Tertius* est, quod pendente judiciali denunciatione adsertus reus nullimode potest promoveri. Etc

Ex hactenus expositis sequens fieri potest

CONCLUSIO.

Si procedatur *per viam denunciationis judicialis,* causa exordium sumere debet a libelli oblatione, qui a denunciatore, sive privato, sive publico, idest promotore fiscali, propria manu scriptus, vel per notarium, seu cancellarium, denunciatore dictante, exaratus judici exhibendus est.

Debet autem denuncians media judici indicare, quibus ipse veritatem denunciati criminis detegere queat. Hinc opportunum foret libello annectere indicem idoneorum testium, vel documentorum, qui index *directorium probationis* nuncupari solet.

Judex vero, inspecto libello: 1.° examinare debet utrum denunciator sit legitimus, et libellus in forma redactus. 2.° Utrum media probationum gravia, vel frivola fuerint, ut ita valeat denunciationem, vel excipere, vel rejicere. 3.° Tandem serio perpendere debet, utrum ad procedendum contra reum satis sit denunciatio, an vero insimul praevia de crimine fama requiratur.

Verumtamen denunciatio judicialis a privatis facta moribus et ipsa obsolevit eadem ferme ratione, qua accusatio. Nemo enim partes assumere volebat denunciandi reum, et causam coram judice prosequendi in materia criminali praeter officialem publicum, qui vulgo *Promotor* nuncupatur. Remansit hinc obligatio privatim monendi Superiorem de delictis, quae, sive naturali, sive positivo jure Ecclesiastico quisque denunciare tenetur, ut Superior providere valeat.

Hac de re, ne maximo societatis praejudicio delicta impunita manerent, per Ss. Canones ventum fuit ad alterum modum delicta cognoscendi, idest ad *inquisitionem*, qua Ecclesia jam antea identidem usa fuerat veluti extra ordinem. De hac igitur in sequenti paragrapho erit sermo.

§ 3.°

De Inquisitione.

Tertius modus cognoscendi crimina est *inquisitio*. Cum enim fere insufficientes evasissent ad crimina detegenda accusatio, et denuntiatio ob minas praecipue improborum hominum invectum fuit aliud juridicum medium pro delictis agnoscendis, scilicet *inquisitio*, qua auctoritas publica suo fungens munere vigilandi tenetur diligenter, et accurate examinari, et indagare crimina, et ipsorum auctores.

Inquisitio generatim sumpta denotat cujuscumque rei indagationem, seu investigationem, ceu eruitur ex *Cap. 26 de Elect. et Cap. fin.* § *1.ª de Offic. Delegat.* In specie tamen, scilicet in materia criminali nihil aliud est, nisi: *Criminis, vel criminosi per judicem legitime facta indagatio*. Dicitur *criminis, vel criminosi* ad comprehendendam quamlibet inquisitionem, non solum *generalem*, sed, et *specialem*, per quam nedum de crimine, sed etiam de criminoso in specie investigatio fit. Dicitur *legitime facta* ad innuendum eam faciendam esse ad tramitem legum, et Canonum. Ipsa justissime introducta fuit, ne deficientibus, qui reos ad judices deferrent, delicta maximo reipublicae damno impunita manerent *Cap. Qualiter 24 h. t.*

leg. Congruit 13, ff. De offic. praes. et Novel. 128, § 41.

Neque obstat quod judex sine accusatore neminem possit condemnare, ad monitum *Can. De manifest. 17, § Sciendum, caus. 2, q. 1, Cap. unic. pr. ut benef. Eccles. sin. dim. confer. leg. Rescripto 6, § Si quis 2, ff. De muner. et honor.*, uti in casu inquisitionis institutae verificaretur. Quandoquidem accusatoris vicem hoc in casu supplent non judex, sed infamia publica, et indicia criminis etc., ad tramitem *Cap. Qualiter* mox citatum — ibi — *Non tamquam idem sit accusator, et judex, sed quasi denunciante fama, vel deferente clamore, officii sui debitum exequatur.*

Inquisitio, quidquid alii dicant, duplex est, *generalis*, et *specialis*. Inquisitio generalis proprie talis est vigilantia assidua auctoritatis, qua praevenire crimina studet, et curat. Melius est enim praevenire et impedire crimen patrandum, quam patratum punire. Haec non solum potest, sed imo debet certis temporibus ex officio fieri. Idque manifeste eruitur tam a jure canonico, quam civili *Cap. 1 De offic. Ordinar. Cap. In singulis de statu Monac. juncto Concilio Trident. sess. 25 De Regular. Cap. 8, et leg. Congruit 13, De Offic. Praesid.* Et ratio est, quia bonum commune talem inquisitionem exigit, ut scilicet ea mediante innotescat, an et qualia crimina dominentur, et vigeant, an et quinam existant malefactores, et cognito rerum statu pro exigentia circumstantiarum, valeant Superio-

res malis praecavere, delinquentes corrigere, et emendare, media convenientia ordinare, et si opus fuerit, etiam ad inquisitionem specialem progredi. Hujusmodi inquisitio licet ordinarie nonnisi paterne (canonice tamen, et legitime) fiat, potest tamen etiam judicialiter institui ex mero officio judicis, etsi nulla de delictis, vel delinquentibus praecedat infamia, nec alicujus urgeat denunciatio. *Patet id ex Cap. 1 de Offic. Ordin., et ex leg. 13 ff. de Offic. Praesid.* Et ratio est, quia superior sic agendo suo satisfacit pastoris muneri, quod sacri canones illi severe imponunt, et simul satisfacit officio judicis, cujus est delinquentes punire, et Ecclesiam a malis hominibus purgare. Peregrinus *part. 5 sect. 2, n. 23.* Quod autem ad istam inquisitionem promovendam non requiratur infamia praecedens, aut denunciatio, id probatur a *Concil. Trid. Sess. 7, cap. 8, sess. 21, cap. 8,* nec non a quotidiana omnium tribunalium praxi. Et merito, quia per eam nulli fit injuria.

Quid autem dicendum de speciali inquisitione? Specialis inquisitio *est, quae fit de certa aliqua persona suspecta de crimine,* sive habetur, quando judex, cognito delicto, de certa aliqua persona inquirit, contra quam suspicio gravis praecessit, aut diffamatio, aut alia indicia gravia. Hoc posito quaeritur, utrum ad hujusmodi inquisitionem rite faciendam requiratur, ut praecedat infamia Rei?

Huic interrogationi respondemus, juris canonici regulam esse non posse superiorem judiciali-

ter contra quemquam nondum diffamatum per viam specialis inquisitionis procedere, quia necessaria securitas personarum in societate viventium hoc requirit, ne innocentes inquisitionibus graventur. Haec autem diffamatio tunc adesse censetur, cum frequens vox proborum hominum aliquem de determinato crimine rationabiliter suspectum reddit. Sane rem omnino prae primis evincit celebre in hac materia Caput *inquisitionis 21 tit. 1, lib. 5 Decret.* in quo Innocentius III a nonnullis Episcopis propositas difficultates diluit, et quomodo in eis procedendum sit decernit. Porro una ex istis difficultatibus ab ipso Pontifice sic enunciatur: « Tertiae dubitationis articulus continebat, utrum, » cum duo, vel plures jurati affirmant crimen ali- » quod eisdem videntibus commississe, de quo alia » infamia non laboret, aliquam illi poenam infligere » debeatis? » De quo casu Innocentius III sic jus declaravit, ac determinavit: « Ad haec responde- » mus, nullum esse pro crimine, super quo aliqua » non laborat infamia, seu clamosa insinuatio non » praecesserit, propter dicta hujusmodi puniendum: » quin imo super hoc depositiones contra eum » recipi non debere, cum inquisitio fieri debeat so- » lummodo super illis, de quibus clamores aliqui » praecesserunt. » — Ut videtis hic, scilicet in hoc textu clare agitur de crimine, quod per idoneos testes probari in judicio potest: et nihilominus quia reus nondum est diffamatus, decernit Pontifex eum non posse puniri; imo nec esse contra

eumdem recipienda testimonia; *cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui praecesserunt.* Hinc ad eam vocem *solummodo* ita notat Glossa: *Ex hoc habes, quod de occultis non est inquirendum; nec super illis juratur. Unde si dicant testes super his, non valent talia dicta, utpote non jurati.*

Idem constat ex celebri decreto *Qualiter, et quando 24 tit. 1, lib. 5 Decret.* in concilio oecumenico Lateranensi anni 1216 prolato, in quo sic statuitur: *Sicut accusationem legitima debet praecedere inscriptio, sic et denunciationem charitativa monitio, et inquisitionem clamosa insinuatio praevenire.* Ergo si velit superior per viam inquisitionis procedere, necesse est praecesisse Rei diffamationem. Cujus legis fundamentum, et ratio sic exponitur sub ejusdem decreti initium: *Qualiter et quando debeat Praelatus procedere ad inquirendum, et puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus veteris, et novi testamenti colligitur evidenter; ex quibus postea processerunt canonicae sanctiones: sicut olim aperte distinximus, et nunc sacri approbatione concilii confirmamus. Legitur enim in Evangelio, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audivit ab illo:* QUID HOC AUDIO DE TE? REDDE RATIONEM VILLICATIONIS TUAE: JAM ENIM NON POTERIS AMPLIUS VILLICARE — *et in Genesi Dominus ait:* DESCENDAM, ET VIDEBO, UTRUM CLAMOREM, QUI VENIT AD ME, OPERE

COMPLEVERINT. *Ex quibus auctoritatibus manifeste probatur, quod non solum cum subditus, verum etiam cum Praelatus excedit, si per clamorem, et famam ad aures superioris pervenerit (non quidem a malevolis, et maledicis; sed a providis, et honestis; nec semel tantum, sed saepe, quod clamor innuit, et diffamatio manifestat); debet coram Ecclesiae senioribus veritatem diligentius perscrutari, ut (si rei poposcerit qualitas) canonica districtio culpam feriat delinquentis; non tamquam idem sit accusator, et judex, sed quasi denunciante fama, vel deferente clamore, officii sui debitum exequatur.* Quod multis aliis textibus, et auctoritate Doctorum comprobari posset.

Verumtamen huic regulae generali praesto sunt nonnullae limitationes; quarum 1.ª est, si quis crimen confessus sit in judicio *Cap. 1, h. t. in 6.* Et ratio est, quia talis confessio inducit *notorium*, quod est plusquam publica diffamatio. 2.ª Si judici procedenti per generalem inquisitionem patefactus est auctor delicti. Ita Less. *de jur. et justitia 1, Cap. 29, n. 124,* licet in hoc punto haud concordent Doctores. 3.º Si delictum commissum est in judicio. Ita idem auctor *loc. cit. n. 127.* 4.ª Si crimen de quo inquiritur est crimen haeresis, vel Apostasiae *Cap. Excommunicamus, de haereticis et Leg. Apostatarum Cod. de Apostat.* Et ratio est, quia haec crimina sunt maxime noxia Reipublicae. Notandum tamen hic est, quod semper requiratur aliqua suspicio orta ex non levibus

indiciis. 5.ª Si specialis inquisitio fit non ad publicam vindictam, sed ad malum aliquod imminens impediendum. 6.ª Si fit de delictis in damnum tertii, et a fortiori in damnum Reipublicae. Ita Reiffenstuel *tit. 1°, lib. 5, n. 189, etc.*

Neque huic necessitati de praemittenda infamia in speciali inquisitione, praeter expositas limitationes derogatum fuisse dicatur a decreto Concilii Tridentini *Cap. 1, sess. 14*. Nam ibi datur quidem Episcopis facultas procedendi contra occulta Clericorum delicta, sed *extrajudicialiter*. Hinc si Episcopis *judicialiter* procedere volupe foret, tunc jus antiquum ab ipsis observandum esset, vi cujus semper praevia infamia requiritur. Indubitatum enim est, quod Concilium Tridentinum non modo jus hoc antiquum non substulit, sed imo illud expresse confirmavit innovando decretalem *Qualiter et quando*. Ita Concil. Trid. *Cap. 5, sess. 24 de Reformat.*

At non modo in speciali inquisitione requiritur, ut infamia praecedat, sed etiam, ut Reo communicentur capitula, et puncta inquisitionis. Idque eum ad finem ut Reus possit excipere de non facta legitima specificatione loci, temporis, aliarumque circumstantiarum, cum, habita tali specificatione, Reus potest facilius demonstrare innocentiam suam proclamando fortasse ipsum in tali loco, et tempore absentem fuisse. Item insuper requiritur, ut nomina testium publicentur ad finem cognoscendi quid, et a quo dictum fuerit. Tandem

admittendae sunt exceptiones defensionales Rei, tum contra dicta, tum contra personas testium, ne per suppressionem nominum ipsorum testium, et per exclusionem ejus defensionis, infamandi, aut falsum deponendi audacia praebeatur. Ita *Cap. Cum oporteat 19, Cap. Inquisitionis Quando et qualiter 24 h. t.*

Quamquam ex hactenus expositis facile appareat, quinam ordo, et quaenam formalitates ad processus valorem exigantur in speciali inquisitione, utile tamen ducimus ad faciliorem viam praxi sternendam, eadem iterum in compendium redacta oculis subjicere.

1.° Itaque debet constare de corpore delicti ad monitum Reiffenstuel *h. t. n. 211.* 2.° Debet de praevia infamia informationem habere, exceptis nonnullis casibus supra recensitis. 3.° Debet citare Reum, et postquam illum examinavit, debet eidem proponere capitula, super quibus, exigente fama, aut instantia partis, fuit inquisitus; nec non testium depositiones. 4.° Debet subinde communicare Reo etiam nomina ipsorum testium. 5.° Tandem debet judex idem recipere, audire, atque examinare exceptiones, ac defensiones ipsius Rei.

Huc perventa oratione spontanea exurgit interrogatio, utrum haec omnia, ipsorumque ordo sint omnino necessaria ita, ut omissio unius secumferat nullitatem processus? Huic interrogationi respondet clarissimus auctor mox citatus Reiffenstuel *eod. loc. n. 212* — ibi. — « Et haec

» omnia, ordoque horum omnino necessaria sunt. » Nam si unum praedictorum omitteretur (salvis » limitationibus appositis), aut ordo eorum de» bitus non servaretur, et reus reclamaret, seu » exciperet, et protestaretur, processus esset nul» lus: communis et certa (doctorum senientia): » patetque ex capite *Ad petitionem* (22, tit. 1, lib. 5 » decret.), ibi: *Quamvis restituendus foret propter* » *judiciarium ordinem non servatum.* Unde capite » *Qualiter* (17, tit. 1, l. 5, decret.) dicitur: quod » inquisitores, si debitum non servaverunt ordi» nem, prudenter, et caute se corrigere debeant, » *ne inde nascantur injuriae, unde jura nascun*» *tur.* Hinc etiam conscientiam horum desuper » onerat, et adhortando ulterius addit Pontifex: » *Non pudeat vos errorem vestrum corrigere, qui* » *positi estis ut aliorum corrigatis errores... Quo*» *niam ex his quae inordinate sunt acta non po*» *test ordinabiliter agi.* Hinc Fagnanus (in c. 24, » tit. 1, lib. 5 decret., n. 30) notat, quod si prius » fieret inquisitio, et postea primum reo trade» rentur capitula, nihil ageretur, quia inverteretur » ordo. Arguitur capite *Cum post petita 46 de* » *Electione.* »

Post haec omnia quaeri non immerito potest, utrum hujusmodi processus etiam hodie sit necessarius? Responderi potest, necessitatem hujus processus fuisse etiam hodie recognitam, non modo a S. Congregatione Concilii in *Januen. absolutionis die 10 Junii 1848*, sed etiam a S. Congre-

gatione Episcoporum et Regularium, quae licet in hisce tristissimis temporibus a nonnullis formalitatibus in processu hoc absolvendo dispensaverit, ipsum tamen fieri jussit, et normas Curiis Ecclesiasticis praebuit, ut patet ex ejusdem S. C. instructione italo sermone exarata diei 11 Junii 1880, quam damus in appendice hujus Tomi.

Ex omnibus hucusque narratis prono alveo sequens fluit

CONCLUSIO

Quod si procedatur *per viam inquisitionis specialis*, tunc omnino necesse est praecessisse publicam de crimine famam. Hinc debebit judex ante omnia processum instituere de ipsa publica fama, ut ipsi judicialiter constet, utrum fama haec extet necne. Hac de re prima operatio judicis erit citare, et examinare testes de hoc ipso interrogandos. Postquam autem ipsi constiterit de facto publicae famae, tunc tantum decretum emittet de ulterius procedendo contra diffamatum. Unde in hac procedendi via non ab aliqua libelli porrectione exordium sumi manifestum apparet.

De modo procedendi ab Ecclesia adhibito in puniendis criminum reis.

Inspectis modis quibus auctoritas Ecclesiastica ad criminum cognitionem veniebat, seu quibus actiones criminales instituendae erant, superest,

ut aliquid obloquamur de modo, quo haec eadem auctoritas in reos criminum animadvertens procedebat. Quaeri hinc potest, quomodo Ecclesiastica auctoritas procedebat in auctores delictorum animadvertens, et quaenam delicta puniebat? Ut id probe agnoscatur, seu ut huic interrogationi clarius, ac facilius respondeatur, praenotandum ducimus.

Leges omnes caverunt, ut certo, solemnique ordine criminalia exercerentur judicia. Et sapientissime. Si enim haec judicia possent absque legitima methodo exerceri; delinquentes legum vim callide eluderent; potentia, et fraudibus judex circumveniri posset; imo judex ipse omnia arbitratu suo moderatus saepe ignorantia, saepe negligentia, saepe etiam dolo innocentem damnaret, nocentem absolveret. Renaz. *Elem. Jur. crim. lib. 3, cap.* 3, *n. 1*. Jamvero certa methodus, certaque forma a legibus praestituta, juxta quam concinnanda sunt acta ad delictum, et delinquentem dignoscendum, eumque, si nocens inveniatur, damnandum; si vero insons, absolvendum: sive, prout ait Bohemerus *Elem. Jur. crim. sect. 1, c. 4, n. 46*, ordo judiciarius legitimus, juxta quem criminales causae cognosci, atque finiri debent, dicitur *Processus Criminalis*.

Processus iste quod attinet ad formam, alius dicitur *summarius*, sive *extraordinarius*, alius solemnis, sive ordinarius. Summarius absque strepitu, solemnique apparatu actus dumtaxat sub-

stantiales desiderat, quibus delictum, et delinquens certo quidem, sed quam cito detegatur, et puniatur. Solemnis vero, sive ordinarius non substantiales modo, sed et minus praecipuas formas ac solemnitates servat. Summarius sive extraordinarius in exceptis quibusdam causis, et minoribus delictis adhibebatur, et adhibetur; solemnis vero in caeteris causis, et delictis majoribus. Summario accedit processus ex *notorio,* processus ex *fragranti,* et processus inquisitorius contra haereticam pravitatem, omnes a Ss. Canonibus sanciti, in quibus licet minus solemniter, tamen semper *judicialiter* agitur.

Hisce breviter praejactis propositae superius quaestioni respondetur, quod Ecclesiastica auctoritas in judiciis criminalibus ad damnandum, sive absolvendum reum, nonnisi *judicialiter,* scilicet *juxta acta et probata* procedebat, idest juridico servato processu, sive solemni, sive summario, uti jam innuimus, et aperte scatet ex celebri *Cap. Qualiter et quando 24, tit. 1, lib. 5 Decretalium.* Delicta autem, super quae processus instituebatur, nonnisi publica esse poterant, minime vero occulta. Quod adeo verum est, ut principium invaluerit — *Ecclesia judicat tantum de manifestis.* Haec antiquitus, et non alia erat methodus Ecclesiae animadvertentis in reos criminum, haec, et non alia erat criminalis jurisprudentia fori Ecclesiastici, ceu praeter caetera perhibent *Cap. ex e nore h. t. et Cap. Quaesttum eod. tit.*

Verumtamen hoc in honore fuit usque ad Concilii Tridentini tempora. In hoc enim S. Concilio duo habentur casus recensiti, in quibus judex procedere potest etiam *extrajudicialiter*, et ut ajunt *ex informata conscientia*, quin delictum, et probationes legitimas reo communicare obligetur. *Primus casus* respicit facultatem Episcopis tributam interdicendi clericis ascensum ad sacros ordines. *Secundus autem casus* respicit potestatem Episcopis pariter tributam suspendendi clericos ab ordinibus jam susceptis, atque insuper ab Ecclesiasticis gradibus, dignitatibus, et honoribus.

Verum si haec Episcoporum potestas attente paullisper in se ipsa consideretur, vix quidquam in tota Ecclesiasticae disciplinae historia magis insolitum, atque inauditum occurret, siquidem antiquitus, uti vidimus, nonnisi *judicialiter*, et solum super crimina *publica* procedi poterat; si vero mentem convertimus ad errores, et dubia, quibus occasionem jam praebuit, vel etiam nunc praebere potest, nulla forte juris sacri pars solertiori indagatione nostris praesertim temporibus indigere videtur.

Hac de re, cum de arduo hoc argumento hic mihi pertractandi occasio offeratur, sinat benignus lector, ut aliquantulum extra praelectionum cancellos oratio vagetur. Materia enim hujusmodi haud infrequenter in usum occurrit.

De modo procedendi extrajudicialiter in vim decreti Concilii Trid. Cap. 1. sess. 14., seu de modo procedendi ex informata conscientia

Antequam operi manus admoveatur, nonnulla praemittenda, ac notanda existimamus, duce Bouix *tract. de judiciis pars secunda subsect. III.* Et 1.° praemittimus quid proprie intelligendum sit per eas voces *ex informata conscientia.* Hujusmodi vox non reperitur adhibita in ipso textu legis, idest in capite Tridentini Concilii, quod incipit: *Cum honestius;* sed a bullis Pontificiis, et ab auctoribus frequenter usurpata, in generalem tandem usum, atque in consuetam formulam transivit. Eam autem induxisse videntur Canonistae concinuitatis gratia, ut nempe brevius exprimerent eum sententiandi modum, in quo Episcopus nullo praemisso ordinario processu, nulla praemissa juridica informatione sententiam pronuntiat ex causis sibi notis. Unde voces illae *ex informata conscientia* praecipue sonant ferri sententiam, non in vim ullius juridicae informationis, juridicique processus, sed dumtaxat ex causis ab ipsa Episcopi conscientia perpensis, et cognitis.

2.° Praemittimus potestatem istam procedendi *ex informata conscientia,* quam Concilium Tridentinum indulsit, non solum competere Episcopis, sed etiam Praelatis Regularibus jurisdictione quasi Episcopali munitis, ut pluries declaravit

S. Congregatio Concilii. Giraldi *Expositio juris Pontificii par. 2, sect. 43.* Probabile autem est, eamdem potestatem tribui Capitulo, sede vacante, ac proinde Vicariis Capitularibus, qui noscuntur habere jurisdictionem Episcopalem, praeter casus jure, vel Ecclesiarum consuetudine exceptos. Quoad vero Vicarios Episcopales, non videntur comprehendi in Decreto Tridentini, quamobrem abstinere debent a ferendis istiusmodi suspensionibus, nisi specialem delegationem habuerint ab ipsomet Episcopo.

3.° Praemittimus nonnulla ab Episcopo praecavenda esse, quando utitur hac potestate ipsi data vi decreti Concilii Tridentini. Et 1.° Episcopus non debet ferre sententiam *ex informata conscientia,* nisi quando hunc modum extrajudicialem necessarium existimat; scilicet regulariter loquendo quando aliter fieri nequit. Sane modus iste procedendi concessus est ad providendum necessitatibus Ecclesiarum; atqui hujusmodi necessitatės tunc praecipue solum verificantur, quando hoc modo praetermisso delicta impune committerentur, hinc expedit ut adhibeatur dumtaxat in casu necessitatis, alioquin exosa redderetur auctoritas Praesulum, et periculum incurrerent condemnandi innocentes, aut nocentes plus aequo puniendi.

Posita necessitate utendi hac provisione Concilii Tridentini 2.° ad eam Episcopus devenire non debet, nisi prius in promptu habeat probationes, si non judiciales, aptas tamen, atque idoneas non

solum ad ipsum convincendum, sed et ad judices superiores persuadendos. Nam licet Episcopi in vim praefati capitis *1 sess. 14.* Concil. Trid. valeant absque juridico processu nonnumquam pronunciare, ex hoc tamen non sequitur id eos posse, antequam ipsis certo (seu ex sufficientibus probationibus) constet de delicto Clerici, contra quem suspensio ex informata conscientia pronuntiatur, sed sequitur tantum, non requiri ut probationes de delicto sint juridicae, seu in juridico processu obtentae.

Hac de re possunt quidem Episcopi ex probationibus extrajudicialiter obtentis suspensionem inferre, sed probationes illae tales esse debent, quae ipsis Episcopis, aliisque delictum certum faciant, prout ex ipso juris naturalis dictamine patet. Et merito quidem. Alioquin enim absone pateret recursus: siquidem recursus ille datur ut sententia, si forte injusta sit, rescindatur, ac proinde S. Congregatio Concilii (ad quam ordinarie ejusmodi recursus a Sede Apostolica committuntur) judicare debet, an Clericus suspensus sit nec ne innocens: non potest autem judicare illum deliquisse ex probationibus, quae soli Episcopo, non autem sibi delictum probent. Atque id, quamvis per se pateat, annotatum tamen voluimus, quia est in praesenti materia valde attendendum.

Verumtamen ex hoc minime inferri debet, intrinsece injustam fore sententiam, si Episcopus ex probationibus, quae quoad ipsum dumtaxat pro-

bent, suspensionem pronuntiet; siquidem fieri potest, ut suspensus revera deliquerit, ideoque eam poenam meritus sit, at ipse perperam ageret sententiam pronuntiando rescissioni obnoxiam. Imo canonice haud procedere censendus esset, quia Ecclesia sententias ejusmodi ex informata conscientia nonnisi salvo recursu admisit: recursus autem supponit sufficienter probandum esse delictum apud superius tribunal: noluit ergo Ecclesia procedi posse ex informata conscientia, nisi ex rationibus, quae apud Sedem quoque Apostolicam delictum probare valeant.

Hinc in Curiis Episcopalibus antequam ad suspensionem ex informata conscientia deveniatur, prudentiae erit sedulo expendere, non tantum an certum sit Clericum deliquisse, de quo suspendendo agitur, sed in primis an adsint testimonia, vel alia documenta, quae de se *apta sint* ad constituendam sufficientem delicti probationem apud S. Concilii Congregationem. Alioquin suspensio omittenda erit, quia, facto recursu, in S. Congregatione Concilii non substineretur, prouti accidit in causa *Boianen. censur. 9 Maii, et 27 Junii 1744*, in qua S. Congregatio respondit, minime substineri sententiam, qua Episcopus *Boianen. ex informata conscientia* suspenderat a *divinis* Archipraesbiterum Domicum Carissimi, quem ipse autumaverat auctorem tumultus in pago Petrellae excitati. Et prouti contigit in aliis pluribus causis, quas brevitatis amore omittere cogimur.

Hisce autem documentis, vel testibus super causa processus *ex informata coscientia* contra aliquem instituti animadversis, atque examinatis, idoneisque repertis ad fidem faciendam non solum apud ipsum Episcopum, verum etiam apud alios superiores judices, sententia proferri potest, quin reus praemoneatur, ceu monet Lucidi *de Visitatione Sacrorum Liminum Cap. 3 n. 271* — ibi — *Quod autem trina monitio necessaria non sit, quando suspensio irrogatur ex informata conscientia, patet ex causa Lucionen. in qua licet parochus in antecessum monitionem triplicem, saltem juxta formam in jure Canonico praescriptam, minime accepisse comperiatur, nihilominus suspensionis decretum substineri declaravit S. Congregatio: quod etiam jam firmaverat in Perusina Remotionis Vic. Cur. 26 Septembris 1795.*

Ast licet Episcopi in vim praefati *cap. 1, sess. 14*, nulla necessitate adstringantur ad hujusmodi monitiones faciendas, cautius tamen et prudentius erit, si ipsas praemittant. Non concordant enim DD. et Canonistae, utrum suspensio haec sit censura, vel poena. Nonnulli enim asserunt esse poenam, ex eo quod feratur in delictum mere praeteritum, vel si ob delictum quod in futurum pendet, ex eo quod desit monitio ac proinde contumacia. Ferrari *v. suspensio in addition. ex aliena manu n. 1, et* 2. Nonnulli vero autumant, eam esse censuram, quia congruit spiritui Ecclesiae magis *mederi*, quam *punire*, et

quia saepius respicit peccata etiam futura, ideoque et contumaciam. Certi autem juris est, censuram omnino requirere monitiones, ceu passim DD. et Canonistae tradunt.

Tandem praenotatum volumus, quod licet hujusmodi suspensiones substineantur, etiamsi scriptis haud mandentur, prouti patet ex *Savonen. 14 Septembris 1782 Dub. 1*, nihilominus bene, et laudabiter se gerent Episcopi, si sententias hujusmodi conscribant, animadvertentes proprium esse suspensionis *ex informata conscientia*, ut ipsa non a Vicario Generali, sed ab ipsomet Episcopo subscribatur ad monitum Monacelli *Formul. legal. pract. fori Eccles. p. 3 tit. 2 formul. 6 n. 4 et 5;* sicut etiam bene, et laudabiliter se gerent Episcopi, si hujusmodi sententias proferendo exprimant se agere in vim *Cap. 1 sess. 14 Conc. Trid. de Reformat.*

Hisce praemissis, atque praenotatis alacres pro aris, et focis certamus, atque contendimus, certam atque indubiam esse Episcoporum potestatem *ex informata conscientia* sententias ferendi, quibus, et a suscipiendis sacris ordinibus Clericos arceant, et a susceptis, nec non a dignitatibus Ecclesiasticis suspendant.

Id pluribus argumentis demonstrari posset; at brevitatis gratia probabimus 1° ex textu ipso Concilii Tridentini *Cap. 1 sess. 14.* 2° Ex Bulla *Auctorem fidei,* omittendo decisiones S. Congregationis Concilii, et sententias DD. atque Cano-

nistarum ad rem facientes, de quibus inferius. Probatur itaque ex textu ipso Tridentini Concilii. En verba ipsius decreti — *Cum honestius, ac tutius sit subjecto debitam praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem, ei cui ordines a suo Praelato, ex quacumque causa etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extrajudicialiter fuerit interdictus. Aut qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus. Nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, et dignitates, sive honores, restitutio suffragetur.*

Ut quisque videt, ex mox recitatis Tridentini verbis plus quam fando exprimi potest, manifestum apparet, posse Episcopos a suscipiendis sacris ordinibus *ex informata conscientia* Clericum arcere; idque nec controvertitur, nec controverti unquam posse videtur ob omnimodam horum *Cap. Cum honestius* verborum perspicuitatem — ibi — *Et cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter* — Supponit enim ibi, ac proinde docet Tridentina Synodus, posse ab Episcopo ascensum ad sacros ordines interdici *ex quacumque causa etiam ob occultum crimen et quomodolibet, etiam extrajudicialiter.* Quae verba id praecise sonant, quod sub bre-

viori formula *ex informata conscientia* DD. et Canonistae exprimere consueverunt. Illud unum hoc in loco animadverti potest, et in dubium revocari, utrum recusante Episcopo ordinationem absque justa causa, pateat etiam ob hoc ad Romanum Pontificem recursus? Huic sed vero dubio reponitur, quod licet multi multa dicant, et praesertim Card. De-Luca *discurs. 71 de Benefic. lib. 12 par. 1,* certum tamen est, hujusmodi recursum ad Papam patere in vim decisionis S. Concilii Congregationis relatae a Fagnano in *Cap. Ad aures de Tempor. ord. n. 22.* et ex multis aliis, quas brevitatis amore omittimus.

Sed ex citatis Tridentini verbis non tantum apparet, posse Episcopum arcere Clericum a suscipiendis sacris ordinibus, sed apparet etiam posse eodem modo suspendere Clericos jam ordinatos. Quin objici valeat praefata verba primae partis praedicti capitis primi *sess. 14.* Tridentini repetita haud fuisse in secunda parte. Nam unitas contextus satis, superque id exprimit. Ad rem Fagnanus in *Cap. Ad aures de temp. ordin. n. 7*: « Etsi verba illa *ex quacumque causa, etiam* » *ob occultum crimen* etc. non sint apposita nisi » in priori parte dicti capitis primi sessionis 14 » de Reformat. ubi agitur de interdictione; censeri tamen debent repetita illa verba etiam in » sequenti, ubi agitur de Suspensione: tum quia » Concilium sub unica oratione, ac verborum

» structura, complectitur interdictionem a suscipi
» endis, et dejectionem a susceptis, ideoque cen-
» seri debet utrumque casum aequaliter complecti,
» ac determinare: tum quia alioquin Concilium in
» secunda parte nullam potestatem Episcopis attri-
» buisset, nemini enim dubium esse poterat, quin
» ob crimen manifestum, et judicialiter liceret
» Episcopis Sacerdotem suspendere ».

Quod Fagnani argumentum confirmare solent DD. *ex proemio* immediate ante *Cap. Cum honestius* posito, in quo Synodus, postquam Episcopos hortata est, ut corrigendis Clericorum moribus strenue incumbant, addit — *ut ipsi Episcopi id liberius exequi valeant*... et statim ponit *Cap. Cum honestius*. Tandem accedit auctoritas Benedicti XIV *de Synod. Dioeces. lib. 12, Cap. 8 n. 3* ubi repetitis illis verbis — *ei cui ascensus* etc. haec subdit: — « Ex quibus verbis colligitur posse
» Episcopum ob occultum crimen etiam extraju-
» dicialiter cognitum non solum Clericis prohibere
» ascensum ad superiores ordines, sed etiam a
» suscepti jam ordinis ministerio eosdem interdi-
» cere: quamvis enim in secunda decreti parte,
» ubi de suspensione est sermo, non iterentur illa
» verba *etiam ob occultum crimen, quomodolibet*
» *etiam extrajudicialiter:* constans nihilominus,
» et perpetua S. Congregationis Concilii sententia
» fuit, ob continuationem sermonis censeri repe-
» tita, eaque utrumque casum complecti ». Quare ex hactenus expositis tuto concludi potest, certam,

atque indubiam esse praefatam Episcoporum potestatem. Hoc unum quaeri heic modo posset, utrum Episcopi procedere possint ob easdem causas, tum in prima, tum in secunda parte decreti; in prima enim agitur *de jure quaerendo*, seu de poena improprie dicta; in secunda vero *de jure quaesito*, seu de poena proprie, ac stricte sumpta? Verum in hoc puncto non conveniunt inter se DD. Probabilior tamen sententia est, urgentiores causas requiri; agitur enim de poenis.

2° At non modo praefata Episcoporum potestas probatur ex Concilio Tridentino *cap. 1. sess. 14*, sed etiam probatur ex Bulla *Auctorem fidei*, uti superius innuimus. Sane duae propositiones Synodi Fistoriensis, scilicet 49ª et 50ª asseruerant, Episcopo fas non esse uti potestate infligendi suspensionem *ex informata conscientia*, et suspensiones hoc modo illatas nullas esse, atque invalidas. Atqui has duas propositiones Sancta Sedes, idest Pius VI praedicta Constitutione *Auctorem fidei* declaravit *falsas, perniciosas, laesivas jurisdictionis Praelatorum, in Tridentinum Concilium injuriosas*. Patet igitur posse Episcopos infligere suspensiones ex informata conscientia, illasque validas esse: sequitur hinc potestatem Episcoporum sententias ferendi *ex informata conscientia* certam, atque indubiam esse tum in vim textus ipsius Concilii Tridentini *Cap. 1. sess. 14. de Reform.*, tum in vim Constitutionis *Auctorem fidei*, de qua mox innuimus. Probari praeterea

posset hujusmodi thesis etiam plurimis S. Congregationis Concilii decisionibus; at de istis inferius sermonem instituemus, uti jam innuimus.

Cum itaque praefata Episcoporum potestas uti lux meridiana fulgeat, et a Concilio Tridentino ortum manifeste habeat, sponte sequitur male, atque inepte Leopoldum I die 17 Octobris 1788 declarasse se velle e medio tollere — *l'arbitrio praticato in avanti d'inferire delle pene agli Ecclesiastici con pretesto d'informata conscenza senza dedurne i motivi...... essendo la propria difesa un diritto naturale, che non può essere vulnerato con qualsiasi pretesto di regola canonica o simili.* Cui posterioribus annis ineptissime plausum fecit die 24 Julii 1862 Minister Italici Regni Conforti penes Taurinensem Aulam legislativam adhortari studens congregatos, ut legem sancirent, qua praefatam Episcoporum potestatem auferrent, atque everterent. *Quando enim a condito saeculo auditum est, quod judicium Ecclesiae auctoritatem suam ab Imperatore acceperit?* ajebat S. Athanasius ad Constantinum Imp. epist. 13 ad Marcellum. Quid enim rei est Ecclesiasticae cum civili societate? Utraque societas perfecta est, et una ab altera independens. Neque obmussitent ex adverso hujusmodi Episcoporum potestatem esse quid insolitum penes historias, et quid arbitrarium. Quandoquidem tum antiquitus, tum hodiernis moribus ipsa gubernia laica simili extraordinaria potestate usa sunt; *antiquitus*, ceu per-

hibet censorum historia penes Republicam Romanam; *hodiernis moribus,* ceu penes Gallica, et Italica gubernia perhibent damnationes — *a domicilio coatto.* —

In tuto itaque posita Episcoporum potestate Clericos sive excludendi, sive suspendendi extrajudicialiter ab ordinibus, quaeri praeprimis potest, utrum hujusmodi potestas complectatur tantum occulta crimina, vel extendatur etiam ad crimina publica?

Non defuerunt tum inter antiquos, tum inter recentiores etiam qui putarent, in vim recitati capitis Tridentinae Synodi Episcopis concessum esse uti hac provisione non solum contra occultos, sed etiam contra publicos Clericos criminosos. Ad hanc autem tuendam opinionem duas afferunt rationes, quae haud levis momenti esse videntur. Quarum primam eruunt ex ipso conceptu praefati capitis Concilii Tridentini; alteram vero petunt ex temporum conditione.

Prima ratio est: vultis videre, ajunt ipsi, quod Episcopi possint praefata Concilii Tridentini dispositione uti contra quoscumque criminosos, sive occultos, sive publicos? Perlegite verba ipsius dispositionis *Cap. 1 sess. 14 — Ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato, ex quacumque causa etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus.* — Ex quibus verbis sic arguunt: — Si Episcopi possent uti supra dicta facultate propter crimina tantum

occulta, profecto Concilium non dixisset: — *Etiam propter occultum crimen,* sed dixisset simpliciter *propter occultum crimen.* Quando enim de aliqua specie aliquid affirmatur cum particula *etiam,* affirmatio cadit, et fortius in alias omnes species, prout sensus grammaticalis indicat, et docent communiter Canonistae. Sic verbi gratia, is cui concessa fuit facultas a casibus *etiam* Episcopo reservatis absolvendi, a fortiori potest a casibus non reservatis absolvere. Ergo ex eo quod Episcopo concessa fuerit a Tridentino facultas extrajudicialiter suspendendi *etiam ob occultum crimen,* merito concluditur simul concessam fuisse facultatem extrajudicialiter suspendendi ob *non occultum* crimen, seu ob crimen publicum. Hoc est primum grave argumentum.

Secunda ratio petitur ex indole temporum. Ajunt enim: hodie eversa sunt fere ubique tribunalia Episcoporum, unde illa Constitutio Innocentii III ordinem judiciarium praescribens est prorsus inapplicabilis; carent enim Episcopi vi coactionis. Quomodo sane cogere possent testes ad causas determinandas, etsi in jure Canonico rubrica habeatur de testibus cogendis? Patet igitur quod Episcopi in hisce praesertim temporibus, et rerum adjunctis possint, ac debeant procedere contra omnia crimina sive occulta, sive publica in vim dispositionis Conc.Trid. *Cap. 1 sess. 14,* si ipsi aliquid volunt peragere, et recte administrare dioecesim propriam, et bene pascere gregem suum.

Quapropter concludendum, subdunt, praefatam Concilii dispositionem etiam pro criminibus publicis esse introductam. Hoc est secundum argumentum etiam non leve, quo ex adverso ad thesim propriam substinendam pro viribus utuntur.

Verum duabus hisce difficultatibus inferius nos respondebimus: interim tamen dicimus, et pro aris, ac focis contendimus Episcopos illa facultate a Tridentino concessa uti posse pro criminibus occultis tantum. Quod absolvemus 1.° id probantes positivis argumentis. 2.° Dein respondentes difficultatibus superius mox expositis. Et imprimis

Indubii facti est, ante Concilium Tridentinum Clericos saeculares ob crimen occultum ab Episcopis moneri quidem potuisse, non autem repelli ab ordinibus suscipiendis, vel suspendi a ministerio ordinis jam suscepti. Tradit id *Cap. 4 de Temporib. Ord. et qualit. ord.* — ibi — « Ex » tenore tuarum literarum accepimus, quod N. » Clericus adeo deliquit, quod si peccatum ejus » esset publicum, degraderetur ab ordine, quem » suscepit, et amplius non posset ad superiores » ordines promoveri. Verum quoniam peccatum » ipsius fore occultum dixisti, mandamus quate» nus ei condignam poenitentiam imponas, et sua» deas, ut parte poenitentiae peracta, ordine su» scepto utatur: quo contentus existens ad supe» riores amplius non ascendat. Verumtamen quia » peccatum occultum est, si promoveri voluerit,

» eum non debes aliqua ratione prohibere ». Invaluerat siquidem principium — *Ecclesiae datum est tantum de manifestis judicare. Cap. 30 de Simonia.* Praefata tamen facultate fruebantur dumtaxat regulares erga suos. *Cap. ad Aures 5 de Temporib. Ordin.* etc. — ibi — « Ad aures nostras pervenit, quod religiosi quidam ad superiores desiderant ordines promoveri; sed Praelati eorum desideriis contradicunt. Tuae igitur quaestioni taliter respondemus: quod honestius, et tutius est subjectis debitam praepositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum appetere dignitatem: nec est in hac parte subjectorum desiderium confovendum: quoniam esse potest, quod Praelati eorum commissa secreta noverint, ex quibus constat eis, quod salva conscientia nequeant sublimari: quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei ».

Supervenit Concilium Tridentinum, et in Cleri reformationem sapientissime intendens facultatem solis Regularibus tributam ampliavit, et illam contulit etiam Episcopis *sess. 14, Cap. 1 de Reformat.* ut nempe Clericos suos possent ab ordinibus tum excludere, tum suspendere *ex quacumque causa, etiam ob crimen occultum, quomodolibet etiam extrajudicialiter*, scilicet nullo formato processu, *ex informata conscientia*, nempe ex cau-

sis ab ipsa Episcopi conscientia perpensis, et cognitis.

Hoc posito quemnam sensum habet praefatum *caput 1, sess. 14 Concil. Trident.?* Per illud, nisi omnia nos fallant, dicendum omnino videtur Tridentinum correxisse *Cap. 4 de Temporib. Ordinat.* et ampliasse ad Clericos saeculares dispositionem *Cap. 5 eod. tit.*, quae exclusive erat pro regularibus, ceu innuimus. Id autem nedum ex ipsis verbis Concilii Tridentini eruitur, quae eadem sunt *Cap. 5 de Temporib. Ordin. etc.*, sed etiam ex resolutionibus S. Congregationis Concilii Tridentini interpretis, ceu patet ex *lib. 22 Memorialium pag. 24;* ubi sub die 22 Junii 1582 sic legitur: « Congregatio . . . . . censuit, decreto » Concilii, sessionis 14, capitis 1 correctum esse » caput 4 *Ex tenore de temp. ordinat.* et ca- » put 5 *Ad aures* (eodem titulo), ampliatum; ita » ut comprehendat quoque clericos saeculares » (etiam dignitates vel beneficia, quibus annexus » sit ordo, obtinentes), tam quoad facultatem pro- » hibendi ascensum ad ordines, quam etiam su- » spendendi, ipsisque facultatem appellandi adem- » ptam esse ». Atqui in praefatis capitibus tum 4, tum 5 taxative sermo est de criminibus occultis, ergo a pari dicendum est Concilium Tridentinum *Cap. 1, sess. 14* loqui solummodo de criminibus occultis, et non de publicis.

Quod autem Tridentini dispositio hoc sensu accipienda sit suadetur hoc alio argumento. Si

Concilium Tridentinum loqui voluisset de criminibus etiam publicis, quando facultatem Episcopis indulsit procedendi extrajudicialiter ad Clericos suspendendos, profecto immutasset, imo evertisset veterem judiciorum disciplinam, et omnia subjiecisset arbitrio Episcoporum ita ut nec appellationi locus esset. Atqui id fecisse haud praesumi potest, quandoquidem expresse declarare debuisset, se velle corrigere, et immutare veterem disciplinam in hac re. At non modo Concilium Tridentinum id minime declaravit, sed imo expressis verbis dixit, se velle, ut antiqua disciplina intacta remaneret, et prorsus observaretur. *Videsis Concil. Trid. Cap. 6, sess. 14.*

Quod et a praxi S. Congregationis Concilii mirifice confirmatur. Quoties enim actum est de suspensione *ex informata conscientia,* toties decretum suspensionis nullum, atque irritum declaratum fuit, si crimen objectum haud occultum, sed publicum fuit, et ordo judiciarius minime servatus. Exemplum habetur in notissimis causis *S. Severini 19 Septembris 1778, et S. Agathae Gothorum 26 Februarii 1853, et 28 Maii ejusdem anni.*

Ex quibus omnibus manifestum apparet, quod relate ad crimina publica mansit antiqua disciplina, idest ordo publicus, et juridicus, quoad vero occulta crimina servanda est regula a Concilio Tridentino invecta, quae non est destructiva juris antiqui, sed impletiva. Siquidem Concilium Tri-

dentinum non voluit constituere novum modum procedendi indiscriminatim pro omnibus criminibus, sed voluit tantum implere, quod deerat; atqui deficiebat tantummodo modus procedendi contra crimina occulta, ceu superius vidimus, ergo iste modus a Concilio introductus fuit, ergo etc.

Verum ad thesim magis, ac magis confirmandam juvat in medium proferre, quod S. Concilii Congregatio, me Auditore, hac super re animadvertebat in causa *Bosnien. et Sirmien. appellationis, seu super validitate decreti ex informata conscientia 20 Decembris 1873* § *Atqui* — *ibi* — « Atqui ut Episcopi in vim *Cap. 1 sess. 14 de » Reform.* procedere possint, opus est, ut crimen » sit occultum. Nam quidquid in contrarium di» sputent duo recentiores auctores, scilicet Epi» scopus Lucionen. in opere Gallice inscripto *Des » sentences Episcopales dites de Conscience infor» mée*, et D. Bouix in *Tractatu de Judiciis Ec» clesiast.*, communis tamen Canonistarum sen» tentia, cui semper hucusque adhaesit haec S. Con» gregatio, de crimine tantum occulto cit. Caput » intellexit. Ita Barbosa in *Jus Can. lib. 1. in cap. » Ad aures n. 4.* Pirhing in *Jus Can. tom. 1. » tract. 14, sect. 1. n. 15.* Pignat. *tom. 1, » Consul. 261, n. 1.* Monacell. *formul. tom. 1, » tit. 13, form. 3, n. 29.* Gaudentius de Janua » *De Visitat. Praelat. tom. 1, dub. 8, sect. 6. » n. 39.* Benedict. XIV. *De Synod. Dioeces. » lib. 12, cap. 8, n. 3., et seq.* ubi loquens de

» hac facultate Episcopis concessa, eam circa
» occulta crimina versari aperte docet. Idque adeo
» verum esse ait, ut ne ipsi quidem reo causam
» suspensionis, seu delictum manifestare teneantur
» Episcopi, sed tantum Sedi Apostolicae, si su-
» spensi ad eam recursum habuerint, quod al-
» latis H. S. O. resolutionibus opportune confirmat.
» Hinc ad rem Lucidi *De Visitat. SS. LL. part. 1.*
» ad § III Benedictinae Instruct. sect. VIII n. 273
» *monet Episcopos ut caveant,* ne quod publicum
» et notorium jam est, perinde ac esset occultum,
» falso sibi animo reputantes, suspensionem ex
» informata conscientia decernant; hujusmodi enim
» decretum minime sustinetur, prout evenit in *S. A-*
» *gathae Got. suspens. Irregul. et privat. benef.*
» *26 Februarii 1853.*

» Nonnullas hic exscribam hujus S. Congre-
» gationis resolutiones, quibus quando de facul-
» tate Episcopi ex hoc Tridentino capite extrajudi-
» cialiter sententiandi sermo est, id in occultis tan-
» tum criminibus locum habere dicitur. In *Alerien.*
» quaeritur: An verba illa *ob occultum crimen,*
» *quomodolibet, etiam extrajudicialiter,* expressa
» dumtaxat in prima parte periodi, censeantur re-
» petita in secunda parte; adeo ut inde colligi va-
» leat, Praelatum nedum posse *ob occultum crimen*
» extrajudicialiter interdicere suo subdito ascensum
» ad ordines, sed itidem *ob occultum crimen* posse
» etiam extrajudicialiter illum suspendere ab or-
» dinibus jam susceptis. — S. Congregatio die 28

» Nov. 1657, re sedulo examinata, censuit, non » recedendum ab antiquis declarationibus, super » hoc eodem dubio pluries datis; ac proinde af- » firmative respondit *lib 21 Decret. pag. 134.*

» *In Vercellen. 24 Martii 1643* haec habentur— » Ad instantiam Episcopi Vercellen. supplicatur » declarari . . . . 4. An quando Ordinarius suspendit » aliquem vigore *cap. 1, sess. 14 de Reformat.* » teneatur exprimere delictum, et causam suspen- » sionis ipsi reo, si illam judicialiter petat. — » S. C. respondit ad quartum — Ordinarium, si su- » spendat aliquem vigore *cap. 1, sess. 14* non » teneri exprimere delictum, seu causam suspen- » sionis ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicae, » ad quam reus recursum habuerit *lib. 17 Decret.* » *fol. 169 tergo.* Quae omnia nonnisi de delicto » occulto dici possent.

» Clarius adhuc id ipsum deprehenditur ex » *lib. 7, Decret. pag. 89 a tergo,* ubi haec deci- » sio legitur — Congregatio Concilii censuit *cap. 1.* » *sess. 14, de Reformat.* habere locum in su- » spensionibus, et prohibitionibus tam temporariis » quam perpetuis, et temporalem prohibitionem » dici eam, ubi *ex delicto occulto* extrajudicialiter » procedit Episcopus, ad suum beneplacitum pro- » hibendo, vel suspendendo. Huic sententiae ad- » haesisse videtur H. S. Congr. etiam recenter » in causa *S. Agathae Gothorum 26 Februarii 1853* » cujus haec species erat: Episcopus Archipres- » byterum Curatum D'Ambrosio ex informata con-

» scientia suspenderat a dignitate Archipresbyte-
» rali, animarum cura, et sacrorum ordinum exer-
» citio, absque ulla temporis determinatione. Hujus
» sententiae validitatem duplici ex capite impetebat
» D'Ambrosio, 1.° quia delictum, propter quod lata
» fuerat, erat publicum, 2.° quia poena erat tem-
» pore indefinita. Proposito dubio: *An constet de*
» *validitate suspensionis in casu* — responsum fuit
» — *Negative, salvo jure Episcopo procedendi prout*
» *de jure.* — Igitur non quia deessent causae,
» ob quas D'Ambrosio puniri poterat, sed quia
» ea puniendi ratione usus est Episcopus, quae
» secundum jus ei non competebat, invalida de-
» clarata est ejus sententia. Non competebat vero
» ei ex informata conscientia procedere ob ratio-
» nem a reo allatam, quia nempe crimen erat pu-
» blicum. Atque idcirco reservatum ei fuit jus
» procedendi prout de jure, id est juridica adhi-
» bita processus forma.

» Verum rem conficit, et dubium omne dirimit
» Benedictus XIV Apostolica Constit. quae incipit
» *Ad militantis,* die 1 Aprilis 1712 data, qua
» recensens varios casus, in quibus non datur
» appellatio, iis sententias ex informata conscien-
» tia adnumerat his verbis. Item a denegatione
» Sacrorum Ordinum, vel ascensus ad alios ma-
» jores, prout etiam adversus suspensionem ab
» susceptis, *ob occultum crimen, sive ex infor-*
» *mata conscientia* juxta dispositionem Sacri Con-
» cilii *sess. 11 cap. 1 de Reformat.* Hic ex mente

» Pontificis dictiones *ob occultum crimen*, et *ex* » *informata conscientia* idem significat. Nam par» ticula *sive* quando ponitur inter duas dictiones » quae non contrariae, sed similes sint, vim habet » explicativam, et declarativam et stat loco *idest:* » Barbosa *Dictiones usufrequent. Dict. 363 n. 7,* » *et dict. 375 n. 6.*

» Quod autem allatae auctoritates domonstrant, » id ipsum ratio et *historica* et *juridica* suadet. » *Historica* quidem: nam ex quo per Tridentinum » facta fuit Episcopis dicta facultas procedendi ex» trajudicialiter, sententiae hoc modo latae *ex in*» *formata conscientia* appellari coeptae sunt, cum » antea apud rei Canonicae Tractatores hujusmodi » locutio esset prorsus inaudita. Sed haec loquendi » forma exprimit interiorem criminis cognitionem » Episcopi conscientia apprehensam, non vero pu» blicam ipsius notorietatem: *Juridica* vero, quia » justitiae distributivae consonum est, ut quando » crimen est publicum, juridico, ut ajunt, pro» cessu de eo cognoscatur, ut si ex processu rei » culpabilitas deprehendatur per publicam senten» tiam mulctetur, ut ita suus justitiae ordo resti» tuatur; sin vero innocentia detegatur, per pu» blicam sententiam ejus famae consulatur. Cum » vero facultas extrajudicialis a Tridentinis Patri» bus concessa, oeconomica sit, ac paterna, locum » quidem obtineret, quando de occultis non autem » quando de publicis criminibus agatur, S. C. in

» *Nicien. suspens. Remot., vel reintegrat, in Paroe-*
» *ciam 17 Decem. 1874* § *Praeterea.* » Ergo etc.

Quae cum ita sint concludi merito potest praefatam Episcoporum potestatem non publica crimina complecti, sed occulta tantum. Occulta vero crimina illa esse: 1.° quae in foro externo probari, et damnari non possunt. 2.° illa, quae licet legitime probari queant, id tamen fieri non posse absque scandalo fidelium, et sine majori delinquentis Clerici damno, atque praejudicio.

Sed res clarior apparebit respondendo breviter duobus argumentis ab adversariis mox propositis. Et primum respondemus argumento deducto ex particula *etiam*, et dicimus, quod si hoc argumentum locum haberet pro delictis quoque publicis, ipsum novum omnino foret, cum omnes antiqui particulam illam *etiam* non uti argumentum, sed uti difficultatem sibi proposuerint, et omnes sive una, sive altera ratione ad hujusmodi difficultatem diluendam vires impenderint. Reservatum hinc tantum erat nostris hisce temporibus, ut id, quod erat difficultas, evaderet argumentum.

Verumtamen hoc praetermisso, hujusmodi argumentum tota mole sua ruet, si paullisper sedula mente perpendatur, et in seipso consideretur. Sane tota vis difficultatis hujus argumenti in una illa particula *etiam* consistit. Atqui particula ista *etiam* nonnisi uti redundans haberi, et considerari debet, quandoquidem (utor argumento ad hominem) haec

particula *etiam* bis in eo capite ponitur — ibi — « Ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Prae» lato, ex quacumque causa, ETIAM ob occultum » crimen, quomodolibet ETIAM extrajudicialiter fuerit » interdictus ». Porro juxta mentem adversariorum *secundum etiam* est redundans; ergo et primum. Enimvero, ajunt ipsi, si hoc *secundum etiam* non esset redundans, illud eveniret, ut Praelatus posset procedere in vim cap. 1, sess. 14, Concilii Trid. non solum judicialiter, sed et extrajudicialiter; atqui ipsi adversarii hoc non admittunt, nam si Episcopus judicialiter procederet, profecto non procederet *ex informata conscientia*. Quapropter uti hoc secundum *etiam*, veluti redundans habendum est, ita et primum ad evitandos errores, et absurda, quibus obviam iri poterit. Res itaque, mea opinione, tota componetur, et explicabitur, si particulae *etiam* substituatur particula *idest*.

Ad secundum respondentes dicimus praeprimis hujusmodi difficultatem nimis neotericam esse; siquidem Concilium Tridentinum eo tempore, quo dispositionem istam edidit, haud in iis circumstantiis versabatur, ut putaret Episcopum non posse procedere juxta methodum antiquam. Revera Tridentinum plurimum adlaboravit, ut Episcopi *judicialiter*, idest jndiciario servato processu, procederent, quando crimen publicum, et manifestum erat, ceu apparet in *Cap. 6, sess. 14,* ubi memorat *Cap. Qualiter et quando etc.* Quapropter dici omnino nequit Concilium Tridentinum *cit. cap. 1*

sess. 14 voluisse statuere modum procedendi pro omnibus criminibus, sive occultis, sive publicis.

Hoc autem mirum in modum confirmatur argumento ex praxi desumpto. Sane adversarii ad suam defendendam thesim nullum afferunt argumentum practicum, seu nullam afferre possunt decisionem S. Concilii Congregationis; e contra pro nostra sententia plures praefatae Congregationis decisiones ab auctoribus in medium proferuntur. Nos tamen ne nimis longi simus, duas tantum afferemus. Quarum prima est decisio in causa *S. Severini sub die 4 Aprilis et 19 Septembris 1778* edita; cujus species haec erat — Episcopus S. Severini sacerdotem *Laettum* parochum Castri Fondalis non tam in officio suo desidem, quam uti scandalosum, et diffamatum in vim *Cap. 1. sess. 14 Concil. Trident.* arcendum censuit ab officio, et ministerio, illique paroeciae oeconomum proposuit. Laettus recursum habuit ad S. Concilii Congregationem et propositum fuit dubium. « An » substineatur appositio oeconomi, seu potius pa- » rochus Laetti sit reintegrandus ad regimen suae » Ecclesiae parochialis in casu. » Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres respondit : « *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, reservato jure promotori fiscali agendi contra parochum Laetti ad formam Concilii Tridentini, et amplius.* » Porro uti quisque videt S. Congregatio Concilii respondit contra modum procedendi ab Episcopo adhibitum, quia non de-

bebat agere juxta *Cap. 1, sess. 14*; sed juxta *Cap. 6, sess. 14*, seu juxta *Cap. Qualiter et quando*, eo quod crimina erant publica, et non occulta. Ergo quoad crimina publica procedi non potest *ex informata conscientia*, ergo *Cap. 1, sess. 14*, est editum pro criminibus occultis tantum, et non publicis.

Secunda est decisio in causa *S. Agathae Gothorum 26 Februarii 1853*, de qua superius locuti fuimus. Delata porro hujusmodi causa ad S. Congregationem, suspensionem nullam fuisse probare sategit d'Ambrosius duabus praecipue rationibus. 1.° Quia facultatem *ex informata conscientia* suspendendi non habet Episcopus, nisi *quando delictum est occultum*; quae conditio deerat in delictis Archipresbitero objectis, utpote de quibus jam fama in regione vulgata fuerat. 2.° Quia suspensio ad tempus indeterminatum, qualem tulerat suus Episcopus non sit poena, sed censura; censurae autem trinam requirant monitionem. Proposita hinc fuerunt dubia. « 1.° An constet de » validitate suspensionis in casu; 2.° an sint con- » firmandae, vel infirmandae sententiae a Curia » Episcopali latae tam super irregularitate, quam » super privatione beneficii ». S. Congregatio respondit: « ad 1^m^ *Negative, salvo jure Episcopo procedendi prout de jure*. Ad 2^m^ *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam* ». Unde patet Episcopum reprehensum fuisse, eo quod propter crimina publica usus fuerat dispositione

Cap. 1, sess. 14. Patet hinc, quod contra crimina publica procedi non possit *ex informata conscientia*, ideoque praefatum *Cap. 1, sess. 14*, est pro criminibus occultis tantum, et non pro publicis.

Verum quid dicendum, si delicta essent publica simul, et occulta? Hoc in casu suspensionem sustineri tradunt DD. et praesertim Pignatel. *Consult. 8 tom. 9. n. 5*, et passim confirmatur pluribus S. C. Congregationis decisionibus.

Posito itaque quod Episcopus non possit in publicis criminibus extrajudicialiter procedere, nonnullae aliae quaestiones oriuntur. Et 1.° An ex hac Tridentina dispositione, seu decreto Episcopi suspensionem inferentis ex informata conscientia detur appellatio ad Metropolitanum, vel recursus ad S. Sedem? 2.° Dato quod non detur appellatio ad Metropolitanum, sed recursus ad S. Sedem, an hujusmodi recursus detur in *devolutivo*, et *suspensivo*, vel solum in *devolutivo*?

Quoad primam quaestionem respondetur, a dicto decreto Episcopi, vel sententia non dari appellationem. Idque patet ex ipso Tridentini textu; ait enim: « Nulla contra ipsius praelati voluntatem » concessa licentia de se promoveri faciendo suf» fragetur ». Porro si nec Metropolitanus, nec alius Superior potest irritare Episcopi decretum, seu sententiam, qua quis a susceptione ordinum interdicitur, sponte sequitur a dicto decreto, seu sententia Episcopi non dari appellationem. Si enim

daretur, manifestum apparet, quod judex *ad quem* eam irritare posset.

Praeterea ex eodem Tridentini textu legitur: « Nulla ad priores ordines, gradus, et dignitates » sive honores restitutio suffragetur ». Iamvero, si ex recitatis Tridentini verbis patet, quod in secunda instantia, nec Metropolitanus, nec Primas, nec Patriarcha possit causam suspensionis ab Episcopo ex informata conscientia latae cognoscere, prono veluti alveo fluit, a praefato Episcopi decreto, seu sententia appellationem dari haud posse nec in *suspensivo,* nec in *devolutivo*. Ad rem S. Congregatio in *Bononien. 14 Novembr. 1654* et in *Capritana 18 Decembr. 1730*. Quod adeo verum est, ut si interposita appellatione suspensus ordines, et ministeria exercere praesumpserit, irregularitatem incurreret ad monitum Bened. XIV *de Synod. Dioeces. lib. 12, Cap. 8, n. 5*. Quin ad effugiendam irregularitatem, ei subsumere juvaret, quod suspensio hujusmodi retinenda esset, uti lata in poenam. Huic enim difficultati respondet S. Congregatio in causa *Lucionen. suspensionis, et appellationis 8 Aprilis 1848* § *Quibus praemissis,* de qua inferius.

Verumtamen si non datur appellatio ad caeteros Superiores, justitia, et maxima aequitas, ne Reo defensio desit, clamat et exigit, ut locus fiat recursui ad Summum Pontificem. Quisque enim ingenio suo facile percipit, Summum Pontificem non potuisse sub illa prohibitione intelligi, et com-

prehendi. Dubitari hinc minime potest, recursum semper patere in his circumstantiis ad Summum Pontificem, et ipsum posse decreta, seu sententias ab Episcopis ex informata conscientia latas discutere, et si forte minus rectae reperirentur, annullare. Dicitur vero recursus, et non appellatio ad Papam, quia *appellatio* proprie vocatur provocatio ad superiorem judicem a sententia *judicialiter* lata: hic vero agitur de decretis, seu sententiis extrajudicialiter latis; unde dari recursum ad Papam, non vero appellationem dicendum est, ceu patet ex *cit. Lucionen.* ubi in 2 dubio « an ab hujus» modi suspensionis decreto detur appellatio ad » Metropolitanum, seu potius sit tantum locus » recursui ad S. Sedem in casu » S. Congregatio Concilii respondit: « Ad 2m *negative ad primam* » *partem. Affirmative ad secundam* ».

Quoad alteram vero quaestionem, qua quaeritur, utrum recursus sit in *devolutivo* et *suspensivo*, vel tantum in *devolutivo*, responderi potest, ipsum dari tantum in *devolutivo*. Idque patet ex epistola a S. Congregatione Concilii data ad Venetum Nuncium, ubi legitur: « Recursu quamvis admisso » suspensi in statu, quo erant, permaneant; illo» que pendente, Ordines, a quibus suspensi fue» rint, exercere nullatenus valeant ». Ita Ferraris verb. *Suspensio in additione ex aliena manu circa finem*.

Et optimo sane jure, siquidem suspensus judicium sui superioris revereri debet, dicente d. Gre-

gorio (*Hom. VI in Evang.*): *sententia pastoris sive justa, sive injusta sit, timenda est:* idque magis quia alioquin talis inobedientia maximo scandalo esset fidelibus. Et ideo sententia Episcopalis taliter lata possidere debet, ac firma esse quoadusque fiat recursus ad S. Concilii Congregationem, a qua illa rescindatur, si in aliquo substantiali forsan peccaverit, prout actum est in pluribus causis, et praesertim in saepe citata causa S. Agathae Gothorum *26 Februarii 1853.*

Hisce absolutis quaeri ulterius potest, utrum potestas ista Episcopis a S. Concilio Tridentino concessa *Cap. 1, sess. 14,* tota concludatur in illis duobus actibus, scilicet interdicere ascensum ad sacros ordines, et suspendere ab iisdem ordinibus, nec non dignitatibus, officiis, gradibus, et honoribus? Huic sed vero interrogationi affirmative respondet Bouix *tract. de judiciis pars 2, Cap. 4, limitat. 1,* idque probat textu ipso Tridentino; ait enim — ibi — « In eo praeter duo assignata, nihil aliud » reperitur Episcopis concessum. Et cum dispositio » illa Tridentina juri communi antea vigenti dero» get, ut supra probavimus, et docent communiter » Canonistae cum Fagnano in *Cap. ad Aures, et* » *Cap. Ex tenore de Temp. ordin.* stricte est » interpretanda. Aliunde si adeantur S. Congre» gationis Concilii declarationes, vel Doctorum hac » de re tractationes, nihil pariter occurret, quo » vel minimum innuatur, extendi memoratam po-

» testatem ad alios actus, praeter modo dictam
» interdictionem, et suspensionem.

» Hinc vehementer erraret Episcopus, qui li-
» citum sibi existimaret, ex informata conscientia,
» seu vigore memorati decreti Tridentini, quem-
» quam excommunicare, vel interdicto aliquam
» communitatem, aut terram percellere; vel pe-
» cuniariam poenam alicui clerico infligere; vel
» eum, tamquam criminis reum, ad commorandum
» aliquanto tempore in aliqua religiosa domo, et
» ad vacandum spiritualibus exercitiis adigere; vel
» tandem quidquam aliud facere, praeter haec duo
» interdicere ab ascensu ad ordines, et suspen-
» dere ab ordinibus, officiis, dignitatibus, gradi-
» bus, et honoribus ecclesiasticis. In caeteris enim
» dictum Tridentinum decretum nihil immutavit;
» et in eis sese gerere debet Episcopus prout de
» jure, perinde ac si non extaret praefata Tri-
» dentina dispositio.

» Non tamen inficias imus, posse Episcopum
» per viam informatae conscientiae eos effectus
» producere, qui ex dicta interdictione, et suspen-
» sione indivulse consequuntur. Sic, verbi gratia,
» ex eo quod possit extrajudicialiter presbyterum
» a divinis suspendere, potest hoc ipso eum hono-
» rariis missarum privare; quia ille effectus su-
» spensionem necessario consequitur; item ex eo
» quod vi decreti Tridentini possit parochum su-
» spendere a divinis, necnon a gradibus, et hono-
» ribus ecclesiasticis, potest hoc ipso eum ab exer-

» citio curae removere, quia cum ejusmodi suspen-
» sione incompatibilis est animarum cura; et sic
» de aliis effectibus. Sed cum ii effectus sint ne-
» cessaria consectaria dictae interdictionis, aut su-
» spensionis, merito dicitur totam Episcoporum
» ex informata conscientia procedendi potestatem,
» ad hos duos actus restringi, interdicere nempe
» ascensum ad ordines, et suspendere ab ordini-
» bus, dignitatibus, gradibus, et honoribus eccle-
» siasticis ».

Nec satis. Quaeri insuper potest, an praefata potestas *Cap. 1, sess. 14* competat Episcopis eo tantum in casu, quo ipsi procedunt in Clericos tamquam delinquentes? Respondetur autem, *Affirmative:* quandoquidem si procederent contra Clericos alia de causa, quam delicti, puta incapacitatis, vel inidoneitatis, tunc hujusmodi potestas eis non competeret, adeo ut si Clericos hac de causa suspenderent, ab hujusmodi suspensione non negaretur, uti in casu *Cap. 1, sess. 14*, sed daretur appellatio, licet ad effectum devolutivum tantum, non autem suspensivum. Ita declaravit S. Concilii Congregatio, prout refert Giraldi *Summa Constitutionum apost.* parte secunda sectione 43 — ibi — « Nota, ex ejus-
» dem Congregationis declaratione (in Calaguri-
» tana 10 maii 1625) quod si Episcopus in vim
» capitis 3 sessionis 14 ejusdem Concilii, contra
» Clericos processerit tamquam illitteratos, a de-
» creto suspensionis hujusmodi dari appellationem

» ad effectum devolutivum tantum, non autem » suspensivum. Caeterum si processerit contra eos » tamquam delinquentes, facultate sibi tributa a » capite 1 ejusdem sessionis, a suspensione lata » ab eo dari nullam appellationem ».

Post haec altera non levis quaestio excitari potest, utrum nempe Episcopi ex informata conscientia suspendere valeant tum ab ordine, tum a beneficio, seu utrum potestas Episcoporum in vim *Cap. 1, sess. 14* possit extendi etiam ad privationem beneficii, vel fructuum ipsius? Huic quaestioni respondet Adnotator ad Ferrarium *n. 6 verb. suspensio* — ibi — « Fuerunt qui te- » nuere, Episcopum ex informata conscientia su- » spendere dumtaxat posse ab ascensu ad Ordi- » nes, idque quia *Concilium Tridentinum,* ubi po- » testatem facit suspendendi ex informata con- » scientia, loquitur de suspensione ab ascensu ad » Ordines.

» Nihilo tamen minus S. Congregatio Conci- » lii interpres referente S. M. Benedicto XIV *de* » *Synod. Dioecesan. lib. 12, Cap. 8, §. 3* sen- » sit, posse Episcopum suspendere et ab exercitio » Ordinis jam suscepti ea de ratione, quod verba » illa, quibus facultas Episcopo data est suspen- » dendi ex informata conscientia repetita intelli- » gantur ubi sermo est de suspensione ab exer- » citio Ordinis suscepti.

» Innixi autem huic sententiae dict. S. Con- » gregationis plures etiam existimarunt, posse Epi-

» scopum ex informata conscientia suspendere a » beneficio ; idque quia ubi agitur de suspensione » ab exercitio Ordinis suscepti, videtur simul agi » de suspensione a beneficio, ut praeseferunt verba » illa: *Aut qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel* » *dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus.*

» Contra alii in ea sunt opinione, ut Episco- » pus ex informata conscientia suspendere nec » valeat ab exercitio Beneficii. *Confer. Vanesp.* » *de censur. c. 10. Alter eodem. tract. num. 2,* » *disp. 14, c.* 3.

» At dicta Sacra Congregatio sustinuit suspen- » sionem, quam Episcopus ex informata conscien- » tia inflixerat ab exercitio curae in *Sagonen.* » *25 Jun. 1625.* Episcopus Sagonensis (sunt » ipsissima verba) ex facultate sibi attributa Decr. » Conc. *cap. 1, sess. 14* ex causis sibi notis su- » spendit Parochum ab exercitio curae, sed ille » appellavit, et praecepto Episcopi contempto ce- » lebravit, et curam exercuit. Quaeritur an a » dicta suspensione detur appellatio, ita ut Paro- » chus non obstante appellatione interposita per » exercitium curae effectus fuerit irregularis? Sa- » cra Congregatio Concilii censuit ab hujusmodi » suspensione non dari appellationem, et Paro- » chum, qui Sacramenta, ut supra administravit, » irregularitatem contraxisse.....

» Quidquid autem hujus rei sit, adhuc deci- » sum haud est, an Episcopus suspendere queat » ex informata conscientia a beneficio, sed solum

» decisum est, posse suspendere ex informata con-
» scientia ab exercitio beneficii, quae suspensio
» partialis est, nec fructibus privat ».

Verumtamen probabilius est, attento Tridentino textu, Episcopo non competere a beneficio extrajudicialiter suspendendi potestatem. Nam non sine mysterio Tridentini Patres, dum facultatem Episcopo fecerunt suspendendi ab *ordinibus, dignitatibus, gradibus, honoribus*, omiserunt eas voces *et a beneficiis*. Si enim voluissent suspensionem etiam a beneficiis in suo decreto comprehendere, id exprimere nec obliti essent, nec inutile reputassent. Atque inde mihi videtur satis innui eorum mentem; eos scilicet noluisse, ut ex informata conscientia possent Episcopi Clericos beneficiis privare, cum hoc saepe foret ad egestatem eos adigere; quod non adeo urget, ut extrajudicialiter fieri ordinarie expediat.

Sed quidquid sit de hac mente Tridentinorum Patrum, certa est generalis regula (qua potissimum innititur), quamlibet juri communi derogationem stricte esse interpretandam, nec admittendum in ea, nisi quod clare exprimitur: atqui facultas ex informata conscientia suspendendi fuit juri communi derogatio, prout fatentur omnes: aliunde *clare non exprimitur*, eam extendi ad suspensionem etiam a beneficio, prout palam faciunt et textus ipse, et canonistarum hac de re controversia et dubitatio; ergo extensio dictae facultatis ad suspensionem a beneficio legitime ad-

mitti nequit. Hoc argumentum mihi videtur rigorose probare. Verumtamen in thesi posuimus dumtaxat vocem *probabilius*, ne alioquin in re parum adhuc a *doctoribus enucleata*, *conclusio aliquid audaciae redoleret*. Ita Bouix, *loc. cit.*

Hisce absolutis duae aliae occurrunt quaestiones resolvendae, quarum una est gravior altera. Prima est utrum Episcopis fas sit irrogare suspensionem ex informata conscientia *sive ad tempus indeterminatum*, *sive determinate ad tale tempus*, *sive expresse in perpetuum*? Altera est, utrum ex violatione suspensionis ex informata conscientia incurratur irregularitas, sive consideretur uti poena, sive uti censura? Quoad primam quaestionem respondet cit. Bouix *tractat. de judciis par. secund. pag. 331*, affirmative, et probat ex textu Tridentino, et ex decisionibus S. Cong. Concil. dicens: « Probatur 1.° ex Tridentino textu, in quo positum « est vocabulum *Quomodolibet*, idest quocumque » modo suspensiones pronunciet, ergo etiam quando » suspendit praefatis modis ». Probatur 2.° ex S. Congreg. Concilii decisionibus « In libro 7 Decreto» rum S. Cong. Conc. folio 89 a tergo haec legi » — Congregatio Concilii censuit, caput 1, sess. 14, » (de Reformatione) habere locum in suspensio» nibus, et prohibitionibus tam temporariis, quam » perpetuis; et temporalem prohibitionem et su» spensionem dici eam, ubi ex delicto occulto ex» trajudicialiter procedit Episcopus, ad suum be» neplacitum proihibendo vel suspendendo ».

« Quaestio autem illa, num Tridentinus textus « intelligendus foret etiam de suspensionibus *in* « *perpetuum*, quanta fuerit maturitate excussa, « tum a dictae Congregationis Cardinalibus, tum » ab ipso etiam Romano Pontifice, constat ex alio » archivii romani authentico manuscripto ; ex libro » nempe 22 *Memorialium*, pagina 24; ubi sub » die 22 junii 1582, sic legitur: « Congregatio... (1) » censuit, decreto Concilii, sessionis 14, capitis 1, » correctum esse caput 4 *Ex tenore de temp. Or-* » *din.)*, et caput 5 *Ad aures* (eodem titulo) am- » pliatum ; ita ut comprehendat quoque clericos » saeculares (etiam dignitates vet beneficia, quibus » annexus sit ordo, obtinentes), tam quoad facul- » tatem prohibendi ascensum ad ordines, quam » etiam suspendendi, ipsisque facultatem appel- » landi ademptam esse ».

« Fuit etiam dictum, arctatum ad ordines su- » scipiendos, si sic prohibitus fuit, non incidere » in poenas capitis 14 *Licet canon* (*de Elect.*, in 6), » juxta caput 35 *Commissa* (eodem titulo).

« Fuit pariter dictum, quod si adimitur po- » testas appellandi, non denegatur recursus. (Ca- » pite 5 *Tum ex litteris de In integrum restitu-* » *tione*).

« Tamen quia Episcopi hujusmodi potestate » abuti possunt, Illustrissimi Domini dixerunt, re- » ferendum Sanctissimo, si moderamen aliquod » hac de re adhiberi posset, quo juri et periculo » occurreretur. Die 27 Januarii 1583, facta rela-

» tione Congregationis Concilii ad Sanctissimum, » coram Illustrissimo Columna, Sua Sanctitas re» spondit, videndum, num prohibitio Concilii et » suspensio sit perpetua, vel temporaria: quod si » temporaria non laxandum decretum; audiendas » tamen rationes Illustrissimi Senonensis, asse» rentis non comprehendi arctatos; sin autem pro» hibitio et suspensio Concilii perpetua intelligatur, » adhuc studendum, et maturius rem esse per» pendendam.

» Die 14 Julii 1583, Congregatio Concilii... » censuit habere locum tam in suspensionibus et » prohibitionibus temporariis, quam perpetuis. » Temporalis enim prohibitio et suspensio dicetur, » ubi ex delicto occulto extrajudicialiter procedit » Episcopus, ad suum beneplacitum prohibendo » vel suspendendo, quae demum tempus suae ad» ministrationis non excedunt ». (Apud Giraldi, Expositio juris Pontif., parte 2, sectione 43).

Verumtamen haec eadem S. Congregatio Concilii in causa *Lucionen.* 8 Aprilis 1848 §. *S. autem Congregatio* haec ait — ibi — « Sacra au» tem Congregatio, etsi olim censuerit, ut supra » dictum est, caput 1 Concilii Tridentini sess. 14 » de reform. habere locum in prohibitionibus et » suspensionibus, tam temporaneis, quam perpe» tuis; recentiori tamen aevo ab illa sententia re» cedere consuevit, aliamque constanter sequuta » est, qua id velle videtur, ut hujusmodi suspen» siones, praesertim perpetuae, seu indefinitae, quae

» idem valent ac perpetuae, et sunt merae pri-
» vationes, haud umquam in posterum ferendae
» sint, nisi praemissis monitionibus, aliisque so-
» lemnitatibus, ad praescriptum ejusdem synodi
» tridentinae *sess. 11, cap. 6*, latas fuisse repe-
» rerit. Enimvero in quadam S. Severini 19 sep-
» tembis 1778 dubium an parochus Laetti esset
» necne redintegrandus ad regimen suae Ecclesiae
» parochialis, a quo praeter normam cit. *cap. 6*,
» *sess. 11* fuerat suspensus, hoc ipsa responso
» persolvit: *affirmative, reservato jure promotori*
» *fiscali agendi contra parochum Laetti ad for-*
» *mam Concilii Tridentini, et amplius*. Et novis-
» sime *in Placentina Restitutionis in paroeciam*
» *26 proxime lapsi februarii*, id ipsum rogata
» quoad parochum Franchi, consimili suspensione
» de paroeciali munere dejectum, respondit: *affir-*
» *mative, peractis per decem dies exercitiis spiri-*
» *tualibus in domo religiosa* ». Sed satis quoad
primam quaestionem, nunc ad alteram enodandam
descendamus oportet, qua quaeritur, utrum ex vio-
latione suspensionis incurratur irregularitas sive
consideretur uti poena, sive uti censura hujusmodi
suspensio ?

Hujusmodi quaestionem dirimere nobis videtur
praefata Congregatio Concilii in causa *Lucionen.*
8 Aprilis 1848 §. *Quibus praemissis* — ibi —
« Quamvis non desint nonnulli, et magni quidem no-
» minis s. theologiae, et ss. canonum doctores, qui
» existimant irregularitatem non contrahi ex vio-

» latione suspensionis, quoties haec mere poenalis » agnoscatur, uti sentit Navarrus cons. 27, n. 1 de » temp. ordin. quem refert Pignatell. consult. 158, » n. 5, tom. 10; ea tamen est plurimorum sen- » tentia universaliter admissa, ut absque ulla di- » stinctione irregularitas incurratur ob spretam » suspensionem, sive haec proprie censura sit, sive » poena, arg. ex cap. 1 de sent. et re judic. in 6 » ex cap. 1 de sent. excomm. ibid. ut tradunt » Gibalin. de irregularit. p. 1, cap. 5, consect. 1 » n. 6. Suarez de Censur. disput. 26, sect. 2. » Alter eod. tract. part. 2, disp. 6, de suspens. » cap. 2 §. Item et seq. Bonacin. eod. tract. » disp. 3, quaest. 6, punct. 5, propr. 3, n. 6, » addita ratione, quia scilicet suspensio, quae est » mera poena, privat sacro ministerio, sicut pri- » vat suspensio, quae est proprie censura, nec » minus indecens videtur, ut suspensus in poenam » delicti, divinis se ingerat, quam qui ob contu- » maciam est censura suspensionis obstrictus ».

Sed tempus potius, quam materia deficeret, si de omnibus quaestionibus ad suspensionem ex informata conscientia spectantibus sermo institui vellet. Nobis autem finem imponere praecipit instituti nostri ratio. Solum hinc ultimo loco quaerimus, utrum hujusmodi suspensiones latae ex informata conscientia cessent morte Episcopi, qui illas tulit?

Postremae huic quaestioni respondemus, nonnullis visum esse suspensiones ex informata con-

scientia cessare ipso facto per mortem, aut cessionem Episcopi, qui illas tulit, quia inquiunt, debent aequiparari praeceptis personalibus. Verumtamen opinio haec recedit a sententia communi, et insufficienti fundamento innititur. Sane quod aliena sit a sententia communi, id concludimus ex praxi constanti; inauditum enim est sacerdotem a sacris interdictum per sententiam ex informata conscientia, a vinculo solutum haberi, moriente Episcopo, aut sedem dimittente, ipsique illico permitti sui ordinis officiis fungi. Idemque concludere licet ex modo loquendi theologorum, quando exponunt, quibus mediis cessent suspensiones, et interdicta. Nullo autem fundamento solido nititur. Suspensio enim ex informata conscientia, licet lata sit extrajudicialiter, non est praeceptum mere personale, sed est semper sententia, quae non differt a judicialibus, nisi ratione solemnitatum, et eosdem effectus essentiales operatur, quos producunt sententiae judiciales, et censurae: at qui ipsae suos effectus protendunt ultra mortem, seu demissionem illius, qui eas tulit, ergo etc. Nec dicatur impossibile fore successori judicare, an sententia sit revocanda vel non, cum illius causam ignoret plerumque. Reus enim jus semper habet recurrendi ad Sanctam Sedem, vel ad successorem Episcopi, ut instituto processu summario, et secreto de ejus vita et moribus, possit absolutionem recipere, si hoc beneficio non reperiatur indignus, etiamsi non cognoscantur cuncta motiva suspensionis, quam

subiit. Hinc patet suspensiones hujusmodi non cessare morte Episcopi, qui eas tulit, modo non fuerint latae ad arbitrium nostrum, tunc enim morte Episcopi cessare indubium est, quia morte cessat arbitrium, uti vidimus.

Hisce expletis finem imponimus utentes verbis Giraldi *expositio juris Pontificii pars. 2, summ. Constit. Apostolic. in notis sectionis 13 in fine.* — *ibi* — « Circa usum hujus facultatis meminerint » Episcopi, aliique Praelati salutaris illius moniti, » ipsis paterno charitatis affectu a Tridentini Pa- » tribus pro suorum subditorum aedificatione, et » salute commendati, quod antequam procedant » ad eorumdem subditorum correctionem ex infor- » mata conscientia, omnino legere debent disposita » in Cap. 1, sess. XIII, de reform. ».

Sed redeamus unde discessimus.

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

Egit B. Raymundus praecedenti titulo de accusatoribus et Delatoribus. At cum isti tum accusando, tum denunciando quandoque calumniari possint, hinc merito hunc titulum subjungit. De ipso tamen historico dumtaxat modo hodie loquemur, eo quod tum accusatio, tum denunciatio ab usu recessisse videntur.

Rubrica hujus tituli solam calumniam innuit; certum tamen est triplici modo accusatores, et denunciatores delinquere posse, scilicet vel *calumniando*, vel *praevaricando*, vel *tergiversando* ceu patet *ex leg. 1 in princip. ff. ad S. C. Turpillianum*, et refertur a Gratiano in *Cap. Si quem 8*, § *Accusatorem caus. 2 quaest. 3*.

Hoc posito videamus obiter, quid sit calumnia, quotuplex, et quae poena ipsius, quid sit praevaricatio, et tergiversatio, et quaenam poenae illarum.

Calumniari in judicio est falsa crimina intendere, seu proponere. Unde qui falsum crimen per malitiam alicui innocenti imponit in judicio, hic calumniator audit. Calumnia autem duplex est, *vera* scilicet, ac *praesumpta*. Prima habetur, quando quis falsum crimen scienter, et per dolum intendit, vel alicui objicit, scilicet quando quis eum, quem scit esse innocentem, accusat, vel denunciat. Secunda vero habetur, quando quis crimen, de quo aliquem accusavit, vel denunciavit in judicio, non probat. Scitum enim est, quod is, qui aliquem ad judicium vocat, paratas habere debet probationes Ita ex *leg. 4 Cod. de edendo*. Hac de re si in probatione deficiat, censetur calumniandi animo litem movisse, et ideo calumniator praesumitur, nisi praesumptio ista per contrarias probationes elidatur. *Cap. fin. h. t.*

Poena calumniatoris, qui scienter, ac per dolum falso aliquem accusaverat, olim erat inu-

stio literae k in fronte ex lege Remnia, quam postea substulit Constantinus *leg. 17 Cod. de poenis*, item poena *talionis*, ea scilicet poena, quam merebatur accusatus, si delictum, de quo accusabatur, commisisset. *Leg. ult. Cod. de Accusation. et leg. ult. Cod. de Calumniatoribus.* Sed et haec poena etiam abrogata fuit.

Hodiernis moribus infamia juris perseverat, modo accusator per sententiam condemnatus sit de calumnia *leg. 4, § 4, de his, qui not. infam. leg. 1, § 4, ff. ad S. C. Turpill. Can. 1. Si quis 2, quaest. 3*, et consequenter tamquam infamis fit inhabilis ad dignitates, et officia omnia Ecclesiastica, aliosque actus, a quibus infames arcentur. Insuper Clericus calumniator privatur officio, et beneficio Ecclesiastico. Tandem ad expensas condemnandus est calumniator, quod et fisco, et judici accidere potest, si iste per illegitimam inquisitionem, et ille per procuratores temere reum vexaverint.

Ad hujus tituli materiam referenda est Constit. Bened. XIV *Sacramentum Poenitentiae* data die 1. Junii 1841 § 3, ubi legitur « Calumniose » denunciantes vel per se, vel per alios innocentes » confessarios de sollicitatione ad turpia, privantur » spe absolutionis sacramentalis, quam Pontifex, » excepto mortis articulo, reservat Sedi Apostoli» cae, licet huic flagitio nulla sit annexa censura ». Nunc de praevaricatoribus.

Praevaricari dicitur qui vel verus, vel simu-

latus accusator existens, postea incipit cum reo inique colludere, veras probationes delicti dissimulando, vel falsas, aut frivolas exceptiones admittendo, et sic partes fovendo Rei, cujus adversarium se simulat *cit. leg. 1*, § *6 ff. ad S.C. Turpil.* — *ibi* — « Praevaricatorem eum esse ostendi» mus, qui colludit cum reo, et translative, (*idest* » *obiter*) munere accusandi fungitur, eo quod pro» prias quidem dissimularet, falsas vero rei ex» ceptiones admitteret ». Concinit *lex 1, et 2 ff. de Praevaricat.*

Poena praevaricatoris est, quod contrahat infamiam juris textu expresso *in leg. Si his 4 ff. de Praevaricat.*, quae secumfert irregularitatem. *Can. Infames caus. 6, quaest. 1.* Praeter autem poenas istas puniri potest praevaricator etiam poena extraordinaria ad arbitrium judicis, ceu patet ex *leg. 1, et 2, ff. de Praevaricat.* — ibi — « Sciendum est, quod hodie iis, qui praevaricati » sunt, poena injungitur extraordinaria ». Pauca tandem de tergiversatoribus.

Tergiversari (quasi tergum vertere) est in universum, sive omnino ab accusatione criminis desistere. Hinc tergiversator, quasi terga vertens, dicitur ille, qui ab accusatione semel coepta post litem contestatam desistit *leg. 1, ff. ad S. C. Turpil.* — ibi — « Tergiversari est in universum « ab accusatione destistere ». Verum si negocium accusationis non deserat, sed tantum differat, tunc non statim uti desertor, seu tergiversator haberi

debet, nisi accusationis terminus elapsus fuerit. *Leg. 6. § 2, ff. ad S. C. Turpil.*

Poena autem tergiversationis nonnisi pecuniaria erat, idest multa quinque librarum auri ad tramitem *leg. 3 ff. de praevaricat.*: jure autem Codicis quarta pars bonorum cum infamia *leg. 1. 2. Cod. intra cert. temp.* Hinc infamis evadebat, ideoque et irregularis. Sed satis; recesserunt enim haec ab usu, uti jam innuimus.

TITULUS III.

De Simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.

In superioribus titulis actum est de praeliminaribus judicii criminalis, transitus hinc modo fit a B. Raymundo ad materiam ejusdem judicii, seu ad varia crimina in specie, quae ad ipsum judicium deduci debent. Hac de re praesens adjicitur titulus.

Inter crimina juris ecclesiastici, quae in vilipendium rerum spiritualium, et in Orthodoxae fidei subversionem tendunt, recensetur primo loco a B. Raymundo crimen simoniae, quia licet ipsa ex objecto suo non sit omnium delictorum gravissimum, vix tamen aliud est magis Deo injuriosum, et magis Ecclesiae perniciosum. *Dixi* magis Deo injuriosum, quia praestantissima ejus

dona, et gratias temporali pretio aestimat. *Dixi* magis ipsi Ecclesiae perniciosum, quia viam ad beneficia, et dignitates ecclesiasticas sternit indignis, et saepe sceleratis hominibus, uti ad rem monet Reiffestuel *h. t. n. 9 et 10.*

Mirum hinc non est, quod crimen istud modo a sacris canonibus appelletur turpissimum lucrum, modo vulnus cancrosum, modo flagitium piaculare, seu par illi, quod morte expiatur, modo crimen horribile nimis, comparandum blasphemiae Judaeorum, et peccato Judae proditoris. Quare merito Gelasius Papa gravissimam ejus malitiam paucis exprimere volens dicere non dubitavit *in can. fin. caus. 1 quaest. 7* — ibi — *Omnia crimina ad comparationem simoniacae haeresis quasi pro nihilo reputantur.* Et optimo sane jure, quandoquidem vel ipsi Ethnici piaculum censuerunt, res divinas, vel sacras humano commercio obnoxias relinquere. *Leg. 6, 22, 23 et 24 de contrah. empt.*

Hoc simoniae crimen, licet jam inde a remotissimis temporibus commissum fuisse constet ex *Gen. 25, v. 33*, ubi legitur Esau primogenita, quibus annexum fuit sacerdotium, vendidisse Fratri Jacobo, ex *Num. 22*, ubi legitur Balaam prophetiam vendidisse, et ex *4 Reg. 5*, ubi Giezi famulus Elisaei Naaman Syro sanitatem divinitus datam vendidit, nomen tamen hoc non ab istis, sed a famigerato Simone Mago accepit, utpote qui hac in re gravius, quam illi, peccavit. Illi enim

in veteri testamento solum gratias gratis datas vendiderunt; at Simon iste Magus in novo testamento emere voluit ipsum Spiritum Sanctum, scilicet gratiam sanctificantem, per quam Spiritus Sanctus in nobis inhabitat. *Act. 8* — ibi — *Obtulit eis* (Apostolis) *pecuniam indicens, date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.*

Idque ea intentione malitiam hanc duplicante attentavit, ut scilicet potestatem illam pecunia consecutus, eandem cum quaestu, et lucro temporali majori exercere posset, donum illud aliis vendens, ut *ex venditione, quae per eumdem fieret, multiplicatam pecuniam lucraretur,* ceu loquitur Pontifex Urbanus II *Can. Salvatori 8 caus. 1 quaest. 3.* Hinc merito eius malitiam illico increpavit Princeps Apostolorum Petrus dicens, *Pecunia tua tecum sit in perditione, quoniam donum Dei existimasti pecunia possidere.*

Utinam autem teterrima ista lues cum suo auctore interiisset, ita enim posterioribus saeculis Ecclesia Christi tot mala non deplorasset, et pulchra, et decora eius facies deturpata haud fuisset!! Sane exceptis quatuor prioribus saeculis, in quibus crimen hoc committendi occasio viris Ecclesiasticis haud esse potuit, propterea quod Ecclesiae bonis temporalibus nondum potirentur, saeculo tamen V et VI crimen hoc plurimorum animos occupavit, eo quod hisce temporibus fidelium liberalitas et generositas bonis temporalibus Eccle-

sias ditaverat, ideoque Clerici luxui, et avaritiae indulserunt. Qua de re Gregorius Magnus saepe saepius simoniacos objurgare debuit, ceu liquet ex variis illius Pontificis momentis apud Gratianum relatis. Detestabilius autem vitium hoc grassatum fuisse historia docet saeculo IX et X, eo quod tristissima hac tempestate germana doctrina, sincera pietas, ac religio in Deum, resque divina ab hominibus exulare visa fuit. Hinc Pontifices Maximi praesertim Gregorius VII, Nicolaus II, Alexander II, Innocentius XI et Calistus XI passim illud proscribere pro viribus curarunt.

Historiam, vel fata hujus criminis exposuit, illustravit, et insigni rerum copia exornavit Thomassinus *part. 3, vet. et nov. Eccles. discipl. lib. 1, cap. 49, et seq.* Consuli potest, si volupe est. Hisce ad originem, progressum, naturam, indolem, perversitatem, atque atrocitatem hujus criminis raptim innuendam praenotatis, ad eius modo definitionem exponendam, atque explicandam descendamus oportet.

Simonia post divum Thomam communiter definitur — *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, aut spirituali adaexum pretio temporali.* — Licet Glossa in allata simoniae definitione jure omiserit illa ultima verba *pretio temporali*, eo quod in omni emptione, et venditione semper necessario intervenit pretium, ceu eruitur *ex leg. Pacta 32 ff. de Contrah. empt.* — ibi — *Emptionis substantia consistit ex pretio,*

nobis tamen ea adjicere placuit ad majorem perspicuitatem, et claritatem dicendorum. Hoc breviter animdverso, juvat nunc allatae definitionis verba obiter enucleare, ut ejusdem intellectus magis ac magis pateat.

Dicitur in primis a Divo Thoma — *Studiosa voluntas* ad denotandum, quod actus voluntatis debet esse deliberatus, et cum advertentia mali habitus. Nam simoniae reus saltem coram Deo non est, qui vel ex inadvertentia temporale pro spirituali, et viceversa, emit, aut vendit: vel qui ex ignorantia juris, aut facti id peragit, scilicet si ignorat illud esse illicitum, vel si non scit rem esse spiritualem. Dicitur insuper *studiosa voluntas* ad significandum, quod simoniae crimen non modo uti caetera peccata deliberationem exigit, sed etiam quod ad essentialem eius malitiam non requiritur, ut pactum mutuo consensu, vel reapse perficiatur, sed sufficit interior, vel unius affectio simoniaca, paciscendi nempe, seu obligandi voluntas. Denotant tandem citata verba quod hoc simoniae crimen procedit non tantum a deliberata, sed et a callida voluntate, atque ex dolosi animi consilio, hinc non solum crimen hoc committit, qui aperte spirituale, vel spirituali annexum emit, vel vendit, sed etiam qui palliato animo id ipsum facit. Hac de re ad hujusmodi artificia detegenda plures summorum Pontificum constitutiones editae fuerunt.

Dicitur inde *emendi, vel vendendi* ad innuendum, quod nomen emptionis, et venditionis late hic accipi

debeat, et sub istis verbis intelligi, et comprehendi quemlibet contractum non gratuitum, sed onerosum, sive emptionis-venditionis, sive locationis-conductionis, sive permutationis, sive transactionis, aut contractum innominatum *do, ut des; do, ut facias,* et quamcumque aliam pactionem expressam, vel tacitam, et quamlibet obligationem dandi spirituale pro temporali, et viceversa. Ita autem accipi debere vocabulum emptionis-venditionis non modo exigit ratio subjectae materiae, sed etiam talis acceptio in jure fundatur. Lege enim 29 ff de statu liberis ita habetur — *Lex duodecim tabularum emptionis verbo omnem alienationem complecti videtur.* Dicitur praeterea *aliquid spirituale* ad denotandum per hoc verbum *spirituale,* pro quo tamquam materia, seu merce datur temporale vi simoniae, non intelligi rem incorpoream, veluti Angelos, vel animam rationalem, sed omne, et solum illud, quod aliquo modo supernaturale est, seu ad bonorum spiritualium ordinem pertinet, et ad spiritualem animae salutem ex institutione divina, vel humana est ordinatum. Arg. *Cap. gratiae 1 cap. qui studet 11 caus. 1. quaest. 5.* Verum de hoc inferius sermo redibit.

Additur autem vel *spirituali adnexum* ad innuendum per ista verba intelligi, et comprehendi ea, quae, licet in se, et intrinsece non sint spiritualia, ad ipsa tamen ordinantur, annectuntur, adhaerent, atque ab illis dependent. Idque tripli-

citer contingere potest, videlicet *antecedenter*, *concomitanter*, et *consequenter*, de quo pariter inferius.

Additur tandem in definitione *pretio temporali*, per quae verba non tantum intelligitur pecunia numerata, sed omnis, et sola quaecumque res temporalis, quae datur pro re spirituali, vel spirituali annexa. Hinc sicut sub nomine emptionis, et venditionis intelligitur omnis contractus onerosus, et utrimque obligatorius, ceu superius vidimus, ita hic sub nomine pretii venit quaevis res temporalis pretio aestimabilis, et afferens utilitatem temporalem, de quo pariter inferius fusius loquemur.

Ipsa est peccatum ex genere suo mortale et gravissimum, eiusque malitia essentialis in eo consistit, quod res sacra, ac spiritualis indigne, atque irreligiose tractetur, dum in commutationem trahitur pro re temporali, perinde ac si tam vilis sit, ut instar temporalium rerum venalis proponi possit. — *Quis enim non vile putat, quod emitur? Quis veneretur quod venditur?* Ait Hormisda Pontifex in epistola ad Episcopos Hisp.

De divisione simoniae.

Simonia iuxta pragmaticos duplex est, una juris *naturalis, et Divini*, altera *juris Ecclesiastici*. Ita Glos. *in Cap. Cum pridem de Pactis v. Illicitae, et in Cap. Ex parte de Officio delegati V. Dimittere.* Simonia juris naturalis, et Divini, quod

idem sonat ac naturalis, ceu ostendit Schmalzgrueber *h. t. n. 20* habetur, quando pro re temporali datur, vel promittitur res vere spiritualis, aut spirituali annexa v. g. *Hostia consecrata, sacramenta, beneficium, calix consecratus* ecc. *Dixi juris naturalis,* eo quod ipsa recta ratio dictat, gravem injuriam esse aequiparare res spirituales temporalibus, ceu superius innuimus. Haec simoniae species gravissimum peccatum est, et levitatem materiae non admittit. — *Pecunia tua tecum sit in perditionem,* ait S. Petrus Simoni Mago, *quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Neque interest, quod res temporalis sit exigui valoris; quoties enim res temporalis sive parva, sive magna datur tamquam pretium boni supernaturalis, toties irrogatur gravis injuria Spiritui Sancto, ideoque patet eam levitatem materiae admittere haud posse. Et haec species simoniae est prohibita, quia intrinsece mala.

Simonia vero juris Ecclesiastici juxta Doctores, et Canonistas habetur, quando res spiritualis, vel huic annexa commutatur propria auctoritate cum spirituali v. g. beneficium cum beneficio. Imo aliquando simonia juris Ecclesiastici committitur, cum res in se temporalis datur pro pretio temporali, ut contingit, cum venduntur, aut emuntur officia oeconomi, vicedomini, thesaurarii, sacristae, et similia. Quamvis enim ex natura sua non repugnet dari spirituale pro spirituali, temporale pro temporali, tota tamen malitia in his

casibus a praecepto Ecclesiae derivat, quo eiusmodi rerum, vel jurium, aut officiorum commutationes ex motivo religionis, et reverentiae rebus sacris debitae prohibentur. Vetat enim, et damnat Ecclesia huiusmodi actus uti simoniacos, quia licet per se non importarent comparationem rei spiritualis cum temporali, periculum tamen est, ne secumferant istam comparationem. Sic ut aliquod exemplum citemus, Ecclesia vetuit vendi oleum benedictum, et sanctum chrisma, quia periculosum erat, ne in aestimatione pretii ratio haberetur benedictionis, et res venderetur ultra valorem materiae. Haec simoniae species est mala, quia a lege prohibita. Hinc damnatio Ecclesiae quoad hujusmodi actus procedit ex periculo simoniae juris divini, ideoque ex positiva lege Ecclesiae nova haec species simoniae agnosci debet, quae juris Ecclesiastici nuncupatur.

Casus hujusce simoniae sunt sequentes. Primus verificatur in *permutatione ipsorum beneficiorum*, si haec permutatio fieret ex privata auctoritate. Sane hujusmodi beneficiorum permutatio per se non secumfert simoniam juris divini, eo quod commutatur officium sacrum cum officio sacro, et jus temporale adnexum spirituali cum alio jure ejusdem generis. Nihilominus si fiat auctoritate privata, hujusmodi permutatio uti actus simoniae interdicitur, ceu docent *Cap. 5 et 7 de rerum permut.* Periculum enim esse potest, ne pecunia, vel alia res temporalis interveniat, et uni, alterique per-

mutanti constituatur correspectivum pretium cessionis beneficii sui.

Secundus casus simoniae juris Ecclesiastici habetur, si a duobus litigantibus circa aliquod beneficium transactio fit auctoritate privata. *Ita Cap. 4 de pactis, et Cap. 4 de transactionibus.* Et ratio est, quia etiam in hoc casu verificatur periculum simoniae juris divini. Tertius denique casus est *renunciatio* beneficii in favorem tertii. Reiffenstuel *de renunciat.* §. *5, n. 108.* Utrum vero simonia juris Ecclesiastici admittat levitatem materiae non conveniunt DD., et canonistae. Vide Schmalzgrueber *h. t.* § *3. n. 14. 15. 16, et 17.*

Utraque autem simonia tam juris Divini, et naturalis, quam juris positivi Ecclesiastici subdividitur in *internam*, et *externam*. Interna est, quae in sola mente, sive interno animi proposito committendi simoniam consistit. Externa autem est, quae in actum externum exit, ac prorumpit. Idque duplici modo fieri potest, vel enim pactum aliquod expressum, vel tacitum intercedit, vel non: si non intercedit pactum, res vero spiritualis in compensationem temporalis, aut haec propter rem spiritualem acceptam quasi ex debito datur, committi dicitur *simonia mentalis:* si autem intercedit aliquod pactum expressum, vel tacitum, tunc appellatur *simonia conventionalis.*

Simonia mentalis itaque committitur cum quis rem spiritualem alicui confert, tamquam compensationem ex justitia debitam pro re temporali ab

ipso accepta, vel animo obligandi alterum ad reddendam rem temporalem, aut viceversa, scilicet quando quis alteri confert rem temporalem, tamquam ex justitia debitam pro re spirituali, vel cum intentione obligandi ad reddendam vicissim rem spiritualem, nullo tamen pacto expresso, vel tacito interveniente. Hinc simoniacus mentalis efficitur, qui Epi scopo inservit, nullo quidem pacto, vel conventione externe verbis, vel signis facta, sed eo tamen animo, et intentione ut pro mercede ei conferat beneficium. Ita Schmalzgrueber *h. t. n. 28*.

Simonia vero conventionalis est, in qua intervenit pactum, seu conventio expressa, vel tacita de dando spirituali pro temporali, ceu innuimus. Ut autem censeatur commissa simonia conventionalis non sufficit sola promissio rei spiritualis pro temporali, aut vicissim sola promissio rei temporalis pro spirituali, sed ea promissio debet esse etiam a promissario acceptata; secus enim, id est si acceptata non sit, non conventionalis, sed mentalis dumtaxat appellabitur, cum deficiat vera conventio, et pactum, quod *est duorum, pluriumque in idem placitum consensus* tacitus, vel expressus *leg. 1, § 2 ff. De pact.*

Simonia conventionalis triplex est, *pura* cum traditio ex neutra parte secuta est; *mixta* cum traditio facta est ex alterutra parte, aut mercis, aut pretii simoniaci; *realis* quando consumata est simonia traditione tam mercis, quam pretii. Nec

ad hujusmodi simoniam realem requiritur, ut tradatur totum pretium, quod pro re spirituali promissum est, sed sufficit, si inchoate, seu ex parte datum sit. Hinc si quis pro beneficio aliquid promisit ex. g. trecentum scutata, et beneficio accepto interea dat 100, vel 50, aut etiam minus, simonia realis poenas iuris inducens jam completa est. Idem dicendum si quis plura obsequia temporalia promisit, et accepto beneficio, unum tantummodo, idque exiguum praestitit.

Pariter ad hujusmodi simoniam realem non requiritur, ut res temporalis pro spirituali, aut viceversa mutuo statim insimul tradatur, sed sufficit, ut haec traditio verificetur post aliquod tempus etiam longum v. g. annum. Hac de re licet interim simonia maneat mentalis, vel conventionalis, tamen ab illo momento, quo postea saltem inchoate fit traditio, illico simonia realis completur, et quoad poenas retrotrahitur ad tempus praeteritae pactionis. Ita supracit. auct. Schmalzgrueber *h. t. n. 32, 33, 34 et 35.*

Est et simonia, quae dicitur *confidentialis,* quae tunc contingit, cum Clericus beneficium Ecclesiasticum ea lege suscipit, ut nutu conferentis, eligentis, instituentis, praesentantis, alteriusve procurantis alteri quandocumque restituat, aut ex eo pensionem, vel certam fructuum portionem tribuat absque Superioris auctoritate. Ferraris n. 14 et Devoti. Sed hanc esse speciem simoniae conventionalis, nemo non videt; et post effectum re-

stituti ad nutum, seu in alterum translati beneficii, aut persolutae pensionis fit realis. Haec autem modo fieri dicitur per *accessum*, modo per *ingressum*, modo per *regressum*. Verum in hisce cerebrosis vocabulis explicandis non consentiunt Doctores, et adeo obscure loquuntur, ut nec quid sentiant ipsi, valeat intelligi. Qui hujusmodi vocabula cognoscere desiderat, consulat auctores. De hac simonia confidentiali loquuntur Pius IVus in bulla incip. *Romanum Pontificem* et S. Pius V in bulla incip. *Intollerabilis*.

Ex hactenus expositis descendit, quod simonia ad sui constitutionem tria necessario requirit 1.° Scilicet pactum emptionis venditionis, aut similis alterius commutationis, ceu subintelligitur sub illis verbis — *Studiosa voluntas emendi, et vendendi*. 2.° Mercem, seu materiam, quae est res spiritualis, aut spirituali annexa, uti subintelligitur sub illis verbis — *Aliquid spirituale, vel spirituali annexum*. 3.° Pretium, quod consistit in re temporali, ceu eruitur ex illis verbis mox citatis — *Emendi et vendendi*. De hisce igitur extremis simoniam constituentibus, licet jam aliquid innuimus in explicandis, atque enucleandis verbis definitionis, inutile tamen, et supervacaneum haud putamus iterum distinctis paragraphis disserere, ut melius, et clarius indoles, et natura criminis simoniae innotescat, et facilius discerni valeant errores, in quos nonnulli prolapsi fuerunt. Sit itaque

§ 1.ª

De pacto Simoniaco.

Quod pactum aliquod expressum, vel tacitum saltem ex una parte inchoatum, aut intentum requiratur ad simoniam constituendam, id certum est, et apud Doctores indubitatum. Manifeste enim eruitur ex ipsis definitionis verbis. Sane dicitur in ipsa, quod simonia est — *Studiosa voluntas emendi, et vendendi*. Porro, ut verificetur haec studiosa emptionis, et venditionis voluntas, oportet, ut intercedat conventio inter duos, vel plures dandi spirituale pro temporali, vel viceversa; atqui hujusmodi conventio in jure pactum, vocatur, ergo ad constituendam simoniam pactum aliquod, vel contractum requiri indubium est. *Ita communis.*

Neque dicatur hujusmodi pactum vel contractum haud semper exìgi ad constitutionem simoniae, quandoquidem potest etiam unus tantum eam committere, ceu patet exemplo simoniae mentalis. Respondemus enim singulare esse in simoniae crimine, ut pactum semper exigatur, licet necessarium haud sit, ut huiusmodi pactum sit expressum, sed sufficit pactum tacitum, seu implicitum saltem ex una parte inchoatum, vel intentum, quo quis temporale dat, aut praestat, aut praestare intendit animo, et intentione alterum obligandi,

aut movendi ad reciproce dandum spirituale, aut e contra, alter vero id vel non advertit, vel advertens non consentit, et propterea non acceptat, vel spirituale reciproce non dat, aut dat quidem, non tamen intuitu illius temporalis. Ita ex parte unius Simonis Magi, non item D. Petri fuit simonia commissa, dum ille huic quidem obtulit pecuniam pro dono Spiritus Sancti, S. Petrus vero non acceptavit, sed recusavit dicens: — *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Hinc in definitione non dicitur *pactum*, vel contractus, sed *studiosa voluntas* ecc. Ita Reiffenstuel h. t. n. 70, Scmalzgrueber h. t. n. 48.

Ita natura et indole pacti intellecta, licet docta iniquitas, et cupiditas execrabilis habendi varios modos excogitaverit, quibus turpitudinem simoniae tegere sategit, palliola tamen ista sacri canones detexerunt, et vim omnem eis abstulerunt. Sane praedicarunt olim isti simoniaci ad turpem animum tegendum, quod — « dare temporale pro spirituali » non est simonia, quando temporale non datur tam» quam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum » conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam » quando temporale sit solum gratuita compensatio » pro spirituali, aut e contra. *Addiderunt insuper* » — Et id quoque locum habet, etiamsi temporale » sit principale motivum dandi spirituale. Imo » etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis sic ut illud » pluris aestimetur, quam res spiritualis ». At Innocentius XI probe noscens in istis propositionibus

supponi quod temporale pro spirituali detur cum aliquo pacto saltem implicito, aut interpetrativo, aut cum voluntate etiam interna emendi, aut vendendi spirituale pro temporali die 2ª martii 1679 merito supracitatas omnes propositiones solemniter damnavit.

Hinc colliges primo, quod dare temporale pro spirituali non uti pretium, sed uti motivum conferendi spirituale est simoniacum. Ratio est, quia in tali actu adest pactum palliatum simoniacum, nam qui ex g. vacante beneficio dat pecuniam, ut collatorem moveat ad illud sibi conferendum, non alia intentione, et animo dat, quam ut efficaciter moveat, seu ex justitia obliget ad conferendum beneficium: atqui hoc nihil aliud est, nisi emere collationem beneficii, ergo dare temporale ut motivum conferendi spirituale, simoniacum est. Confirmatur hoc ex *cap. 34, h. t.* ubi datio bonorum expresse non habet rationem pretii, sed motivi, et tamen receptio Clerici in canonicum dicitur esse simoniaca, si bona oblata fuerunt pro prebenda cum conditione, ut dantem reciperent in canonicum.

Colliges secundo, quod dare, vel facere spirituale ex principale motivo, seu fine acquirendi temporale est simoniacum, quia dans, vel faciens spirituale propter temporale censetur dare, vel vendere spirituale pro temporali, tamquam pretio, quod est omnino simoniacum, cum res spiritualis vilipendatur, et minus aestimetur, quam temporalis

sive quia dare temporale ut finem rei spiritualis est pacisci, et intendere temporale tanquam pretium aeque vel pluris estimandum, quam spirituale. Exemplum haberi potest in canonico, qui Ecclesiam peteret, et psalleret propter distributiones quasi finem operis sui principaliter intentum. Hic enim ex hac inordinata intentione simoniam committeret. Non mea est sententia, sed S. Thomae *lib. 8, quaest. 6, artic. 1, — ibi: — Si huiusmodi distributiones recipit quasi finem operis sui principaliter intentum, simoniam committit, et ita mortaliter peccat.*

Colliges tertio quod dare temporale non ut pretium, sed ut spirituale conferatur ex compensatione gratuita, est simoniacum, compensatio enim gratuita, seu obligatio antidoralis deducitur in pactum, et inducit novam obligationem, si non justitiae saltem fidelitatis, quae cum sit pretio extimabilis, dubio procul pactum reddit simoniacum, etsi nomine et pallio gratitudinis velari quaeratur. Sane si diceretur: — *Do tibi centum ut mihi des* beneficium, et do tibi centum ut mihi gratus sis per collationem beneficii, re ipsa hisce duobus modis eumdem contractum effici palam est, si excipias nomen, et lusum in verbis; atqui prior actus evidenter est simoniacus, ergo et posterior. Ut itaque simonia penitus exularet, oporteret ut pactionis idea omnino evanesceret. Ad rem *cap.* = *Quo in pio caus. 1, q. 2,* = *Omnis absit pactio,*

omnis conventio cessat. Vide Reiffenstuel h. t. n. 108.

Colliges quarto quod simoniam committit, qui temporale promittit, dat, vel praestat alteri ex g. ministro, vel familiari Episcopi, seu praesentatoris, vel patroni beneficii *hac sola, seu principali intntione*, seu *hoc primario*, vel *solo motivo*, ut apud Episcopum, seu praesentatorem, vel patronum intercedat, roget, vel ipsum efficaciter commendat in ordine ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum. Hic enim per temporale parat sibi viam ad acquirendum spirituale, et revera illud temporale pro isto spirituali promittit, dat, seu praestat. ceu eleganter ad rem monet *Extravag. 2, de simonia* ubi dicitur: = *Simoniam committi cum pecunia datur pro collatione .... favore, seu mediatione.* Et licet videretur in hac hypothesi dare temporale immediate pro temporali, qualis est intercessio; tamen sic per pecuniam parares tibi viam ad rem spiritualem obtinendam, ut ait S. Thomas *2. 2. q. 100, art. 2. ad 5.*

Hinc merito in *cap. Praesentium 3. caus. 1, q. 5,* (ubi casus est de ordinatione, non de beneficio) reputatur tamquam simoniaca promotio ad Sacerdotium obtenta per pecuniam, non Episcopo, sed cuidam principali ejus familiari, vel ministro datam, et ad rem facit *cap. Statuimus 107, caus. 1, q. 1,* ubi Nicolaus Papa II tres ponit, seu enumerat species simoniae, quarum unam esse asserit, quando simoniaci simoniace a non simoniacis ordinantur, id est

quando ordinandi pecuniam, seu aliud temporale promittunt, dant, seu praestant non Episcopo, sed alicui eius familiari, et amico hac primaria, vel sola intentione, ut ipsis ab Episcopo, huius rei prorsus ignaro promotionem ad ordines impetrent, seu obtineant. Idem habetur in *can. fin. 1, q. 5.* ubi Urbanus II dispensat cum eo, pro cuius ordinatione pecunia data fuit non Episcopo, sed alicui ex suis familiaribus, quia intercessio, et preces sunt causa moralis ipsius collationis, ordinationis, dispensationis etc. quas qui emit, virtualiter praesumitur emere ipsam collationem, ordinationem, dispensationem etc. utpote in ordine ad quas aestimat preces etc. Sed satis de pacto simoniaco, nunc ad mercem transeamus oportet, de qua sequens

§. 2ª

De merce Simoniae.

Indubium est materiam simoniae esse *rem spiritualem,* vel *spirituali adnexam* per modum *mercis venalis,* et *rem temporalem* per modum *pretii* late sumpti pro omni eo, quod est pecunia aestimabile, licet quandoque res spiritualis habet rationem pretii, et res temporalis rationem mercis, prout subjecta materia patitur, ut ex. g. si per collationem benificii emas ab altero preces, vel operas temporales. Maschat. *h. t.* § *2.*

Per *rem spiritualem* autem, vel nomine *rei spiritualis*, pro qua tamquam materia, seu merce datur temporale vi simoniae, hic non intelliguntur creaturae naturales *entitative spirituales*, ut sunt Angeli, Animae rationales, actus naturales intellectus, et voluntatis, sed omne, et solum illud, quod aliquo modo donum supernaturale est, seu res aliquo modo supernaturales a Deo, vel Ecclesia ordinatae ad cultum Divinum, et spiritualem animarum salutem, cujusmodi sunt omnes gratiae gratum facientes, et gratis datae, omnia sacramenta, et sacramentalia, omnia Divina officia, et orationes publicae, et privatae, omnis actus jurisdictionis Ecclesiasticae, ut absolutio a peccatis, et censuris, dispensatio, electio, postulatio, praesentatio, nominatio, institutio, collatio beneficii et hujusmodi, quae ne simoniace praestentur, seu efficiantur passim prohibentur. Sic Doctores communiter per textum *Actor. Apostolor. cap. 8, n. 20* — ibi — *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Math. cap. 10, n. 8* — ibi — *Gratis accepistis, gratis date.*

Res autem spirituales multiplices, et variae sunt. Aliae siquidem sunt spirituales, vel *in se, et intrinsece*, seu *formaliter*, prout gratiae, et dona Divini Paracleti, virtutes theologicae, et morales divinitus infusae, aliae sunt spirituales *causaliter*, quia sunt causae donorum spiritualium, et supernaturalium prioris generis, ut sunt sacramenta a

Christo Domino ad causandam gratiam instituta, item officia Ecclesiastica, quia proxime a spirituali, et supernaturali causa oriuntur, vel ad finem spiritualem, et supernaturalem ordinantur; aliae sunt spirituales *effective*, quia sunt tamquam effectus, et usus supernaturalis potestatis, veluti consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, electio, praesentatio, confirmatio, collatio beneficii, et caetera hujusmodi. His enim omnibus applicantur verba illa Christi: — *Quod gratis accepistis, gratis date.*

Additur autem: — *vel spirituali annexa.* Per *rem spirituali annexam* intelligitur illa, quae licet in se, et intrinsece spiritualis non sit, sibi tamen annexam, et conjunctam habet rem spiritualem, indeque materiam, seu mercem simoniae ingreditur. Communis *arg. Cap. Si quis Dator. 2 cap. Si quis Episcopus 3 cap. Quaesitum. 4.° cap. Si quis objecerit 7, caus. 1, q. 3.* Triplici autem modo conjungi possunt spiritualibus, videlicet vel *antecedenter*, vel *concomitanter*, vel *consequenter*. Antecedenter adnexa sunt quae existunt, et suum proprium valorem habent, priusquam huic rei spirituali adnectantur, uti sunt sacra vasa, vestes, altaria, templa, et similia, quae antecedenter ordinantur ad Sacrificium Missae, et ratione materiae praesupponuntur consecratione. Alia sunt adnexa *concomitanter* spiritualibus, quibus intrinsece sunt conjuncta, ut labor corporis, qui suscipitur in sacrificando, seu celebrando Missam, in

administratione sacramentorum, et aliorum officiorum Divinorum. Alia denique sunt adnexa *consequenter* spiritualibus, velut effectus suae causae ut beneficia Ecclesiastica quatenus sunt jura percipiendi reditus, qui dantur propter officium, seu ministerium spirituale, quo etiam referuntur pensiones Ecclesiasticae etc. Has res omnes qua tales vendi, emi, et in commercio poni passim prohibetur in jure, ut notant communiter Doctores, et Canonistae per textus iam citatos. *In cap. Si quis Dator. In cap. Si quis Episcopus etc.* Sed tempus urget, ut de tertio extremo constituente simoniam loquamur, idest de pretio, de quo agit sequens.

§ 3.ª

De pretio.

Pretium simoniae juris naturalis, et Divini necessario debet esse aliquid temporale. Est communis Doctorum sententia innixa *Cap. 8 Actor.* ubi Petrus Apostolorum princeps Simoni Mago dixit: — *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

Dixi pretium simoniae juris naturalis, et Divini, quia pretium simoniae juris Ecclesiastici potest esse etiam aliquid spirituale, uti patet in materia beneficiorum, quae licet sint quid spirituale, nihilominus si propria auctoritate fiat illorum

commutatio, aut transactio in materia, committitur simonia juris Ecclesiastici, etsi solum detur spirituale pro spirituali. *Cap. Quaesitum 5, Cap. Olim 7 De rerum permut. Cap. Cum primum 4 De pactis. Cap. Constitutio 4 De transact.*

Extra tamen materiam beneficiorum, numquam committitur hujusmodi simonia, etiamsi propria auctoritate detur spirituale pro spirituali v. g. *Reliquia pro reliquia, calix pro calice etc.* Et ratio evidens est, cum id nullo jure, nec Divino, nec humano reperiatur prohibitum. Imo id licere constat ex ipsa S. Scriptura penes S. Joan. — ibi — *Gratia pro gratia*. Et merito ; nulla siquidem irrogatur injuria rei sacrae cum spirituale detur non pro re temporali, sed solum pro spirituali.

Pretium autem hoc simoniacum in jure vocari solet *munus*, non quidem prout munus significat donum gratuitum, sed prout necessario importat onus, et gravamen, seu debitum ex obligatione. Munus enim, ut dicitur *in lege 18, ff. De verb. signif.* tribus modis accipitur. Primo scilicet pro dono gratuito, quo sensu dicimus *munera dare.* Secundo pro officio, unde munera militaria, et civilia dicuntur. Tertio tandem accipitur pro onere, et gravamine, etc.

In tres vero species munus hoc, seu pretium simoniacum dividi docuerunt nedum Ss. Patres, et Summi Pontifices, sed et Doctores, et Canonistae unanimiter, scilicet in *munus ab obsequio*, in *munus a lingua*, et in *munus a manu,* et haec omnia

rationem habere pretii temporalis, et sufficere ad constituendam simoniam tradiderunt. Primus inter Patres, qui docuerunt munus hoc in tres species dispesci, fuit S. Hyeronimus, qui aetatis suae jam invalescentes abusus dolens haec dixit *in Can. 6, caus. 8, q. 1,* — ibi — « Nunc cernimus plures » hanc rem beneficium facere (hanc rem, *idest* » *tributionem Ecclesiasticorum munerum*) ut non » quaerant eos in Ecclesiae erigere columnas, quos » plus cognoscant Ecclesiae prodesse, sed quos » vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis de- » liniti, vel pro quibus majorum quisquam roga- » veris, et, ut deteriora taceam, qui, ut clerici » fierent muneribus impetrarunt ».

Apertius tamen posterioribus annis Summi Pontifices docuerunt, et praesertim Gregorius Magnus, qui intuens simoniae vitium latius grassari, tradidit, simoniam esse, ubi munus praestitum concessioni sacrarum rerum causam daret, et conclusit in *Can. 114, caus. 1, q. 1,* aliud esse *munus ab obsequio,* aliud *munus a manu,* aliud *munus a lingua. Munus a manu, pecunia est, munus a lingua, favor, munus ab obsequio est subjectio* (alii legunt *servitus*) *indebite impensa.*

Per *munus igitur a manu* intelligitur pecunia *cit. cap. Sunt nonnulli* — ibi — *Munus a manu pecunia est.* Pro pecunia autem venit omnis res temporalis pretio aestimabilis, sive mobilis, sive immobilis, ut sunt equi, currus, vasa argentea, aurea, dolia vini, jura, census, pensiones, mu-

tuatio pecuniae, debiti remissio, seu dilatio, aut anticipata solutio debiti nondum finito termino, et hujusmodi. *Communis* per text. *in cap. Totum 6, caus 1, qu. 3,* — ibi — « Totum quidquid homines habent in terra, omnia quorum Domini » sunt, pecunia vocatur, servus, vas, ager, arbor, » pecus, quidquid horum est pecunia dicitur. Ideo » autem pecunia vocata est, quia antiquitus quod » habebant, in pecoribus habebant ».

Per *munus ab obsequio* intelligitur quodcumque ministerium, servitium, seu obsequium temporale tacito, vel expresso pacto pro re spirituali praestitum, vel praestandum, et hoc praesertim pro beneficio, ita nimirum, ut beneficium detur, et acceptetur in compensationem ejusmodi ministerii, servitii, seu obsequii velut in mercedem; et solutionem ex justitia loco alterius mercedis temporalis solvendae. *Comm. argum. cap. Cum essent 12 de Simonia, et cit. cap. Sunt nonnulli* — ibi — *Munus quippe ab obsequio est subjectio indebite impensa.*

Per *munus a lingua* intelligitur omnis laus, commendatio, patrocinium, advocatio, intercessio, et alia hujusmodi quae tacito, vel expresso pacto pro beneficio, aut alia re spirituali interponuntur, vel interponendae promittuntur, aut exiguntur apud Principem, communitatem, magnatem etc. *Communis arg. cit. cap. Sunt nonnulli* — ibi — *Munus a lingua favor.*

His positis si quis quaereret, utrum munus

ab obsequio, et munus a lingua constituant materiam, seu pretium simoniae, nonnisi affirmativum responsum dari debet, quoties munus illud ab obsequio, et a lingua praestetur vel ex debito, seu ex obligatione justitiae ut intuitu illius detur spirituale, vel quoties datum est spirituale pro tali munere praestito vi pacti expressi, aut taciti: nam sicut munus a manu, ita quoque munus ab obsequio, et munus a lingua est temporale, et pretio aestimabile, ceu docet S. Thomas *in 2.2, qu. 100 a 5.* — ibi — *Idem est, quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data, vel promissa, quia illud obsequium aestimari posset.* Hinc si fiat ex pacto, et obligatione justitiae pro aliquo spirituali vim habet pretii simoniaci, quo spirituale emitur.

Ex his patet, quod Simonia est servire Episcopo sine salario, vel cum salario modico, at pacto expresso, vel tacito, ut loco salarii, beneficium servienti conferatur. Verum si gratis hic servitium praestet, vel sub spe obtinendi beneficium, nolens tamen ex justitia Episcopum, vel Patronum obligare, tunc per se loquendo non est simonia, cum non praestetur munus ab obsequio, ut intuitu illius ex justitia detur beneficium. Verumtamen hoc valde periculosum est, praesertim ante collationem beneficii, tum quia in foro externo speciem simoniae praesefert, et scandalum generat, tum quia inducit in peccatum acceptionis personarum, tum quia ser-

vitia gratuita, sicut munera, plerumque excaecant, et degenerando in obligationem justitiae simoniam secum trahunt.

Magna igitur cautione opus est, ne facile divina dona obsequiis pendantur. Agitur enim de simoniae vitio, quod utpote ex avaritia, aut ex ambitu proficiscens facile invadit mentes hominum: agitur de simoniae vitio, quod speciosa pallia quaerere, et inducere solet. Hanc ob rem vir prudentissimus S. Carolus Boromeus in concilio Mediolanensi secundo, in constitutione adversus simoniacos *n. 13* monuit, atque obtestatus est Episcopos, aliosque, quibus jus est beneficia conferendi, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi hoc subsidio destituti beneficia Ecclesiastica tamquam suae operae, ac laboris pretium praecipue sibi proponant.

Similiter Simonia est offerre preces, vel commendationes v. g. laudabo, vel commendabo te apud Principem, si mihi, vel huic meo clienti beneficium, vel in electione suffragium dederis: vel contra do tibi beneficium, vel suffragium, ut me apud Principem commendes, vel pro me preces interponas etc. Verum dare spirituale propter causam temporalem nulla intercedente obligatione justitiae non est simonia. Ita communis. Nam simonia fundatur in contractu emptionis, et venditionis, seu ut spirituale pro temporali, vel e contra detur per modum commutativae compensationis ex justitia; ergo dare spirituale propter

causam temporalem, nulla intercedente obligatione justitiae, non est simonia.

Hinc colliges I.° Non esse simoniam, si quis alicui conferat beneficium intuitu consanguinitatis, amicitiae, et familiaritatis; et ratio est quia confert gratis, nec aliquam petit compensationem ex parte collatarii. At si aliquis dat beneficium Ecclesiasticum alicui, hoc pacto ut exinde suis provideat consanguineis, hoc in casu manifesta est simonia; nam sic dando imponit collatario obligationem justitiae compensativam collationis.

Colliges II.° Quod si quis pro se interponat preces commendationes, adulationes, ut beneficium obtineat, et collator, vel patronus ad has preces, commendationes, et adulationes confert beneficium illud, hoc in casu neuter simoniam committit, quia collatio tunc est gratuita, non vero ex justitia compensativa precum, vel adulationum. Quin obstet *can. 113 ordinationes 1.° q. 1.* Siquidem collatio ad preces facta, tunc simoniaca est dicenda, quando preces per illam emuntur, minime vero quando hujusmodi preces sunt causa tantum impulsiva ad collationem, uti patet ex *cap. 34 h. t. can. 121 et seq. 1.° q. 1ª.* Verumtamen si collator daret beneficium ut collatarius ei faceret jocos, vel compareret ad colludendum, tunc aperta foret simonia.

Colliges III.° Quod qui dat beneficium debitori metu amittendi debitum, non est simoniacus,

quia illud dat gratis, at si apponat pactum, seu conditionem, ut beneficiatus debitum solvat, tunc quisque videt collationem hanc esse simoniacam; additur enim nova obligatio.

Colliges IV.° Quod dare, vel promittere temporale Ministro, vel famulo Episcopi, collatoris, ac patroni, non ut pro dante intercedat, aut ipsum commendet, sed tantum ut audientiam procuret, vel aditum faciat apud ipsum monendo v. g. adesse qui audientiam petit, vel aliquid proponere habet, aperiendo januam, aut monendo supplicantem, quando sit opportunum audientiae tempus, non est simoniacum, quia hujusmodi obsequium, quod a tali famulo, vel ministro praestaretur, est quid mere temporale, et quid indifferens, nullamque connexionem cum spirituali habens, et nulla etiam ratione causa illius moralis est; et consequenter temporale pro illo dare, ac promittere omni labe simoniae caret.

Imo ex eadem ratione non tantum memoratis ministris, et famulis, sed etiam ipsis, qui pro aliquo ad obtinendum beneficium intercedunt, potest promitti, et dari aliquid temporale, non quidem pro precibus, intercessione, aut recommendatione, sed pro labore, quem occasione hujus subire debent v. g. eundo, et redeundo, vel scribendo supplicem libellum; ac multo magis si propter operam alicui impensam lucrum cessans, aut damnum emergens patiuntur. Dummodo non plus detur, quam hujusmodi labor, aut lucrum

cessans, vel damnum emergens spectatis personae, et aliis circustantiis revera valet; alias enim simonia non evaderetur, uti bene observat Palao, qui etiam cum aliis monet pro labore, quem intercessores, aut recommendatores ejusmodi eundo redeundo, vel scribendo subeunt, temporale dare, aut praestare valde periculosum, et ideo in praxi ab eo abstinendum esse; cum plerumque aut intuitu precum, et recommendationis, et non laboris temporale promittatur, aut certe in dando temporali respectu laboris excedatur, sicque labes *simoniae* contrahatur, hoc ipso quod excessus ille, non intuitu laboris, sed precum, aut beneficii desiderati fiat. Ita Reiffenstuel *h. t.* § *7° n. 127 et 128*. Sed ad poenas simoniae progrediamur.

De poenis contra simoniam statutis.

Improbum simoniae crimen semper Ecclesia detestata est, et ideo semper contra hujus criminis reos insurrexit. Sane probe nescens Ecclesia, quod *plures potius poenarum gravitas, quam Dei timor arcere solet a voluntate peccandi*, ceu monet Paulus II in *Extravag. Cum detestabile h. t.*, ad eliminandum hoc perniciosissimum simoniae vitium varias, et gravissimas poenas contra illud constituit.

At cum simoniae species multiplices existant, uti superius jam vidimus, ideo inspiciendum, atque examinandum nobis occurrit, utrum contra omnes

istas species statutae sint poenae canonicae. Porro hoc examine peracto nullum invenimus canonem, qui poenas decernat contra simoniam *mentalem*, et *conventionalem*, sive *pura* ipsa sit, sive *mixta*. Non contra *mentalem*, quia cum ipsa intus lateat in corde, nulla Ecclesiastica poena coerceri valet, sed solum scrutatorem cordium Deum habet ultorem *Cap. 33 et seq. De simonia. Devoti h. t.* § *1.* Si autem quaeratur, cur contra hanc *simoniam* Ecclesia nullam statuerit poenam, rationem reddit Papa *Cap. Tua nos 34 h. t.* scilicet quia — *Ecclesiae datum est de manifestis tantum judicare: de internis enim apud districtum Judicem (qui scrutator est cordium, et cognitor secretorum) culpabiles judicantur.* Hinc patet, quod rei simoniae mentalis, licet in hoc mundo nullas juris poenas incurrant, poenas tamen manus Divinae non evadent, nisi condignam agant poenitentiam.

Non contra simoniam pure, seu mere conventionalem, qua quidem pactum externum dandi temporale pro spirituali, aut e contra intervenit, sed nulla tamen ex parte adhuc adimpletum est, quia canones, in quibus statuuntur poenae contra *simoniacos*, non loquuntur de puris conventionibus, sed actibus externis, et consumatis inde provenientibus, actuali nempe datione, et receptione, uti patet ex verbis citat. *Extravag. Cum detestabile 2 h. t.* — ibi — *Universi, qui dando vel accipiendo simoniam commiserint, sententiam*

excommunicationis incurrant. Item ex illis verbis — *tam dantes, quam accipientes* excommunicationis sententiis subjaceant. Ita *Extravag. sane cit. loc.*

Utrum vero contra *simoniam mixtam* poenae statutae sint, non levis est controversia apud Doctores. Alii enim affirmativam sententiam tenent huic praeter caeteras innixi rationi, scilicet quia in *Extravag. Cum detestabile h. t.* poenae imponuntur sub disjunctione illis, qui *dando, vel recipiendo simoniam commiserint*, et consequenter videtur sufficere eam ex una parte esse completam, licet nondum ex altera ecc. Alii vero negativam amplectuntur, quia nullibi in jure reperitur aliqua poena clare expressa contra aliquam *simoniam conventionalem mixtam*, seu utrinque nondum completam: atqui in dubio poena non est asserenda juxta *Cap. In poenis 49 De regul. jur. in 6* — ibi — *In poenis benignior est interpretatio facienda*, et juxta *leg. 42 ff. De poenis* — ibi — *Interpretatione legum poenae molliendae sunt potiusquam exasperandae*, et denique juxta *Cap. 30 De regul. jur. in 6* — ibi — *In obscuris minimum est sequendum*. Ergo etc.

Ex quibus prono fluit alveo, quod inspectis sacris canonibus simonia *realis* tantum plectitur Ecclesiasticis poenis; et merito: quia haec proprie considerata est, ceu crimen publicum, quod revera christianae reipublicae nocet, dum binae aliae species simoniae, licet ratione simoniae co-

ram Deo, id est ratione culpae completae sint, non tamen uti publica delicta, sed uti conatus ad crimen considerantur.

Excipitur tantum cum Fagnano *in cap. Nobis h. t. n. 13* simonia conventionalis commissa in electione Summi Pontificis; nam in hanc Julius II. *Constit. cum tam Divino* poenas statuit, ut patet ex verbis ipsis praefatae Constitutionis, scilicet *in dando, promittendo, vel recipiendo pecuniam,* item *promissiones, et obligationes;* idque ex speciali ratione, videlicet, ut eo sanctius celebretur gravissimum negocium electionis Pontificis Summi Christi in terris Vicarii.

Simonia itaque *realis* tantum punitur determinatis a jure poenis, licet non in omnibus, sed in tribus solum casibus, scilicet: I.° In ordinum susceptione et collatione. II.° In ingressu, ac receptione ad ordinem religiosum. III.° In conferendis, et acquirendis beneficiis.

Sane quoad susceptionem, et collationem ordinum haec statuta sunt. Ex veteri Ecclesiae disciplina, qui simoniae crimen commisisset, deponebatur, si Clericus erat; si vero laicus excommunicabatur. Illa autem Clerici depositio perpetua erat, adeo ut ipse nunquam gradum suum recuperaret, et poenitentiam, quandiu viveret, in monasterio agere cogeretur. *Can. 7. caus. 1. quaest. 1.* Perpetua haec depositio ab antiquis canonibus constituta ad simoniacas ordinationes proprie pertinebat. Non enim beneficia sejuncta erant ab ordi-

natione; sed Clericus, cum ordinabatur, certae adscribebatur Ecclesiae, cui servire debebat, et cujus reditibus alebatur. At cum beneficia ab ordinatione sejungi caeperunt, vetusti canones de simoniacis ordinationibus ad simoniacas beneficiorum collationes traducti sunt *Can. 9. caus. 1. quaest. 3.* Devoti h. t. § 9, et 10.

Jure sed vero novo, et novissimo depositionis poenae, qua simoniace ordinantes, et ordinati plectebantur, suffectae sunt sequentes 1.° Simoniacus ordinum collator incidit ipso facto in excomunicationem Papae reservatam juxta *Extrav. 2. h. t.* 2.° in suspensionem ab omnium ordinum, etiam primae tonsurae collatione, et ab omnium munerum Pontificalium usu quam suspensionem, licet antea triennalis esset, *cap. 45. h. t.*, Sixtus tamen V perpetuam fecit. 3.° denique in interdictum ab ingressu Ecclesiae, reservata Summo Pontifici harum censurarum absolutione, quamquam simonia sit occulta. Qui vero ordines simoniace recepit praeter excommunicationem ipso facto incurrendam manet non ab ordine tantum simoniace recepto, sed a caeteris etiam aliis suspensus, donec a Summo Pontifice veniam non obtinuerit. Si vero tam Ordinans, quam ordinatus hujusmodi suspensionem violaverint, Ordinans praeter irregularitatem, a regimine, et administratione suae Ecclesiae, et fructuum omnium ex beneficiis suis provenientium perceptione suspenditur. Ordinatus vero praeter quam quod et ipse irregularis fiat,

si saecularis sit, incurrit privationem officiorum, et beneficiorum, et ad ea inhabilitatem: si vero regularis, privationem vocis activae et passivae, et ad eam inhabilis redditur. Ita cit. Constitutio Sixti V. *Sanctum, et salutare.*

Hisce tamen non obstantibus quaeri hic posset: erant ne antiquitus validae ordinationes? videretur dici posse eas fuisse invalidas, siquidem *Extravag. 2. h. t. inter communes* revocavit, et renovavit contra simoniacos poenas veterum canonum; atqui veteres canones *vacuas* dicebant has ordinationes, ergo etc. Verumtamen dicendum est, quod ordinationes simoniacae validae erant, quia substantialia ordinis adamussim verificabantur, et revera uti tales agnitae fuerunt ab Ecclesia, siquidem in ipsis canonibus simoniace ordinati uti valide ordinati habentur, dummodo absolutionem a censuris obtinuerint. *Vacuae* autem dictae fuerunt ordinationes 1.° quia non concedebant ordinis exercitium, 2.° quia non concedebant congruam portionem fructuum bonorum Ecclesiasticorum.

Insuper quaeri hic ulterius posset: cur antiquitus crimen simoniae saepe saepius committebatur, ceu antiqui canones perhibent, hodie vero vix aliquod vestigium simoniacae ordinationis reperitur? Responderi potest, id repetendum esse ex diversa oeconomia Ecclesiae, siquidem antiquitus sacrae ordinationi conjuncta erat collatio beneficii, ceu superius innuimus, hinc mirum non est, quod pluries simonia committeretur in collatione,

et susceptione ordinum. Hodie autem cum collatio, et susceptio ordinum separata sit a collatione beneficiorum; titulo enim beneficii accessit alter titulus patrimonii sacri, hinc raro, imo rarissime simonia committitur.

Post haec quaerere hic haud immerito quis posset, utrum supracitatae poenae contra simoniam in ordinum collatione admissam adhuc vigeant? Hujusmodi quaestioni responderi potest, in Constitutione *Apostolicae Sedis* Pii IX expressam non haberi mentionem harum censurarum. Verumtamen haec constitutio declarat confirmari censuras a Concilio Tridentino latas. Porro in *sess. 21, Cap. 1 De reformatione* expresse prohibetur, quominus in ordinationibus aliquid detur, vel recipiatur, etiam sponte oblatum, ita ut si quis huic dispositioni contraiverit, ipso facto incurrat poenas a veteribus canonibus contra simoniacos inflictas. Nullum igitur dubium est, quod per Constit. *Apostolicae Sedis* confirmantur censurae a Tridentino *expresse et directe* inflictae.

At quid dicendum de censuris, quas idem Concilium Tridentinum non expresse, sed verbis tantummodo generalibus, seu invocando veteres canones decernit? Authentica responsio nondum data fuit; at nos putamus hujusmodi censuras in praefata Constit. *Apostolicae Sedis* haud comprehendi, tum quia, si adhuc vigerent censurae omnes, ad quas Concilium Tridentinum verbis generalibus sese refert, nec certus, nec determinatus censu-

rarum numerus esset, quod menti, et voluntati S. Pontificiis refragatur, quandoquidem hoc evitare voluit S. Pontifex in citat. Constit. '*Apostolicae Sedis*, ceu clare patet ex verbis ejusdem — ibi — *Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, Nobis proponi iussimus* etc., tum quia superallata Constit. confirmat censuras, quas Concilium Tridentinum inflixit. Porro quando Concilium renovat antiquorum canonum poenas, non est ipsum, quod poenas decernit, sed potius canones antqui. Hinc patet, quod per dictam Constitutionem confirmantur solummodo censurae, quas Tridentinum directe, atque explicite constituit. Quapropter concludimus in Constitutione *Apostolicae Sedis* non comprehendi censuras illas, quas Concilium verbis tantummodo generalibus, seu veteres canones invocando decernit.

Modo descendamus oportet ad simoniam, quae committitur in ingressu, et professione religiosa, et ad poenas obiter recensendas, quae a jure canonico hac super re statutae sunt. Dubitari minime potest, quod ingressus in ordinem religiosum, et professio religiosa consideretur uti res spiritualis, hinc patet, quod si aliquid temporale exigitur tanquam conditio ad receptionem personae, vel ad emittendam professionem in ordine religioso adprobato simonia committitur, et quidem juris divini. Est certa, et unanimis ex claris juribus *Cap. 8. 19, 30, 40 h. t. et Extrav. 1. h. t. inter communes.* Imo ex cit. *Cap. 30* injungitur Episco-

pis, ut poenis Canonicis procedant contra *simoniace* recipientes, et ingredientes ad Religionem, non obstante multitudine delinquentium. Et merito; fit enim hoc modo comparatio inter spirituale, et temporale, in qua consistit simonia. Quin suffragari valeat contraria consuetudo: ipsa enim uti corruptela reprobatur a sacris canonibus, et praesertim a citata *Extrav. 1. h. t.* Verumtamen ex hoc minime descendit, quod non possit *sponte* aliquid temporale donari familiae religiosae, quia in tali actu, cum nec pactum, simoniacum, nec ratio pretii temporalis pro re spirituali verificatur, simoniae periculum procul abest. Ita *Cap. Dilectus 30 h. t., et Extravag. sane 1. h. t.* Et optimo sane jure: Conceptus enim Ecclesiastici juris prohibentis in themate praestationem rei temporalis in eo consistit, ut arceatur comparatio inter temporale et spirituale. Quaproter si alter titulus subintret, dubium non est juxta DD., et Canonistas, quod exigi valeat ab ingredientibus religionem aliquid temporale.

Hoc sed vero titulo exulante, ac penitus excluso simonia committitur, et poenae in ingressu, et receptione ad ordinem religiosum sunt sequentes. Qui propter ingressum in Religionem, Religiosamve professionem dant, aut accipiunt pecuniam, non quidem pro honesta substentatione, sed pro ipso ingressu, seu pro ipsa admissione, si sunt personae singulares incidunt ipso jure in excommunicationem S. Pontifici reservatam, quae

renovata fuit a Const. *Apostolicae Sedis,* sub n. 10, incidunt autem in suspensionem ab officio capitulari ad jurisdictionem, vel administrationem pertinenti, si fuerint Religiosi capitulariter congregati. De qua suspensione cum nulla mentio fiat in praefata Const. *Apostolicae Sedis*, desiisse dicendum est. Praeterea tam simoniace recepti, quam majores monasterii personae, ac superior sunt e monasterio pellendi, atque in arctius monasterium ad poenitentiam detrudendi. *Cap. 19, et 40 De Simon., Extrav. 1ª De Simon. Ferraris* v. *Simonia* § *4, et 5. Devot. h. t.* § *13.*

At nunquam ne licebit monasteriis, et conventibus exigere aliquid ab ingredientibus in religionem? Si standum est stricto juri expresso in *Cap. 40, et in Extravag. 1. h. t. inter communes* interdictum est monasteriis exigere aliquid etiam titulo paupertatis, idest titulo necessariae substentationis, eo quod putatur religiosos sustentandos esse bonis, et eleemosynis monasterii, ideoque haud plures esse recipiendos, quam possent sustentari reditibus monasterii, vel consuetis eleemosinis. *Cap. unic. de Statu Regul.* § *Sane. Trid. sess. 25 de Regularib. cap.* 3. At clarissimus Reiffenstuel *h. t.* § *9* pro aris, et focis tuetur, ac substinet, quod monasteria et conventus inopia laborantes, non autem divites, licite, et consequenter absqne *Simoniae* labe petere et accipere possint temporalia ab ingredientibus Religionem, non qùidem pro ipso ingressu, seu pro admissione ad

Religionem, vel Professionem, sed pro honesta sustentatione ingredientis. Idque praeter caeteros probat auctoritate S. Thom. *2. 2. qu. 100. a. 3. ad 4*. Dein vero singillatim respondet argumentis et auctoritatibus in contrarium super allatis. Verum quidquid sit de hac varietate opinionum lex generalis a Concilio Tridentino approbata *in Cap. 16 sess. 25 de Regularib.*, et communis tum viris, tum mulieribus religiosis est, ut nihil recipi possit ultra expensas pro victu, et vestibus tempore novitiatus. Haec tamen lex pro viris religiosis remansit, at pro faeminis religiosis sensim, et sine sensu introductus fuit titulus exigendi dotem eum ad finem, ut honeste substentari possent faeminae istae religiosae. Quin obsit floridus status praesens familiae religiosae, quia experientia compertum fuit, opulentissima monialium monasteria paullatim ad inopiam vergere sine hujusmodi subsidiis. Hinc optime cautum fuit, ut quaelibet monasteria, licet opulenta valeant a quibusque puellis Religioni nomen dantibus dotale subsidium exigere. Ben. XIV *De Syn. Dioec. lib. 11, Cap. 6.*'

Sed quid tandem de poenis statutis propter simoniam mere realem in beneficiis? Ipsae sunt I.° Excommunicatio latae sententiae, Papae reservata, tam in collatores, eligentes, postulantes, praesentantes, commendantes, quam acquirentes. *Extr. 2 De Sim.* Pius V. Constit. *Quamprimum:* Quae poena renovata fuit a Constitutione *Apostolicae Sedis* sub numero 8, ubi legitur inflicta excom-

municatio contra = *reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices*. II.° Nullitas collationis, et acquisitionis, ex qua fit, ut beneficium etiam ante sententiam judicis debeat a Beneficiato dimitti, perceptique fructus restitui, quamquam non ipse, sed tertius, eo licet ignorante, pecuniam dederit, dummodo tamen pecunia data non sit in fraudem, vel nisi bona fide per triennium possederit beneficium. *Can. Si quis caus. 1.ª q. 1.ª Cap. 23, De Simon. et cit. Constit. Pii V.* III.° Perpetua inhabilitas ad beneficium illud obtinendum *Cap. 59 De Elect. Cap. 27, De Simon. cit. constit. Pii V.* Insuper per judicis sententiam qui simoniace beneficium aliquod obtinuit, potest etiam aliis beneficiis prius canonice impetratis privari; declarari inhabilis ad alia beneficia in posterum assequenda; ab altaris denique ministerio in perpetuum deponi. *Cap. cum supra De Confes., Cap. 11 De Simon.* Sed quaenam poenae decretae sunt pro simonia confidentiali? De hoc sequens articulus

Poenae contra simoniam confidentialem statutae.

Quae hucusque dicta sunt de poenis contra simoniacos, referuntur, ac respiciunt simoniam realem. At quid dicendum, si confidentialis, seu fiduciaria fuerit simonia? Tunc poenae contra ipsam statutae sunt sequentes: I.° Excommunicatio Papalis ipso facto incurrenda, quae renovatur etiam in Constit. *Apostolicae Sedis*, in qua inter excommunicationes latae sententiae Summo Pon-

tifici reservatas simpliciter sub num. 9 recensetur excommunicatio contra — *Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.* II.° Privatio non tantum beneficii in confidentiam obtenti, sed caeterorum omnium beneficiorum, et pensionum, quamvis legitime, et canonice assequutae fuerint, pro quibus tamen requiritur declaratoria judicis etc. III.° Inhabilitas ad idem beneficium, et alia quaecumque inposterum assequenda. IV.° Fructuum omnium ex illo simoniaco beneficio nulliter perceptorum applicatio Camer. Apostolicae. V.° Reservatio Pontifici ejusdem beneficii, adeo ut nemo alius valeat illud conferre. In hasce autem poenas incurritur, quamquam non utrimque, sed ex una tantum parte impleta, et consumata fuerit simonia. Ita Pius IV, *Constit. Romanum Pontificem*, Pius V, *Constit. Intolerabilis*, Ferraris *ibid. n. 26, et sequen.*

Hisce absolutis sponte veluti sua exurgunt hae quaestiones. 1.° Provisis de beneficio per ingressum simoniacum prodestne regula 36. Cancellariae de triennali possessione? 2.° Quatenus negative, idem ne dicendum est, tam si simoniam commisit possessor, quam si tertia persona? Ad 1um respondetur non prodesse: clara enim sunt verba regulae Cancellariae. Ad 2um respondemus, DD. et Canonistas non convenire in hoc puncto. Alii enim solum factum simoniae attendentes tenent, idem esse, si simoniam commisit possessor, quam si tertia persona. Alii vero tradunt possessori non

nocere simoniam a tertio commissam, quia possessio non vitiatur, nisi ex facto possessoris. Nunc pauca

De simonia in administratione sacramentorum sacramentalium, et actuum muneris sacri ex gr. benedictionum, precum etc.

Vidimus de simonia, et poenis relativis in ordinum collatione, et susceptione, vidimus de simonia, et paenis relativis quoad beneficia, et tandem de simonia, ejusque poenis in ingressu ordinis religiosi, et professione religiosa. Superest igitur, ut aliquid modo raptim proferamus de simonia in administratione sacramentorum, et sacramentalium.

Quod simonia, et quidem juris divini committatur in administratione sacramentorùm, et sacramentalium, quoties temporale praestetür, et accipiatur ex pacto expresso, vel tacito tanquam pretiùm administrationis, id extra omne dubium èst. Ita Communis, et certa ob clara jura *Cap. Cum Ecclesia 9*, *Çap. Ad Apostolicum 42. h. t.* Item *Can. 1. et 2. caus. 1. q. 1.* Ratio est, quia hoc in casu adamussim verificatur proprie dicta comparatio spiritualis cùm temporali, in qùo consistit vera, et propria malitia simoniae etc.

Verumtamen simoniae labes procul esse potest, imo penitus exulat, si verificetur aliquis titulus honestus ad temporale pro spirituali recipiendum. Titulus autem iste potest esse vel *sti-*

pendii, et elemosynae, vel laboris extrinseci, quia in hoc sensu non daretur, nec recipiretur temporale tanquam pretium, sed tantum uti titulus stipendii, et honestae substentationis Clericorum, qui altari deserviunt, ideoque de altari vivere debent. *Can. Ex his 22. caus. 12. quaest. 1.* Idque valet non modo quoad Clericos inopes, sed etiam quoad divites. Imo non solum in vim tituli stipendii ad honestam sustentationem possunt recipere ea, quae sponte a fidelibus offeruntur, sed etiam possunt illa exigere, et pacisci, modo specialis non obstet juris prohibitio. *Gloss. in Cap. significatum de Praebend.* Reiffenstuel. *h. t. n. 186, et seq.* Quod autem hic sit spiritus, mens, atque intentio Ecclesiastici juris mirum in modum colligitur ex *Cap. 42. h. t.* quod ut recolatur adprecor.

Sed nedum simonia exulat in administratione sacramentorum, et sacramentalium, si verificetur tilulus stipendii, et elemosynae, sed etiam si verificetur titulus extrinseci laboris. Quod ut probe intelligatur, sciendum est, duplicem in hujusmodi functionibus spiritualibus distingui laborem: unum iisdem intrinsecum, qualis est, qui adhibetur in ipsa celebratione Missae, vel collatione ordinum, et est ab his functionibus inseparabilis; alter, qui est illis extrinsecus, et ab iis per se separabilis, ut quod celebraturus missam debeat expectare certam horam, aut alienum nutum, quod debeat facere iter, vel adire certum locum etc. Iamvero titulo compensationis laboris intrinseci peti, vel

accipi nihil potest in administratione sacramentorum, et sacramentalium, cum aestimationem ab ipso actu distinctam non habeat; potest autem titulo compensationis laboris extrinseci juxta prudentem aestimationem exigi, et percipi, dummodo non sit labor ex alio titulo debitus v. g. ex officio, fundatione, contractu etc. tunc enim nihil potest exigi absque peccato simoniae ob extrinsecum laborem. Sed alter articulus nos vocat, scilicet

De judice, accusatore, teste,
et de restitutione facienda in simonia.

Nunc vero videamus obiter, quis judex, accusator, et testis esse possit in materia simoniae, et an, et quomodo facienda sit restitutio in eadem materia? In causis simoniae nullus alius potest esse judex, nisi Ecclesiasticus; idque sive reus sit Clericus, sive sit laicus. Et ratio manifesta est, quia simonia versatur circa objecta spiritualia, aut spiritualibus annexa, hinc causam nonnisi spiritualem esse in omnium oculos insilit. Atqui scitissimi juris est cognitionem causarum spiritualium, earumque sententiae pronunciationem ad solos judices Ecclesiasticos privative pertinere, ceu in titulo de Foro competenti vidimus, ergo etc.

Verum est ne aliquid speciale in hoc simoniae judicio? Certum est simoniae crimen utpote facile latens, et christianae societati valde perniciosum,

inter crimina excepta annumerari. Hinc hoc speciale habet, ut quisque catholicus, etsi criminosus, et de simoniae labe infectus possit esse non modo accusator, sed et testis. Ita textus expressus in *Cap. 7, h. t.* — ibi — *Tanta est labes hujus criminis, ut etiam servi erga dominos, et quilibet criminosi admittantur ad accusationem.* Et quidem non modo contra dantem, sed etiam contra recipientem aliquid *simoniace. Arg. Cap. Non satis 8, h. t.* Verumtamen licet criminosus possit esse etiam testis contra *simoniam*, id tamen locum habet, modo non sit capitalis inimicus Rei, aut conspirator in eum, et de crimine fuerit *emendatus,* ut satis clare habetur in *Cap. Licet Heli. 31, et Cap. Per tuas 32 h. t.*

Illud insuper etiam peculiare habetur in hoc simoniae crimine demonstrando, ut quoties agatur non de beneficio assequuto, sed assequendo, ceu docet S. Congregatio Concilii *in Tolentinanen. institutionis 28 Augusti 1847* § *quod spectat,* non requirantur plenissimae probationes, et luce meridiana clariores, sed probari potest argumentis etiam adminiculativis, et indiciis, quae vehementem atque violentam praesumptionem facientia inducant moralem certitudinem, et Reum convincant. *Arg. Cap. 30 h. t.* Secus autem est, quoties agitur, ut aliquis amittat beneficium, quod jam fuerat simoniace consequutus. Ita citata mox decisio *S. Cong. Concil. eod. loc.*

Sed ad alteram quaesiti partem transeamus,

idest ad restitutionem faciendam in materia Simoniae. Hujusmodi restitutio vel respicit spiritualia, vel temporalia *simoniace* recepta. Si primum, idest si respicit spiritualia *simoniace* recepta, nulla obligatio est restituendi hoc spirituale *simoniace* receptum, exceptis beneficiis Ecclesiasticis, quia nullum, nec divinum, nec humanum reperitur jus hujusmodi obligationem inducens, praesertim cum illam pro temporali comparans non contra justitiam, sed praecise contra religionem peccet. Quin dicatur, quod eodem modo quo obligatur restituere, qui *simoniace* recepit temporale pro spirituali, ita obligatur qui accepit spirituale pro temporali; non enim currit paritas, quia qui accepit temporale pro spirituali fecit injuriam danti, utpote qui spirituale gratis dare debuisset juxta mandatum Christi — *Gratis accepistis, gratis date. Math. 10.* E contra qui spirituale accepit pro temporali tradenti non fecit injuriam, utpote qui illud alias gratis dare debuisset.

Dixi *exceptis beneficiis*, nam qui beneficium aliquod Ecclesiasticum *simoniace* accepit, sub gravissimo peccato tenetur ante omnem judicis sententiam illud una cum omnibus fructibus perceptis restituere, ac dimittere, etiamsi *Simonia* sit occultissima, et quidem si *Simonia* est *confidentialis*, etiam pretio non soluto; si vero est *communis Simonia*, tunc, quando utrimque saltem ex parte est jam completa, accipiendo spirituale, et tra-

dendo temporale saltem quoad partem. Ita unanimis, et certa.

Si vero secundum, idest si restitutio respicit temporalia *simoniace* accepta pro spirituali, tunc qui accepit temporale sub conditione dandi, vel praestandi spirituale, et conditionem non implevit, jure divino, et naturali ex justitia tenetur restituere acceptum, eo quod nullus nec apparens adsit titulus retinendi; secus DD., et Canonistae innixi *Cap. 11. h. t.* tradunt Illum, qui *simoniace* accepit temporale pro spirituali sub gravi teneri ad restitutionem ante omnem sententiam judicis, quia sine salutis periculo illud retinere non valet. Hinc qui *simoniace* accepit temporale pro, vel propter beneficium aliquod Ecclesiasticum ex. g. quia ad illud aliquem elegit, vel postulavit, vel praesentavit, vel commendavit, vel idem alicui contulit, vel resignavit, tenetur sub gravi ante omnem sententiam judicis restituere (si materia est gravis quoad temporale). Ita omnes et praesertim S. Thomas *2, 1 q. 100 art. 6 in corp.* Reiffenstuel *h. t. n. 287* et seq.

At cui facienda est restitutio temporalis *simoniace* accepti intuitu beneficii? Resp. temporalia *simoniace* accepta intuitu beneficii Ecclesiastici sive ob collationem, sive ob nominationem, electionem, etc. jure naturali ante sententiam judicis ipsi danti, sed *de jure Ecclesiastico* restitui debet non ipsi danti, sed Ecclesiae, in qua beneficium est situm ad monitum *Cap. 11 h. t...* Et

ratio est, quia in poenam delicti privandus est re sua.

Verum quid dicendum de temporali *simoniace* accepto pro ingressu ad Religionem? Respondet Papa *in Extrav. Sane h. t.*, illud retineri posse a monasterio, vel conventu, dummodo non in privatum usum Abbatis, vel Abbatissae, vel alterius, sed in communem usum convertatur.

Qui vero temporalia *simoniace* accepit pro collatione Ordinis, aliorumque Sacramentorum, vel Sacramentalium, quae conferuntur sine damno aut incommodo temporali conferentis, de jure Divino ante omnem sententiam judicis restituere debet, quia sicut gratis accepit, ita et gratis dare debet. Dixi *sine damno*, aut *incommodo conferentis*, quia in casu, quo conferens sacramentalia subit damnum temporale, non tenetur ad restitutionem, si plus non exigit, quam res illa spirituali annexa valet. Ita Reiffenstuel *h. tit. n. 302*. Sed jam nos urget articulus

De causis, et titulis excusantibus a simonia, a poenis, et a restitutione.

Ast sunt ne causae aliquae, aut tituli excusantes a Simonia, ideoque a poenis incurrendis, et restitutione facienda? Multae recensentur a DD. et Canonistis; at nos gratia brevitatis unam, vel alteram in medium proferemus. Et 1.° excusat a Simonia ignorantia invincibilis, quia hujusmodi

ignorantia, ut a quovis alio, ita etiam a *Simoniae* peccato excusat. Quod autem a quovis alio peccato excuset, late probant Theologi, praecipue ex illo fundamento, quod ad peccatum requiratur consensus; ignorantis autem nullus est consensus, *leg. Si per errorem 15 ff. de Jurisdict. omnium judic.* Diximus notanter *invincibilis,* quia vincibilis, crassa nempe supina, vel affectata ignorantia, uti a nullo alio, ita nec a peccato simoniae excusare potest. Num autem quis revera habeat ignorantiam invincibilem, cuiusvis conscientiae relinquitur.

2° Excusat a Simonia *labor extrinsecus,* idest labor ille, qui functioni, aut ministerio spirituali est extrinsecus, et per accidens conjunctus, sine quo ministerium, seu functio illa spiritualis in se bene fieri posset; sic v. g. celebrationi missae *labor* extrinsecus, et per accidens conjunctus est itineratio per unam, vel alteram horam a loco distans: e contra vero pronunciatio verborum, motus membrorum etc. in celebratione missae necessarius, est *labor* missae *intrinsecus,* eo quod sine illo non item sine isto celebrari valeat. Ex quo consequitur, quod propter laborem extrinsecum aliquid temporale absque simoniae labe exigi possit, eo quod per hujusmodi conjunctionem haud perdit aestimationem, et valorem suum, quem ex se tamquam quid temporale habet. E contra vero nihil temporale exigi potest absque *Simonia* ob laborem intrinsecum,

quia hic ab ipsa actione sacra non distinguitur, sed cum ipsa unum opus efficit, totusque sacer est.

3° Excusat a Simonia *redemptio vexationis*. Quod ut recte intelligatur, distinctione opus est: vel quis patitur vexationem in jure spirituali jam plene quaesito, vel in jure spirituali nondum quaesito, sed adhuc quaerendo. Si primum dari potest aliquid temporale ad vexationem redimendam absque simonia, ceu docent *Can. Quaesitum 4 caus. 1, q. 3* et *Cap. Dilectus 28 h. t.* ubi Simoniae non arguuntur, qui ad redimendam injustam vexam, quam patiebantur in jure jam quaesito, temporalia dederunt. Et ratio est, quia illud datur non pro jure spirituali, utpote quod jam habere supponitur, sed pro tollenda, vel impedienda injusta molestia, et injuria; quod quid temporale praesefert. Si vero secundum, idest si vexationem patitur in jure spirituali nondum quaesito, sed quaerendo, tunc subdistinctione opus est: vel hujusmodi vexatio procedit ab eo, qui solum nocere, non autem prodesse potest ad tale spirituale v. g. beneficium obtinendum, et tunc a simoniae labe excusat dare quid temporale ad redimendam hanc vexationem etiam in jure spirituali nondum quaesito, sed quaerendo. Ratio est, quia etiam in tali casu non datur temporale pro spirituali jure acquirendo, utpote quia vexans ex supposito dare spirituali non potest, nec datur hoc temporale ut pro acquirendo illo

spirituali jure commendet, ac preces interponat, sed praecise, ut injusta impedimenta non ponat, aut injustam vexam non incipiat, vel incaeptam continuare desinat, quod cuivis licitum est: cum quivis jus habeat quaesitum in libertate, et fama sua. Vel procedit ab eo, qui de jure prodesse potest ad spirituale v. g. beneficium, et tunc dare quid temporale pro jure spirituali non excusat a Simonia. Ratio est, quia in tali casu temporale datum, vel promissum positive influit in collatione, et acquisitione spiritualis; seu licet solutio, vel praestatio rei temporalis dirigatur ad redimendam vexam, tamen verus finis est movendi voluntatem collatoris, vel alterius, qui partem directam habet in concessione juris spiritualis, illudque obtinendi, praestatione rei temporalis *Cap. 23 h. t.*

Huc cum pervenerit oratio, quaeri non immerito potest, utrum Clerici ad redimendam injustam vexationem petere possint a civili auctoritate *Regium placitum*, vel ut ajunt *Regium exequatur* in beneficiis ex legitima concessione sibi pleno jure competentibus, ut sacri muneris exercitium suscipiant, et capere possint possessionem bonorum temporalium? Certum, atque indubitatum in jure est, id in genere fieri haud posse: agitur enim de re ad Ecclesiasticam potestatem privative pertinenti, quae procul dubio independens est a civili potestate, ceu pluries innuimus, hinc ministri Ecclesiae hoc obsequium praestantes potestati civili

facto proprio viderentur agnoscere dependentiam aliquam, et subordinationem Ecclesiae erga civilem potestatem in collatione beneficiorum, et in exercitio jurisdictionis spiritualis, quod prorsus admitti nequit, ceu tractatores juris publici Ecclesiastici evidentissimis argumentis demonstrant.

Verumtamen sicut haec agendi ratio ex parte Guberniorum considerari potest, uti injusta vexatio, hinc ad vitanda mala majora permittitur Clericis, ut impune persolvere possint hujusmodi actum obsequii erga auctoritatem civilem, prouti constat ex praxi Ecclesiae, tum relate ad Clericos minores, et beneficia, tum relate ad Episcopos, et Abbates nullius cum jurisdictione quasi Episcopali. Agitur enim de redimenda injusta vexatione in exercitio juris jam plene acquisito. Ita Suprema Inquisitio die 2 Novemb. 1876.

TITULUS IV.

Ne Praelati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

Materies huius tituli affinitatem quandam habet cum praecedenti, hinc merito B. Raymundus hunc titulum appendicis loco heic subnectit.

Duae in ipso proponuntur quaestiones, quae relationem habent cum iis, quae sub superiori rubrica pertractatae fuerunt, scilicet, An permissum sit Praelatis alteri cedere vices suas sub annuo censu, seu an permissum ipsis sit alteri ce-

dere jurisdictionem, et auctoritatem propriam, vel etiam quodcumque aliud officium Ecclesiasticum sub determinata pensione? 2.° An ipsis permissum sit alteri cedere Ecclesias suas, seu temporalia Ecclesiarum suarum?

Antequam hujusmodi quaestiones resolvantur, operae pretium est nonnulla praemittere ad rectam, et claram interpretationem praesentis rubricae.

Praemittimus itaque: 1.° Istam rubricam habere completum, et determinatum sensum, ideoque regulam continere, quae loco canonis habetur interdicentis Praelatis constituere vices suas, vel Ecclesias suas sub annuo censu. 2.° Praemittimus sub nomine vicium suarum nihil aliud intelligi, nisi jurisdictionem, vel auctoritatem, quam habet Praelatus, sive Episcopus ipse sit, sive Episcopo inferior. Si Episcopus ipse fuerit, tunc sub nomine vicium suarum venit jurisdictio, et auctoritas, quam habet in propria dioecesi; si vero Episcopo inferior fuerit, tunc sub nomine vicium suarum, venit jurisdictio, qua ipse potitur in aliqua Abbatia, vel in aliqua Praelatura, sive primi, sive inferioris ordinis.

Imo ex *Cap. 2, et 3, h. t.* eruitur sub nomine Praelati non intelligi, et comprehendi illos tantum, qui Praelaturam habent, sed quemcumque habentem jurisdictionem Hac de re omnes isti dicuntur vices suas alteri cedere, quando cedunt jurisdictionem, quam habent, sive in toto, sive in parte. 3.° Praemittimus sub nomine Ecclesiarum suarum

nihil aliud innui, ac significari, nisi res temporales ad Ecclesiam propriam pertinentes, idest intelligi obventiones, proventus, reditus, et fructus, sive isti sint civiles, sive naturales, sive consistant in re mobili, sive in re immobili. Ita *Cap. 2. h. t.* Quando igitur Praelatus vices, et Ecclesias suas cedit, tunc intelligitur ipsum cedere, et jurisdictionem, et administrationem, lucrumque omnium fructuum. 4.° Praemittimus illa verba *constituere,* sive *concedere sub annuo censu,* nihil aliud significare, nisi facere hanc cessionem sub annua determinata pensione.

Hisce praemissis, et praenotatis ad quaestiones superius enunciatas veniamus. Ad 1.um quod attinet, respondemus ex *Cap. 1,* et ex *Concil. Trid. sess. 25, Cap. 11 de Reformat. vers. Non liceat.,* omnino interdictum esse Praelatis alteri cedere vices suas sub annuo censu, quia jurisdictio haec, cum sit spiritualis, absque simoniae vitio vendi, ac locari non potest, ceu in superiori titulo satis abunde probatum est. Ad rem Schmalzgruber *h. t. n. 3.* — ibi — Dicendum est, non posse » sub annuo censu, vel pensione concedi regimen, » et jurisdictionem ac potestatem spiritualem prae- » laturis, dignitatibus, officiis, et beneficiis anne- » xam. Patet id ex praesenti rubrica, et textibus » subjectis, ubi Alexander III ejusmodi concessiones » generaliter prohibet.... Concordat Trid. *sess. 25* » *cap. II, de Reformat.* ubi dicitur — *non liceat* » *etiam jurisdictiones Ecclesiasticas, seu faculta-*

» *tes nominandi, aut deputandi vicarios in spiri-* » *tualibus locare, nec conductoribus per se, aut* » *alios exercere, aliterque concessiones a S. Sede* » *Apostolica facta subreptitiae censeantur* Ratio » est quia sunt quid spirituale, aut spirituali an- » nexum, quod pretio temporali aequiparari nequit; « ita autem aequipareretur tam venditione, quam » locatione pro pretio temporali ».

Quin thesi nostrae aliquid obstaculi facere possit *Cap. 6 de Relig. dom.*, quo traditur, Episcopum remittere, idest dare posse religioso Ordini illam jurisdictionem, qua ipse gaudet, vel in aliqua Ecclesia, vel in aliquo monasterio cum onere solvendae annuae pensionis mensae Episcopali, quandoquidem annua illa praestatio, de qua *cit. cap. 6* non solvitur tanquam pretium, et aestimatio remissae jurisdictionis, seu non solvitur uti annua pensio pro jurisdictione ab Episcopo remissa Ordini Religioso, sed in recognitionem praeteritae subjectionis, et libertatis concessae, hinc nihil ad rem facit.

Multoque minus obstat, quod Episcopus possit, imo et debeat suo Vicario Generali, seu Officiali constituere salarium pro jurisdictione spirituali exercenda. Resp. enim, aliud esse jurisdictionem suam sub annuo censu sibi praestando aliis relinquere, aliud Vicario Generali constituere salarium; quia Vicarius recipit salarium per modum stipendii *arg. c. Charitatem 12 q. 1* — ibi — *Justum namque est, ut illi consequantur stipen-*

dium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium: imo pro laboribus temporalibus Officio per accidens annexis, etiam per modum mercedis, *arg. c. Quicumque 12 q. 2:* — ibi — *Dignus est operarius mercede sua, cum Concordantis.*

Poena autem hujus prohibitionis haec est statuta, scilicet ut officialis redimens officium pecunia, privetur illo, et a Praelato auferatur potestas conferendi tale officium. Hujusmodi vero poenam non ipso jure, sed per sententiam judicis infligi colligitur ex *Cap. 1 h. t.* cum enim ibi textus non dicit, *privatus sit,* sed *privetur,* intelligitur per judicis sententiam.

Verumtamen ex hactenus dictis minime deduci potest, quod Praelatus nequeat constituere plures in gravi suo munere exercendo coadjutores, sive majores, sive minores, cum exploratissimi juris sit, ipsum demandare posse jurisdictionem propriam in causa particulari, posse constituere, executorem, imo etiam officialem, seu Vicarium Generalem. Et optimo quidem jure, quandoquidem haec omnia peragere non est vices suas alteri cedere sub annuo censu, sed illos constituere, ut ipsi auxilium praestent in administratione Dioecesis. Sane in casu constitutionis officialis, seu Vicarii Generalis, non esset officialis, seu Vicarius Generalis, qui administraret dioecesim, sed ipse Episcopus, prouti quotidiana experientia docet; hinc titulus jurisdictionis apud Praelatum ipsum resideret, ministerium vero apud Vicarium, ita ut Praela-

tus, et Vicarius unum idemque tribunal efforment. Quod adeo verum est, ut ne consuetudine quidem fieri possit, ut a sententia Vicarii Generalis ad Episcopum appelletur.

Praeterea quod omnem removet dubitationem illud est, quod hoc in casu non esset officialis, seu Vicarius Generalis, qui ex lucro percepto annuum vel menstruum censum Episcopo daret, sed ipse Praelatus, seu Episcopus, qui honorarium, seu salarium officiali, seu Vicario Generali constituere deberet, qui illud salarium recipit per modum stipendii *arg. cap. Charitatem 12 quaest. 1.* ceu superius mox innuimus. Hoc autem fieri posse certum, indubitatumque est; secus enim Vicarius cogeretur stipendiis propriis militare contra doctrinam Apostoli *1. Corint q. vers. 7.* Quod vero prohibetur Praelato hoc est, scilicet quod non possit illi committere officium suum exercendum cum pacto sibi solvendi pretium temporale, sive annuam praestationem. Hac de causa in probatis est, Praelatum simoniam committere, si alteri vices suas sub annuo censu constitueret, seu jurisdictionem propriam sub determinata annua pensione alteri concederet.

Post haec quaeritur an simonia haec sit juris naturalis, et divini, an vero juris Ecclesiastici? In hoc non concordant Doctores, et Canonistae: nonnulli enim interpretantes constitutiones *Cap. 1, 2 et 3, h. t.* contendunt simoniam hanc esse juris naturalis, et divini, quia res spiritualis, vel spiri-

tuali annexa ceditur, seu locatur pretio temporali. E contra nonnulli alii pro viribus sustinent, id interdictum esse non ex jure naturali, et divino, sed ex jure tantummodo Ecclesiastico, eo quod res sacra, et spiritualis, seu spirituali annexa haud indigne, atque irreligiose tractatur, ideoque simoniam hujusmodi esse juris Ecclesiastici. Nobis haec secunda sententia arridet, quia revera in casu non verificatur illa comparatio inter rem spiritualem, et temporalem, in qua omnis consistit perversitas criminis simoniae. Verumtamen licet secundam sententiam amplecti placuerit, scilicet quod simonia haec non sit juris naturalis, et divini, nihilominus retinemus, et propugnamus eodem modo puniri istius simoniae actus, quo simoniae juris naturalis ac divini actus plectuntur.

At hic subsumentes quaerunt DD. et Canonistae, utrum saltem jurisdictio temporalis alteri cedi, aut locari possit ab Episcopis, et aliis Praelatis? Huic dubio respondetur, quod si jurisdictio ista ab Ecclesia habetur, ceu jus annexum officio spirituali, tunc jurisdictio hujusmodi licite locari non posse certum est, quia per connexionem evadit jurisdictio spiritualis; at si haec aliunde habetur, tunc extra simoniae labem locari posse videtur, eo quod in hoc casu temporale non datur pro spirituali, sed temporale datur pro temporali. Locatio tamen ista plerumque turpis, illicita, Ecclesiaeque noxia est, cum illi, qui pecunia sua acquisiverunt officia, gravant homines poenis, atque exactionibus pecunia-

riis, aut aliis modis, proprio lucro potiusquam spirituali fidelium commodo intendentes.

Ad secundum autem quaestionem nunc venientes, qua quaeritur, utrum Praelatis permissum sit alteri cedere Ecclesias suas, seu temporalia suarum Ecclesiarum respondemus, quidquid sit de Comuni jure antiquo, hodie certum est, fructus praelaturae, aut parochiae ex causa licite locari possunt, servatis servandis, scilicet modo serventur ea omnia, quae tradit *titulus de rebus Ecclesiae non alienandis*.

Caeterum qui historiam hujus tituli, prohibitiones, et poenas relativas probe noscere desiderat, adeat, et legere non pigeat *Cap. 1. h. t.* quod desumptum est ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III *Cap. 15,* nec non subsequentia capita ejusdem tituli.

TITULUS V.

De magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

Etiam in magisterii munere conferendo intervenire aliquando potest simonia juris Ecclesiastici, ideoque B. Raymundus praesentem titulum post duos praecedentes subnectere existimavit.

In ipso duae quaestiones evolvendae proponuntur, quarum prima respicit officia in Ecclesia constituta relate ad magisterium. Secunda autem versatur circa remedia contra abusus.

Quoad primam. Cum antiquis temporibus, et praesertim tempore Alexandri III haud multa haberentur instituta grammaticae, et humaniorum literarum, sed tantum in nonnullis locis erant Universitates, hinc fiebat ut unusquisque aliena opera, et propriis expensis tum grammaticam, tum humaniores literas addisceret eum ad finem, ut deinde ad Universitates pergere posset. Ex hoc autem derivabat, ut cum plures Clerici minores assistere deberent ministerio Ecclesiae, ipsi numquam habiles evadere poterant ad studia Universitatis. Hoc maximopere Ecclesiae displicuit, cui plurimum intererat, ut tales Clerici instruerentur. Hac de re Concilium Lateranense III sub Alexandro III anno 1179 celebratum (cujus Constitutio refertur in *Cap. 1, 3 et 5, h. t.*) decrevit ut in omnibus Cathedralibus Ecclesiis unus designaretur magister, qui Clericos, et pauperes adolescentulos gratis erudiret in studiis grammaticae, et pulchrarum literarum, quique *Scholasticus* vocabatur. Huic autem magistro pro honesta substentatione ex redditibus Ecclesiae, seu per beneficium providendum erat.

At quoniam tractu temporis haec Alexandri III jussa, et dispositiones in omnibus Cathedralibus haud exacte observabantur, imo non parum negligebantur, hinc factum fuit, ut anno 1215 Innocentius III in Concilio Lateran. IV (*Cap. 4, h. t.*) supercitatam praescriptionem ad vitam, et honorem revocaret, et extenderet etiam ad alias

Ecclesias satis locupletes, in quibus facultates ad hunc magistrum constituendum sufficere potuissent.

Id perduravit usque ad Concilii Tridentini tempora. Hoc enim Concilium *sess. 23, Cap. 18 de Reformat.* sancte, ac salubriter indixit, ut seminaria Clericorum in omnibus Ecclesiis Cathedralibus erigerentur, ibique adolescentuli alerentur sumptibus ipsorum seminariorum, et sub oculis, ac directione Episcopi in studiis instituerentur. Voluit tamen idem sacrosanctum Concilium, ut in hisce seminariis admitterentur adolescentuli pauperes bonae indolis, qui spem bonae expectationis praeseferrent, et essent ex legitimo matrimonio nati, et 12 annorum aetatis forent, atque scirent legere, et scribere. Haud exclusit tamen filios divitum, modo suis sumptibus alerentur.

Ut autem administrationi rerum temporalium Seminarii, et institutioni Clericorum consuleretur, statuit idem Concilii Tridentinum varias species deputatorum, et praesertim voluit duos de capitulo adsumendos esse, quorum unus eligeretur ab ipso Episcopo, alter vero ab ipso Clero. Horum deputatorum consilio uti debet Episcopus, quin teneatur illud sequi, ceu docuit S. Congregatio Concilii in *Fundana 26 Martii 1688,* et quin isti deputati aliquid disponere praesumere valeant absque Episcopo, ceu pariter tradidit laudata Congregatio *in Ariminen 16 Feb. 1609.* Nunc

De Magistro Theologo.

At praedicto Concilio Lateran. IV non modo praefatum magistrum constituere placuit, sed voluit etiam aliud officium magisterii constituere in qualibet Ecclesia Metropolitana, et magister hic vocatus fuit *Theologus,* qui et Sacram Scripturam, et ea, quae pertinent ad animarum curam explanaret. Statuit autem, ut redditus unius praebendae ei tribui deberent. Quod postea Concilium Tridentinum non modo confirmavit in *Cap. 1, sess. 5 de Reformat.,* sed rem perficiens absolute decrevit, ut nedum in qualibet Metropolitana, et Cathedrali Ecclesia, sed etiam in Collegialibus insignibus in oppidis populosis existentibus *Theologus* hic constitueretur, assignata ei praebenda, vel praestimonio, vel stipendio. Et si nihil horum reperiretur, mandavit, ut praebenda primo vacans quovis incompatibili onere soluta adsignaretur, et in perpetuo deputaretur. Quod si hujusmodi praebenda insufficiens foret, voluit ut Episcopus vel per beneficium simplex, vel alio modo sibi beneviso provideret.

Ex quo factum est, ut ad tramitem praedicti decreti Concilii Tridentini in omnibus Cathedralibus, et Collegiatis insignibus praebenda theologalis erigeretur, et S. Concilii Congregatio jugiter adlaboravit, instetitque, ut quam citius haec prae-

benda theologalis erigeretur, ubi nondum erecta esset.

Huc perventi, cum de Canonico theologo sermo inciderit, operae pretium ducimus aliquid de ipso, et de ejus praebenda theologali fusius exponere distinctis paragraphis.

§ 1.ª

De Institutione, introductione, deputatione, electione Canonici theologi.

Quam cordi semper fuit Ecclesiae, et Romanis Pontificibus propagatio theologiae ex jam dictis manifestum scatet, et praesertim ex citato Concilio Lateran. IV sub Innocentio III celebrato, in quo salubriter provisum fuit, ut in qualibet Ecclesia Metropolitana ad interpretationem Sacrarum Scripturarum, atque ad edocendum, quae ad animarum curam spectant, Canonicus theologus omnino eligeretur, assignatis eidem unius praebendae redditibus. Perfectionem autem hujusmodi disciplinae adjunxit Concilium Tridentinum *sess. 5, Cap. 1 de Reformat.,* ceu mox innuimus.

Quomodo vero canonicatus hic theologalis exordium sumpserit, et quomodo a jure communi determinatus fuerit, exponit, ac declarat Benedictus XIV in *Instit. Ecclesiastica 57*. Sed monu-

menta historica, quae ad praebendae theologalis erectionem spectant, praecipue videri possunt apud Thomassinum *de veteri et nova Ecclesiae disciplina par. I, lib. II, Cap. X.*

Illud unum certum, indubitatumque est, quod ut praebenda primo vacatura erigatur in theologalem, requiritur omnino, ut fiat deputatio praebendae tamquam theologalis ab Episcopo. Patet id penes omnes Canonistas, et decisum fuisse a S. Concilii Congregatione refert Cardinalis Petra in *Comm. in Const. Quasi Innoc. VI, Summarium n. 18, tom. III* — ibi — « Sacra Congregatio Concilii » censuit, approbante Sanctissimo, ad erectionem » praebendae theologalis requiri actualem depu» tationem, et ideo, si in provisione praebendae » non fuerit facta actualis deputatio, non posse » provisum cogi obire munus lecturae ».

Deputatione vero, et erectione facta in praebendam theologalem, jus *conferendi* illam non mutatur, sed tantum jus personam *eligendi*. Unde si jus conferendi canonicatum regulariter ex jure communi simul ad Episcopum, et Capitulum pertinebat, sponte fluit, quod in posterum haec praebenda theologalis vacans simultanee conferri debebit ab Episcopo, et Capitulo. Ubi autem ex speciali jure, vel ad solum Episcopum, vel ad solum Capitulum spectet collatio, id omnino pariter in posterum servandum est. At notandum maxime occurrit, quod cum electio personae ad solum Episcopum pertineat, idque certum in jure

omnino sit, sequitur jus Capituli in conferendo hujusmodi praebendam ad meram formalitatem quasi reduci, quandoquidem conferre tenetur ei, quem Episcopus in theologum elegerit. Ita laudatus Card. Petra *cit. loc. n. 30, tom. IV.*

Quod vero personae electio in hujusmodi praebenda instituendae semper, atque inconcusse spectet ad Episcopum, etiamsi ante erectionem nominatio pertinuisset ad Capitulum, id pariter docet Card. Petra *cit. loc. n. 31*, necnon tradit Barbosa *de Canonicis cap. 27, n. 12, et seq.*, aliique plures. Excipiendus tamen casus est, in quo alicubi vigeret reservatio S. Sedi quoad praebendas in certis mensibus vacantes. Tunc enim, si in dictis mensibus praebenda theologalis vacaret, collatio, et electio personae ad R. Pontificem pertineret. Ita exceptio est pro Italia, et insulis adjacentibus; nam ibi praebenda theologalis dari debet per concursum, et electio personae facienda est eadem forma, qua Ecclesiae parochiales conferuntur, ut statutum est per bullam *Pastoralis Officii* Benedicti XIII, de qua inferius.

Utrum autem eligi debeat per concursum, et esse debeat doctor in S. theologia, idem Cardinalis Petra in Constitutione *quasi* Innoc. VI *Summ. n. 34, et sequen.* innuit — ibi — Profecto ad « hujusmodi praebendam eligendus est ab Episc- » opo Theologus, qui habilis dici possit ad Sacram » Scripturarum lectionem (ex Tridentino). Et qui- » dem ut pinguius adimpleatur Sacri Concilii

» mens, in theologia doctor deputari debet. Cae-
» terum si commode reperiri nequeat, sufficit ut
» praebenda provideatur de theologo non laureato,
» alias idoneo, ut dixit S. Congregatio Concilii (*in*
» *Astensi 3 Febb. 1646*), in qua causa, proposito
» dubio, an theologus non doctor possit praeben-
» dam hujusmodi obtinere, censuit — *Affirmative,*
» *si non adsit doctor aequalis idoneitatis.......*

« Et quidem si theologus idoneus in civitate
» non reperiatur, quod providere debeat (Episco-
» pus) praebendam de extero, dixit S. Congre-
» gatio *in Venafrana 3 Aprilis 1593 lib. 7 de-*
» *cretorum pag. 103.*

» Persona vero, quae ad praebendam theolo-
» galem adsciscitur, debet esse adeo idonea, ut
» per se munus congrue subire valeat; alioquin
» collatio nulla quidem est, et invalida ex Tri-
» dentini dispositione *sess. 5, Cap. 1 de Refor-*
» *mat.* ».

Quoad collationem vero per concursum distinguendum est inter jus commune, et jus particulare. *De jure communi* non requiritur collatio per concursum, cum nulla lege generali ante Tridentinum praescripta fuerit haec forma, et Tridentinum de adhibendo concursu in conferendo Canonicatu theologali omnino sileat, imo electionem personae arbitrio Episcopi relinquat.

De jure autem particulari, et quidem valde extenso aliter dicendum est. Nam Clemens XIV in sua Constitutione *Nuper pro parte* 29 Novem-

bris 1769 ad regnum Sardiniae extendit, quae decreta fuerant a Leone X, Sixto V, et Gregorio XIV pro regnis Navarrae, Granatae, Castellae, et Legionis, nempe ut canonicatus theologalis, et poenitentiarii *praevio concursu per edictorum affixionem, coram Ordinariis locorum, et respective Ecclesiarum Capitulis habendo conferantur.* Benedictus vero XIII anno 1725 in sua Constitutione *Pastoralis officii* pariter concursum, et necessitatem doctoratus in theologia praescripserat pro Italia, et insulis adjacentibus. In recenti autem concordato Pii IX cum Hispaniarum gubernio remansit, et confirmata est concursus necessitas — « Canonicatuum de officio provisio ad » Praelatos, et Capitula praevio concursu perti- » nebit. Caeteris dignitatibus, et Canonicatibus » Majestas sua, et Archiepiscopi, atque Episcopi, » stricte alternando providebunt ». *Art. 18*. Unde adhuc viget, tum in Hispania, tum in Italia, et insulis adjacentibus jus praedictum particulare concursum decernens in conferendo Canonicatu theologali. Sanctus vero Carolus Borromaeus hanc disciplinam de concursu pro theologali praebenda jam suo tempore in Ecclesia sua induxerat.

Quoad Galliam vero jus commune applicandum venit, cum omnes hujus regionis Ecclesiae recens erectae sub jure communi ortae sint, nec concursus lex quoad praebendam theologalem a S. Sede imposita fuerit. Difficultas tantum oriri posset quoad Dioecesim Ajacensem in insula Cor-

sica, utpote quae censenda foret comprehensa sub dispositione Benedicti XIII pro Italia, et insulis adjacentibus. Sed etiam illa Ecclesia extincta fuit per bullam — *Qui Christi Domini*, nam inter suppressas enumeratur; unde quae ipsius loco per eamdem Constitutionem erecta est, sub jure communi, sicut et caeterae Ecclesiae Galliarum censeri debent.

Item quoad necessitatem doctoratus in theologali canonico pariter distinguendum est inter jus commune, et jus particulare. Ad jus commune quod attinet, nullum verbum facit Concilium Tridentinum de necessitate gradus academici in suo decreto *sess. 5, Cap. 1*, sed requirit tantum ab Episcopo eligi *idoneum*. Dici quidem potest fuisse mentem Sacri Synodi, ut non eligeretur, nisi doctor in S. Theologia; cum enim id expresse statuerit pro poenitentiario, et pro scholastico, concludi posse videtur a fortiori, eam idem intendisse pro theologalis munere; sed tamen id expresse non dixit, ac proinde doctoratus ad theologalem praebendam obtinendam de jure communi non praecipitur.

Quin officiat supracitata Constitutio Benedicti XIII requirens lauream in Sacra Theologia, et praevium concursum; siquidem in ipsamet bulla dicitur id decerni *pro Italia, et insulis adjacentibus*. De quo nihil monens Benedictus XIV in suo tractatu de Synodo Dioecesana *lib. 13, cap. 9, n. 16 et 17* non paucos forsan lectores in errorem

induxit, ita ut extimaverint, et concursum, et doctoratum requiri de jure universali.

Nec aliquid ponderis habent nonnullae responnsiones sacrarum Congregationum. Attendendum enim est, utrum factae sint relate ad eos, qui sunt de Italia, et insulis adjacentibus, an autem relate ad alios. Si enim ad priores, nihil probant decisiones illae quoad jus commune, sed tantum quoad jus locorum in Constitutione Benedicti XIII expressorum.

Ad jus particulare, verbi gratia, referenda videtur declaratio, de qua idem Benedictus XIV *de Synod. Dioeces. lib. 13, cap. 9,* sic loquitur — « Merito a S. Congregatione responsum fuit *gene-* » *raliter loquendo,* non satis esse; ut quis in jure » Canonico doctoris gradum adeptus fuerit, in ca- » sibus tamen particularibus videri posse, an ex- » pediat eamdem praebendam alicui Sacrorum Ca- » nonum magistro conferre, qui scilicet cum juris » canonici lectione ea quoque conjumgere valeat, » quae pertinent ad theologiam moralem ». Nam declaratio illa facta est pro casu, quo in diplomate provisionis inserta fuit clausula de assumendo infra annum gradu *in theologia,* et petebatur, an sufficeret sic provisum lauream *in jure Canonico* assumere. Cui dubio responsum est — *Negative, et habebitur ratio in casibus particularibus. Thesaurus resolut., tom. II, pag. 321.*

Quapropter concludi posse videtur, quoad jus commune nullum gradum academicum in rigore

requiri pro praebenda theologali; esse autem mentem Concilii Tridentini, ut eligatur doctor, et quidem in theologia. Ac proin, si praesto sit sive in dioecesi, sive extra, aliquis idoneus, et simul doctor in theologia, ad mentem Tridentini hic anteponendus est et non doctoribus, et doctoribus in jure Canonico. Si vero Episcopus eligat non doctorem, caeteroquin idoneum, aut doctorem in jure Canonico, relicto doctore in theologia etiam idoneo, valebit electio, et nulla opus erit dispensatione, cum non existat proprio dicta lex in contrarium. Ita Bouix *cit. loc.*

§ 2.ª

De officio Canonici theologi.

Quale erat antiquitus officium Canonici Theologi videri potest penes Card. Petra *Comm. in Constit. quasi Innoc. VI in Summ. n. 46.* Verum quidquid sit de veteri practica interpretatione Concilii Tridentini, illud hodie certum, indubitatumque est, quod post encyclicas literas Gregorii XVI *Inter praecipuas* anno 1842 in lucem editas canonicus theologus ad biblicas lectiones in Ecclesia habendas teneatur, et sine judicio, et venia S. Sedis non possit has publicas lectiones omittere, et earum loco in seminario S. Scripturam, vel theologiam docere. Idque S. Concilii Congregatio in pluribus

resolutionibus inculcavit, et praesertim in *Dehortonen. 26 Junii 1844*, in *Casalen. 26 Julii 1848*, in *Civitat. Castel. 2 Septembris 1876*, et in *Pampilonen. 16 Decembris 1882.*

Utrum autem Canonicus theologus huic muneri satisfacere possit per substitutum, hoc profecto non satis patet. Concilium enim Tridentinum *Cap. 1, sess. 5 de Reformat.* edicit, quod praebenda theologalis — *nonnisi personis idoneis, et quae per seipsas id munus explere possint, conferatur.* At si qui obtinuit hanc praebendam, idoneus non fuerit, mandat, ut Ordinarius eum compellat etiam per subtractionem fructuum ad hoc munus explendum per idoneum substitutum. Quod si vero idoneus esset canonicus theologus, vellet tamen per alium muneri suo satisfacere, id profecto Concilium Tridentinum expresse interdicere haud videtur, sed procul dubio hujusmodi agendi ratio ejus menti haud esset conformis. Simpliciter enim haec S. Synodus edicit, munus hoc interpretandi S. Scripturam esse personale. At quis ignorat, plura munera personalia esse, et tamen per substitutum impleri posse? Personale sane est pro Episcopis, et Parochis munus praedicandi Evangelium populo fideli, et tamen sciunt omnes hujusmodi munera per alium impleri posse. Hinc rigore juris dicendum foret, quod Canonicus theologus, etsi idoneus munus interpretandi S. Scripturam per alium implere possit.

Verumtamen saepe laudatus Card. Petra ait:

Canonicum theologum id posse stante legitima causa diuturni impedimenti; secus minime. Ita sane loc. cit. ad rem scribit — « Legitima subsi-» stente causa » per substitutum ab Episcopo eli-» gendum inservire potest; potissime si diutine » causa hujusmodi impedimenti persisteret, ratio-» ne publicae utilitatis, ne salutari pabulo fideles » priventur. Quippe si ad breve tempus legitime » theologus impediretur neque per substitutum » inservire esset cogendus, ut paris conditionis » habeatur ac caeteri Canonici, qui ex legitima » causa a residentia excusantur ». Verum negocium hoc totum subest prudenti arbitrio Episcopi, ceu innuere videtur resolutio S. Congreg. Conc. in *Urgellen. 15 Decembris 1725* et *28 Decembris 1726*.

§ 3.ᵃ

De juribus Canonici theologi.

At competunt ne aliqua jura huic Canonico theologo? Cum nullus peculiaris honor sit istius magisterii, et cum praebenda theologalis non constituat in capitulo neque dignitatem, neque personatum, siquidem tam a Concilio Lateranensi IV, quam a Concilio Tridentino principaliter hic magister fuit propositus, ut explicaret populo, et clero Sacras paginas, hinc patet ejus officium nil aliud

esse, nisi onus, cui satisfaciens Canonicus theologus nonnullis juribus potitur, inter quae sequentia numerantur. 1.° Jus habet lectiones suspendendi mensibus Julio, Augusto, et Septembri, ceu probat Card. Petra *cit. loc. n. 58.* 2.° Ea die, qua lectionem habere debet, eximitur ab obligatione assistendi choro per totam illam diem. Quod licet olim in controversia positum fuerit, hodie tamen certum omnino est ob concessionem factam a Gregorio XIII.

Et certum pariter est, ipsum illa die, qua legit, non tantum fructus lucrari, sed et distributiones quotidianas, et alia emolumenta, quae ipsi procul dubio obvenissent, si praesens in choro fuisset. Excipiuntur tamen distributiones, et emolumenta illa, quae ab expressa testatorum voluntate solvenda sunt tantummodo illis, qui actu praesentes fuerint, ceu tradit S. Congreg. Concilii in pluribus resolutionibus, et praesertim in *Arboren. theologalis 7 Decem bris 1861.* Quin hllum ei officere valeat exemplum suorum praedecessorum, qui tali privilegio uti haud voluerint, et quin impedimentum ei praebere possit parvus numerus canonicorum, et paucitas lectionum in anno habendarum, quemadmodum tradidit S. Congreg. Concilii in *Perusina 30 Julii 1859.* 3.° Excusare se potest a servitio, et absistentia choro ex causa studii etiam in aliis diebus festivis, in quibus non habet lectionem. Verum hoc in casu lucrari potest fruc-

tus tantum, et non supra dictas distributiones. Ita citatus auctor *Card. Petra in cit. loc.*

Privilegium autem hoc de lucrandis fructibus praebendae, et quotidianis distributionibus, ut supra, non solum Canonico theologo favet, si publice in Ecclesia lectiones S. Scripturae habeat, sed etiam si loco harum lectionum theologiam, vel S. Scripturam ex venia S. Sedis docet in scholis Episcopalibus, ita ut pro integra illa die, qua docet, a choro vacare possit, etsi doceat horis solummodo matutinis, vel vespertinis. Ita S. Congreg. in *cit. Arboren. theologalis 7 Decembris 1861.* Verumtamen regula haec saepius fallit, et perdit officium suum, eo quod S. Sedes in casibus particularibus limitare potest hoc jus Canonici theologi ad horas tantum, in quibus ipse in scholis docet, ceu tradit S. Congregatio in *cit. Pampilonen, 16 Decembris 1882.*

Nec satis: in *Capite enim 5 h. t.* Honorius III statuit ut docentes theologiam etiam extra suas Ecclesias, et beneficia, quamdiu docerent, nec non ejus discipuli ad quinquennium percipere possent fructus praebendarum suarum, et beneficiorum, etsi in his haud residerent, habita tamen venia Apostolicae Sedis. Nec refert quod in *cit. Cap. finali* videatur dictum privilegium restringi ad *quinquennium;* quinquennium enim hoc refertur ad studentes tantum, et discentes, non autem ad docentes, ut notat Barbos. in *cit. Cap. fin.* Quod confirmatum fuit a Conc. Trident. *Cap. 1, sess. 5,*

de Reformat., nulla habita mentione praefati quinquennii.

Praeterea, quod de magistris theologiae dictum est, etiam de professoribus SS. Canonum procedere tradunt Doctores cum Panorm. in *Cap. Licet 32 de Praebend.* An autem privilegium hoc extendi valeat etiam ad professores aliarum facultatum jus commune refragatur; verumtamen per Bullam Eugenii IV etiam ad eos extendi videtur, modo in publica Universitate doceant, ceu tradit idem Barbos. in *Consult. canon. lib. 3, resol. 88, dub. 1,* cui concinit etiam Garc. *de Benefic. par. 3, Cap. 2, n. 56,* quin obstaculum ipsis faciat stipendium ipsis assignatum ab ipsa Universitate pro suis laboribus. Docentes enim haud sunt mercede conducti. Ad rem declarationes S. Congreg. Conc. *in Tropien. 10 Novemb. 1592, et in Perusina 7. Maii 1707.* Sed ad secundam quaestionem, idest ad secundam tituli partem accedamus, in qua mandatur

Ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

Tempore Alexandri III nonnulli abusus irrepserant in Universitatibus studiorum, quandoquidem ingens pecuniae summa exigebatur a discipulis pro licentia docendi. Ex quo evenit, ut pauperes adolescentes facultatibus, seu opibus destituti studiis operam navare haud possent, ideoque nec gradus academicos assequi; sed id solummodo

divitibus reservatum erat. Ad hujusmodi itaque abusus ubique tollendos omne studium, et omnem curam adhibuit Ecclesia, ceu patet ex *Cap. 1, 2, et 3 h. t,* vi quorum prohibitum fuit, quominus aliquid pro licentia docendi exigeretur, et receptio pecuniae condemnata est veluti si labe simoniae juris Ecclesiastici infecta foret, ideoque invocatum fuit illud principium — *Quod gratis accepistis, gratis date.*

TITULUS VI.

De Judaeis, Saracenis, eorumque servis.

Compilator juris Canonici locutus de simoniacis, qui Spiritum Sanctum vendendo per simoniam blasphemant, pergit ad alterum delictum cultui Divino, et verae religioni pariter adversum, scilicet ad *infidelitatem,* per quam in Deum, ejusque Unigenitum Filium peccatur, seu pergit ad illos, qui fidei, et religioni Christianae contradicentes Deum, ac praecipue Jesum Christum filium ejus offendunt, quippe infideles sunt.

Hujus infidelitatis juxta Divum Thomam tres sunt species, videlicet *Paganismus, Judaismus,* et *Haeresis,* de qua tit. sequenti.

Paganismus est error illorum, qui idola colentes verum Deum negant, ideoque nec misteria, nec veritates a Deo in veteri, et novo testamento revelatas admittunt; ad quam sectam reduci etiam Saracenos eruitur ex *Cap. 10, et 18, hoc titul.*

Judaismus vero est infidelitas, vel error illorum, qui legem dumtaxat Mosaicam absque fide in Christum sectantur, seu Judaeos esse adhuc veteris testamenti cultores negantes Christum fuisse *Deum* et Redemptorem nostrum satis omnibus notum est.

Quidquid olim fuerit de Judaeis, et Saracenis, multi enim multa dicunt, hodie indiscriminatim quemadmodum Hebraeos dicimus quoscumque scimus vetus adhuc testamentum servare, et Evangelium abhorrere, ita Saracenos vocamus paganos, ethnicos, gentilesque quoscumque idolorum superstitio detinet, seu supina misere obruit veri Dei ignoratio, quos jamdiu ferme omnes impia Mahometis doctrina pervasit, Persas dico, Tartaros, Arabes, Aegyptios, Africanos, Mauros, et caeteros, quos nec circumcisio Abrahae filios fecit, nec baptismatis unda Christo regeneravit. Nemo inde non colligit, gentiles idolorum superstitionibus servientes perpetuo fuisse detestabiles apud Deum, judaeos autem usque ad Christi adventum Deo gratos, atque dilectos, tunc primum vero abominabiles factos, quando Christi Servatoris praecepta, in quibus figurae veteres complebantur, recipere detrectaverunt. Siquidem a Christi Servatoris adventu una christiana religio veram semper habuit, et germanam fidem judaeis aeque, ac universis gentibus praedicandam, quod divina sane illustratione perfecturi apostoli, Petrus praesertim, ac Paulus, et gentes, et judaeos in Christi fide erudien-

dos tributo evangelizandi officio susceperunt, uti Paulus idem testatur in epistola ad Galatas *cap. 2,* non quidem ut invitos cogerent ad suscipiendum baptismatis sacramentum, et nomen Christo dandum, sed ut exemplo, praedicatione, ac monitis invitarent. *Cap. 9, de judaeis.* Nec dissimilis jugiter fuit Ecclesiasticorum Antistitum cura, ac sollicitudo, scilicet, ut Christi fides quam latissime extenderetur juxta evangelicum illud mandatum: *Ite in universum mundum, praedicate evangelium omni creaturae.*

Hisce potius ad eruditionem, quam necessitatem praemissis quaeri hic non immerito potest: cum legislatio Ecclesiastica non respiciat, nec respicere possit, nisi personas aliquo modo a se dependentes, cur in hoc titulo B. Raymundus respicere voluit judaeos, et saracenos, qui baptismum non receperunt, ideoque ab ipsa nullimode dependent, dicente Apostolo *1, ad Corinthios 5, vers. 52,* — *Quid mihi est de illis, qui foris sunt* (hoc est extra Ecclesiam) *judicare?* Huic dubio responderi potest, hunc titulum a B. Raymundo hic positum fuisse non ad innuendum infidelitatem per ipsos veluti repraesentari, sed praecipue ad patefaciendum, quale commercium, et qualis unio esse possit inter Christianos, et Infedeles, seu ad determinandam tolerantiam ab Ecclesia adhibitam erga hujusmodi Infideles, et ad ostendendum, Ecclesiam numquam vi, et armis religionem eis imposuisse. Lo-

quitur autem de Judaeis tantum, et Saracenis, quia tempore Decretalium ab istis dumtaxat praevideri poterant mala in Ecclesia.

Verum ut ea, quae mox raptim innuimus, magis clare, et late pateant, vanum, et superfluum haud putavimus distinctis paragraphis de Judaeis, et Saracenis aliquantulum disserere. Sit itaque

§ 1.ª

De Judaeis.

Expulsi Judaei ab omnibus fere regnis catholicis, scilicet Hispania, Belgio, et Gallia ob impietatem, perfidiam, atque horrendas, abominandas, et continuas blasphaemias ipsorum in Christum, eiusque religionem, nec non ob invidiam, injustitias, et usuras eorum in Christianos per totum fere orbem sine lege vagabantur. Hoc in discrimine Romanae Sedis misericordiam invocarunt, et pietas Ecclesiae eos recepit, et benigne tractavit, 1.° quia ritus judaici evangelicam veritatem adumbrant 2.° quia gens judaica, quae inconstanter suam progeniem, et traditiones suas a Moyse, et Patriarchis derivat, testimonium assiduum praebet sacrae Scripturae, ne ab Atheis hominibus tamquam figmentum noviter excogitatum explodatur, eaque de causa plane credibile est, quod Deus

gentem Judaicam non penitus deleri, sed toto orbe dispergi voluerit. Ad rem et pulchre D. August. *contra Faustum c. 23,* inquit: *Quid est aliud hodie gens ista, nisi quaedam scriniaria bajulans legem, et Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiae, ut nos honoremus per Sacramentum, quod illa nuntiat per literam.*

Hac de re collineant, et religiosorum Principum, et Ecclesiasticorum Antistitum vota, qui ita junctis consiliis unaquaeque composuerunt, ut hinc animarum fidelium pericula caverentur, illinc comitas, et benignitas christiano nomine digna erga miseros homines superstitionibus obrutos exhiberetur ita tamen, ut non eorum foveretur audacia, sed ut dum pietas exerceretur in eos, ipsorum impietas certis finibus coerceretur, ne aut latius ex nimia conviventia serperet, aut in veram fidem injuriam inferret. Quare ne aliquid mali christianis, et ipsis judaeis contingeret ex hac commixta habitatione nonnulla cauta fuerunt, sive quoad familiarem quandam, et socialem conversationem, sive quoad cultum sacrorum, sive tandem quoad munera publica.

Ratione itaque socialis aut familiaris conversationis, et cavenda erant christiano pericula ne seduceretur, et erant judaei cum humanitate, non cum asperitate tractandi. Qua in re generaliter animadversum fuit, judaeos in iis locis, in quibus degere auctoritate publica permitterentur, pro civibus considerari, uno excepto bonorum jure, pro-

indeque non esse habendos quasi extra omnem communionem positos, et vix injuriis non lacessendos, propterea licebat cum ipsis inire honesta, et civi convenientia pacta, et conventiones; dummodo ab arctissima conjunctione abstineretur; in hoc enim periculum versabatur a christiano homine declinandum, atque ob hanc causam prudentissime legibus publicis caveri consuevit, ut signo quodam exteriore judaei a caeteris distinguerentur. *Cap. 15 de judaeis.*

Primum igitur constitutum est, ne christiani cum judaeis convivia celebrarent, *can 12, 13, et 14, can. 28, q. 1.ª*, in his enim arctissimae necessitudinis existerent argumenta, quemadmodum in usu fuit apud Romanos veteres, qui dum servum suum ad mensam admitterent, statim a servitute liberatum, et manumissum inter amicos dicebant, quod turpe crederent, et indecorum, Romanum civem mensae una cum servo assidere. Secundo constitutum est, ne christianus servilem operam judaeo praestaret, non solum ita, ut nemo christianus in servitute judaei consisteret jure verae et propriae servitutis *leg. 56, § ult. Cod. de Episcop. et cleric. leg. 1.ª et 2.ª Cod. Ne christianum mancipium. Cap. 1.º, et ult. de judaeis,* sed etiam ita, ut nemo christianus operas suas ad serviendum in domo, ac familia judaei locaret. *Cap. 8 de judaeis.* Quomodo enim ferendum est, christianos sese subjicere iis, aut eos reverentia colere, qui ex Dei ultrice providentia potius ad ser-

viendum relicti sunt in poenam apostasiae, atque perfidiae? Adde his, familiarem hanc servitutem, aut operarum praestationem assiduam, ac domesticam esse christiano maximi periculi plenam. Huc pertinet *Cap. 2. de judaeis*, ubi cum Gregorius initio statuerit, non esse ferendum, ut christianus quasi mancipium judaeo serviat, subjicit tamen, servos judaeorum, qui in praediis eorumdem sunt quasi coloni, et originarii, in eisdem praediis utut christianos posse consistere, et consueta officia judaeis praestare.

Hoc posito quis non videt agi ibidem non de servis proprie dictis, et operas suas domi apud herum praestantibus, sed de adscriptitiis fundo dominico addictis, quos ne domino quidem licebat a praediorum cura, et cultura avocare? *Leg. 13, Cod. de agricolis, et censit.* Utile imo erat, hos adscriptitios, seu colonos utut christianos praediis judaeorum addictos, non liberari ab officio, propterea quod, si liberarentur, occasio data fuisset judaeis mittendi ad ea praedia causa colonatus totidem judaeos, atque ita judaeis hominibus loca plura replendi in detrimentum christianorum, ac praesertim eorum rusticorum, qui vicina praedia excolerent; alias autem christiani illi adscriptitii, et coloni judaeorum longe erant ab judaeorum conversatione semoti. Ceterum Gregorius idem Magnus *in Can. 13 dist. 54* expresse docuit, nullum Christianum mancipium posse judaeo servire. Tertio constitutum est, ne aut christiana judaeo

nuberet, aut christianus judaeam uxorem duceret, ne facile christianus ex familiari, et maxime necessario tali consortio superstitionibus judaei conjugis corrumperetur *leg. 6 Cod. de judaeis, can. 15, et 13, caus. 28, q. 1.*ª Quarto cavendum fuit, ne christiana mulier nutricis officium judaeorum filiis praestaret; est enim nutrix quodammodo loco matris, et facilem benevolentiam veluti maternam in altum, et enutritum contrahit, qualem benevolentiam arctissimam christianam foeminam dedecere visum est, *Cap. 8, de judaeis.*

Quinto jubentur christiani, ne in contractibus, sive in commerciis ineant cum judaeis societatem. *Cap. 12, de judaeis.* Etenim in primis est societas non una bonorum, juriumve communio, sed communio cum singulari personarum affectione conjuncta. *Leg. 31 ff. pro socio,* adeo ut scripserit Ulpianus in *leg. 63 ff. eod. tit.* —... *societatem jus quodammodo fraternitatis in se habere.* Deinde societas ista facile christianum traheret in usurarias pactiones, aut in commoda usurarum communicanda, quibus passim judaei student; utrumque autem christiano indignum est, ac praesertim nulla societas est; quae delictorum turpis sit, atque foeda communio. *Leg. 53, et 57, ff. pro socio.* Sexto denique odio judaeorum constitutum est, ut ipsorum universitas nihil ex christianorum testamentis codicillis, aut donationibus inter vivos capere possit *leg. 1 Cod. de judaeis;* imo ne singulares quidem judaeorum personas licet hodie

christiano instituere haeredes, aut legatis, fidei commissis, vel donationibus locupletare, admissa tantum inter ipsos judaeos aut testamentaria, aut legitima successione *arg. cap. 5, et 6 de haereticis.* Essent enim haec omnia non mediocria benevolentiae argumenta a christiano in judaeos exhibita, imo et in institutione haereditaria observeretur, judaeum haeredem christiani defuncti personam representare, cum haeres defuncti personam induere dicatur. Exceptio tantum est, si christianus legaret judaeo, quod ipsi olim ex qualibet causa debebat; non enim in ea specie liberalitas ulla, vel benevolentia exhibetur, sed tutius prospicitur, ne quis suo jure fraudetur. Etc.

Ratione vero cultus sacrorum iterum idem modus servandus erat, ut rigor cum humanitate tempereretur, idest exhiberetur humanitas in eo, ut judaei suos ritus de more exercerent, rigor etiam proesto esset, ne illorum fovere superstitiones videremur, atque ut noscerent ipsi, abuti superstitione sua, aut gloriari nullo modo posse. Ad humanitatem inprimis pertinebat, ut cum judaei de more suo ritus, ceremonias, solemnitates, ac festivitates celebrarent, non turbarentur a christianis *leg. 14 Cod. de judaeis, leg. 16 Cod. de paganis,* neque a christianis invaderentur, aut disrumperentur coemeteria judaeorum. *Cap. 9 de judaeis.* Secundo vetitum est christianis, ne in synagogas facta judaeis facultate erectas quasi in profana habitacula irruerent *leg. 4, et 14, Cod.*

de judaeis. Tertio nec licebat christianis, judaeos vocare in judicium eo tempore, quo ipsi juxta mores suae gentis festivitatem celebrarent ex. gr. die sabbati *leg. 2, et 13 Cod. de judaeis, Can. 3. dist. 45;* imo etsi judaeus eodem die vellet in judicio adversus christianum agere, neque erat ullo modo ferendum, ne singulare jus judaeo concessum contra christianum retorqueretur, *leg. 53, arg. leg. ult. Cod. de fructib. et lit. expens.* Rigor deinde adhibendus erat in eo primum, quod non esset ferendum, judaeos novas synagogas construere, quamquam permitterentur veteres habere, tueri, sarcire *leg. ult.* § *1, Cod. de judaeis Cap. 3, et 7, eod. tit.* Secundo in eo, quod severissimis poenis judaei punirentur quotiescumque proferrent blasphemias in Christum, aut Deiparam Virginem, aut quoties libros sive clam tenerent, sive palam ederent hujusmodi blasphemias continentes, etc.

Ratione tandem publici regiminis, et munerum publicorum, rursus et humanitas quaedam, et rigor adversus judaeos exhibebatur. Hinc nonnulla officia publica prohibita, et nonnulla concessa sunt. Sane vetitum erat, ut in muneribus, et officiis exercendis ulla jurisdictio eis competeret, ne judaeorum quidem Rabinis, aut senioribus, ita ut judicium non solum inter Christianum, et judaeum, sed et inter judaeum, et judaeum ab ordinariis Christianis judicibus dirimeretur. *Leg. 8, et 18, Cod. de judaeis*. Concessum tamen est, ut munus tutelae quoad judaeos pupillos exercere possent.

Prohibitum erat, quominus ipsi in civitatem admissi nullo alio jure obstringerentur, nisi publico, et civili civitatis. Concessum tamen est, ut in celebratione conjugiorum non avocarentur a suis ritibus, dummodo pluribus simul uxoribus non copularentur, et dummodo non contraherent inter gradus naturali, vel divino jure prohibitos. *Leg. 6, Cod. de judaeis, et Cap. 8 de divortiis.*

§ 2ª

De Saracenis.

Verumtamen relationes Ecclesiae cum Saracenis non fuerunt ut illae habitae cum Hebraeis. Ipsi enim cum populi finitimi essent cum Christianis, raro in pace, saepissime in bello erant. Sane jam inde ab hujus sectae exordio, scilicet a saeculo septimo usque ad nostra tempora inimicitias, et bella inter ipsos, et Christianos exarsisse historia narrat.

Quaeri hinc potest quaenam causa fuerit istarum inimicitiarum, et bellorum? Resp. Si illos audis, qui Religioni nostrae acriter adversantur, isti referre haud erubescunt, Ecclesiam hujusmodi inimicitias, et bella inivisse, ut vi, et armis Saracenos ad Christianam Religionem amplectendam cogeret. Sed falsum omnino est. Licet enim cura, et sollicitudo, Ecclesiae jugiter fuerit, ut Christi

fides quam latissime extenderetur juxta recitatum Evangelicum illud mandatum — *Ite in universum mundum, praedicate Evangelium omni creaturae,* — et licet jugiter ob hanc causam procuraverit propagationem Religionis apud Principes insistens, ut libere permitteretur praedicatio Evangelii, fidem tamen non imposuit umquam, nec contra Ethnicos bella excitavit, ut Christo invitos lucrifaceret, sed persuasionibus utens eos solum suscepit, qui ex animo sincero fidem susciperent. Causa igitur inimicitiarum, et bellorum populi Christiani cum Saracenis non est repetenda ab eo, quod Religionis Christianae hostes obmussitant, sed ex speciali ratione, scilicet ex doctrina Mahometis, quae talis erat. — *Omnes gentes vi, et armis religionem Mahomettanam, vel Judaicam amplecti debent; et si obsistent voci prophetae delendae sunt.* — Hac de re heic referri sine lacrimis non potest, quae, et quanta mala ex his principiis derivaverint Christianis, sive quoad mores, sive quoad scientias. Exempla, et facta adhuc loquuntur. Hoc votum erat Mahometis, et hoc pro viribus persolvere satagerunt ejus asseclae, hinc Ecclesia continuo ab eis provocabatur, vexabatur. Quamobrem eis obsistere debuit, et cum eis dimicare, et sese defendere ab istorum aggressionibus coepit, siquidem loca sacra, et munitiones Christianorum jam occupaverant. Ad hoc excitavit Christianos Principes, et Christianam plebem auxiliis spiritualibus, et temporalibus animavit, ut contra hujus-

modi infensissimos hostes arma sumerent, debellarent. Bellum igitur non offensivum fuit, uti ex adverso buccinant, sed mere defensivum; hinc media omnia proportionata Ecclesia adhibuit, ut victoriam referre posset.

Imo ut id facilius obtineret, leges statuit temporum conditioni accomodatas. Et 1.° specialiter prohibuit Christianis, ne tempore belli inter saracenos, et christianos quodcumque rerum commercium cum hostibus haberent sub poena excommunicationis latae sententiae *Cap. 2 h. t.* Estque haec excommunicatio reservata Summo Pontifici circa eos, qui tempore belli venderent arma, equos, ferrum, et quodcumque aliud, quod bellis agendis inservire posset. *Cap. 6, et 17, h. t. Extravag. eod. tit. et Bulla Coenae.*

2.° Illi, qui quocumque modo, auxilio, vel consilio Saracenorum bella adiuvarent severissimis poenis puniti sunt, ceu patet ex cit. capitibus, et *ex capp. 11, et 12, h. t.*

Post haec superest resolvenda quaestio, utrum Judaei, et Saraceni, seu pagani directe cogi possint ad suscipiendum baptismum, et fidem catholicam? Huic interrogationi respondet Maschat lib. V, tit. VI *de Judaeis et Saracenis* etc. *n. 8,* — ibi — « Negative ex *can. 3, et 5, d. 45, et c. 9,* » *h. t. et c. 3,* § *item de baptism.,* continua » praxi, et usu Ecclesiae, nobis declarantibus, » voluntatem Christi esse, ut cuique libera sit

» conversio ad fidem juxta illud: *qui crediderit,*
» *et baptizatus fuerit, salvus erit Marc. ult. v. 16.*
» Ratio ex parte *fidei* est: quia credere est liberae
» voluntatis S. D. *2, 2, 9, 10, a. 3,* ad actum
» vero liberum voluntas cogi non potest. Ratio
» ex parte *jurisdictionis* est, quia princeps vi juris-
» dictionis temporalis non potest cogere ad spi-
» ritualia, quae non cadunt sub potestatem tem-
» poralem; Papae vero jurisdictio spiritualis non
» se extendit extra Ecclesiam ad eos, qui non
» sunt baptizati, ut indicat Apostolus 1, *Cor. 5,*
» *v. 12 quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?*
» ergo etc. Unde infideles subditi ex hoc solo, quod
» ad fidem non convertantur, non possunt puniri,
» vel bello impeti, nisi laedant jus Ecclesiae, v. g.
» prohibendo liberam praedicationem fidei chri-
» stianae, non permittendo ejus professionem, tor-
» quendo ad fidem conversos. At indirecte invi-
» tari possunt ad fidem, propositis proemiis tem-
» poralibus, honoribus, relaxione tributorum, et
» poenarum juste eis pro criminibus debitarum,
» prohibitione cultus superstitiosi, compulsione ad
» audiendas conciones de rebus fidei, sicut in
» *Const. 92* Gregorii XIII statuitur, ut certo die
» concio ad judaeos pro eorum conversione habea-
» tur, cui saltem tertia pars judaeorum interesse
» debeat».

Ad rem hic facit Epistola Benedicti XIV ad Archiepiscopum Tarsensem, Vices gerentem Urbis 28 Februarii 1747 circa Judaeorum, et infi-

delium baptismum. Ipsa refert notatu digna, et legi potest penes ipsum citatum auctorem Maschat.

TITULUS VII.

De haereticis.

Alterum crimen, quod in vilipendium rerum spiritualium, et orthodoxae fidei subversionem tendit, sive quod Religioni, et fidei Catholicae adversatur, est crimen *haeresis*. Hac de re non immerito B. Raymundus hunc titulum subjicit.

Ut itaque dignoscamus, quam late pateat huiusmodi crimen, et quibus poenis puniatur ab auctoritate Ecclesiastica, videamus in primis oportet eius definitionem, ac divisiones.

Haeresis juxta nonnullos nomen Graecum est, et latine nihil aliud sonat, nisi *secta,* ceu ait Cicero in Paradox. Juxta alios vero haeresis graece ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem *Can. 27, cap. 24, quaest. 3.* Unde S. Isidorus haec habet — *Qui sunt haeretici nisi qui relicta Dei Ecclesia privatas eligunt societates?* Verum quidquid sit de hac nominis etymologia, illud certum, indubitatumque est, quod ab ipsis Ecclesiae incunabulis Christicolae hoc nomine significare voluerunt — *Intellectus errorem volun-*

tarium catholicae veritati contrarium, quem homo valide baptizatus cum voluntatis pertinacia profitetur.

Qui talem errorem pervicaciter profitentur, *haeretici* nuncupatur, erroris autem auctores, qui eum publice docent, ac tuentur, vocantur haeresiarchae, quasi haereticorum patres, ac Principes. *Can. qui aliorum 24, quaest. 3.* Imo haeresiarcha quoque dicitur Episcopus in haeresim lapsus, quippe qui cum ex munere sibi commisso orthodoxam fidem docere deberet, pessimo exemplo, et factis, si non verbo, haereticam pravitatem docuit. *Ita Paul. IV, Constit. 19, alleg. ab Urbano VIII in Cong. S. Inquis. in causa M. Anton. De Dominis. Ursaya Instit. crim. lib. 1, tit. 6, num. 9.*

Dicitur autem haeresis 1.° Error, idest assensus, seu judicium falsum intellectus, quia sicut actus fidei est assensus, sive judicium certum intellectus, etsi obscurum, ita haeresis est assensus seu judicium erroneum intellectus: unde si quis proferat propositionem secundum se haereticam, vel neget articulum fidei sine assensu erroneo intellectus, nôn est haereticus. Dicitur 2.° *voluntarius,* quia sicut actus fidei oritur ex pio voluntatis affectu, ita etiam haeresis est assensus erroneus procedens ex libera, et deliberata voluntatis electione, alioquin non est peccatum haeresis. Quare qui involuntarie, et indeliberate errat circa res fidei, hic profecto haereticus dici nequit. Dicitur

3.° *catholicae veritati contrarium:* nam qui errat circa alia obiecta, quae ad fidem non pertinent, non est sane haereticus. Dicitur 4.° *homo valide baptizatus,* quia alias non poterit esse haereticus, sed paganus foret, seu infidelis, aut judaeus, qui nullimode ad Ecclesiam pertinent, atque ab ea dependent. 5.° Dicitur *cum voluntatis pertinacia,* quia pertinacia, idest contumacia, est elementum principale haeresis *Cap. 2. de Sum. Trinit.* Hinc requiritur, ut quis sciat suam sententiam contrariam esse doctrinae, ac definitioni universalis Ecclesiae Christi, et nihilominus pertinaciter, ideoque culpabiliter eam teneat, suumque judicium proferat. Unde infertur, quod si quis ignoret etiam ex ignorantia mortaliter culpabili, et crassa, opinionem suam adversari doctrinae Ecclesiae Catholicae, eam tamen pertinaciter non teneat, non est proprie haereticus, neque Ecclesiasticis haereticorum poenis obnoxius, quia deest pertinacia; ceu pariter hujusmodi pertinacia in voluntate non adest in eo, qui licet erret in fide, est tamen corrigi paratus. Ita *Can. 29, Cap. 24, quaest. 3.*

Ex his igitur omnibus liquido constat, quod ut quis vere dicatur haereticus, oportet 1.° ut habeat errorem in intellectu. 2.° Ut hic error circa aliquem fidei articulum ab Ecclesia definitum, ac retentum versetur. 3.° Ut cum voluntatis pertinacia retineatur. Hac de re haereticus non est qui errat quidem, sed tantum in rebus physicis, aliisque eiusmodi, quae ad religionem nullimode

pertinent, quamquam eius error videatur specie tenus sacris literis repugnare; hasce enim res Deus hominum disputationi reliquit. Haereticus non est qui aliquem fovet errorem circa Ecclesiasticam tantum disciplinam, qui uni prae altera adhaeret Theologorum, aut Canonistarum opinioni, qui errat circa aliquem fidei articulum ab Ecclesia nondum definitum nec fidelibus ad credendum adhuc propositum, qui refragatur articulo fidei jam quidem definito, sed cuius definitio nondum innotescit, proinde verissimum est illud D. Augustini effatum *lib. 1.° de Trinit.* — *Errare possum, sed haereticus non ero*. Bene vero haereticus est, qui dogma ab Ecclesia definitum, et fidelibus propositum ad credendum rejicit, renuens Ecclesiae parere judicio; nec non, qui sciens prudens de aliquo religionis catholicae dogmate positive dubitat. — *Dubius enim in fide est infidelis. Cap. 1.° de haeret.* eo quod certissimam veritatem non amplectitur. Verumtamen nonnullis aliis haud videtur esse haereticus, cum iste non eligat sententiam fidei contrariam, sed dubitando suspendat suum assensum.

Visa haeresis definitione, eiusque indole, et natura perspecta, videamus oportet eius divisiones Quaeritur itaque

Quotuplex est haeresis?

Ex hactenus expositis prono veluti alvo fluit haeresim aliam esse *formalem*, aliam *materialem*.

Formalis habetur quando homo valide baptizatus voluntarie, scienter, et pertinaciter errat circa aliquam fidei veritatem ab Ecclesia propositam; materialis autem habetur, quando quis aliquid credit fidei contrarium ex pura ignorantia, seu errore, vel ex simplicitate, vel mala instructione. Hinc haeretici formales pauci, materiales multi. Dividitur praeterea formalis haeresis in *internam*, et *externam*. Prima est ea, quae latet inmente, et nullo signo manifestatur, ac proinde solius Dei judicio subest. Secunda ea est, quae prorumpit in actum exteriorem, sive verbo, sive facto indicante internam haeresim, ac proinde judicio, et poenis Ecclesiae subjacet. Haec vero heresis, externa, quae vere crimen est, poenisque Ecclesiasticis punitur, subdividitur in *occultam*, et *publicam*, seu *manifestam*. Prima habetur, quando ipsa, licet aliquo verbo, vel alio signo externo se prodat, tamen vel nemini vel paucis innotescit, ideoque ad judicium pertrahi haud potest. Secunda autem habetur, quando ipsa palam, et publice proditur, ideoque pluribus manifeste patet, et per consequens ad forum externum traduci, et juridice probari potest. Unde si signa hujus manifestationis certa omnino sint, et indubia, hominem haereticum demostrant; si vero tantum probabilia, et praesumptiva sunt hujusmodi signa, tunc hominem de haeresi suspectum reddunt.

Haec vero suspicio de haeresi triplex esse potest, nempe vel *levis*, vel *vehemens*, vel *violenta*.

Est levis ubi signa manifestationis ex operibus et verbis minus tuta, et minus certa sunt, ut si quis semel haereticorum sinapsi, vel conventibus interfuerit; praesumitur enim potius curiositate, quam animo irreligioso id fecisse: est *vehemens*, cum signa manifestationis ex operibus, aut verbis certa et firma saepe, vel ut plurimum sunt, veluti si quis scienter pluribusque vicibus errores contra fidem docuerit, aut diebus esurialibus, sive prohibitis carnes absque ulla justa necessitate manducaverit. Est denique *violenta*, cum signa manifestationis adeo lucida, adeo clara, et certa sunt, ut nullum de haeresi dubium relinquant. In suspicione *vehementi* oritur contra imputatum praesumptio juris, quae contraria probatione elidi potest. Unde Innoc. III. quoad istos de haeresi suspectos ita edixit — *Qui inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi juxta considerationem suspicionis, qualitatemque personae propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriantur. Cap. 13. de haeret.* Ex *violenta* autem suspicione oritur praesumptio juris et de jure quae contraria probatione haud eliditur. Quare ad rem Alex. III. in casu non absimili aperte declaravit — *Quod ex violenta, et certa suspicione potest sententia promulgari. Cap. 12. de praesumpt.* Merito hinc tradit *clariss. Devoti Inst. Can. lib.* 4. §. *8.* eum, qui sic, idest violenta, et certa suspicione imputatus fuit, tamquam haereticum dam-

nandum esse. Nunc ad poenas contra haereticos statutas descendamus oportet.

De poenis contra haereticos statutis.

Quod haeretici solum mentales nulla inurantur Ecclesiastica poena, in dubium revocari haud posse videtur; scitissimi enim juris, quod cogitationis poenam nemo patitur. *Can. 14. dist. 1°. de poenit.* Verumtamen haeretici veri, et praesertim manifesti pluribus spiritualibus poenis plecti notissimum in jure est. Sane percutiuntur 1°. excommunicatione ipso jure incurrenda, et ex Bulla Caenae Domini S. Pontifici reservata, a qua Episcopus ordinaria potestate eo tantum casu potest absolvere, quo haeretici reconciliatio, vel haeresis abjuratio publice fit. *Cap. 2. de haeret. in 6.* Ratio autem, ob quam ab haeresi non potest Episcopus absolvere in tribunali poenitentiae, dum ab ea absolvit in tribunali exteriori, haec esse videtur, scilicet quia in illo proceditur sine testibus, sine forma judicii, et appellatio, aut recursus non datur; cum ex adverso in secundo casu forma publica, et testes adhibentur, et appellatio ac recursus ad superiorem admittitur, ut si quid male gestum est, corrigatur, atque emendetur. Quae excommunicatio major renovata fuit in *Constit. Apostolicae Sedis* sub num. 1°. excommunicationum latae sententiae, et speciali modo Romano Pontifici reservatarum, in qua haec verba leguntur — *Omnes a Christiana fide apostatas,*

et omnes, ac singulos haereticos quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, eiusque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoscumque illorum defensores. 2°. Plectuntur poena privationis sepulturae Ecclesiasticae. 3°. Privantur jurisdictione Ecclesiastica, dignitatibus, et beneficiis, et plectuntur inhabilitate ad illa obtinenda. *Cap. 2 et 15 h. t. in 6.*, licet talis privatio in effectu non sequatur, nisi post sententiam declaratoriam criminis. 4°. Incurrunt irregularitatis poenam, ratione infamiae ortae probabilius ex haeresi etiam occulta, cum jura minime distinguant. Haec omnia statuuntur *Cap. 7. 8. 9. 13. 15. h. t.* et expressius *Cap. 2. eod. in 6.* et in casu *1. bullae Caenae.* Ista irregularitas ligat etiam filios haereticorum usque ad secundam generationem *Cap. 2.* §. *haeretici h. t. in 6.* Censentur enim filii referre maculam, et suspicionem nequitiae parentum suorum. Haeresis si occulta fuerit, et non notoria dispensari potest ab Episcopo ex dispositione *Concilii Tridentini sess. 24. Cap. 6 de reformat.*

Verum hisce spiritualibus poenis subjacent non modo haeretici, uti supra innuimus, sed etiam 1°. *Credentes,* scilicet qui adhaerent falsae Doctrinae haereticorum, quamvis ad sectam ipsorum non pertineant. 2°. *Receptatores,* idest qui haereticis hospitium praebent, ne veniant in manus judicum. 3.° *Defensores,* idest qui tuentur vel personas haereticorum, vel eorum errores. 4°. *Fauto-*

res, idest qui haereticis qua talibus favorem praestant, vel positive eos laudando, vel negative ut omittendo denunciationem, capturam, et custodiam.

Hae sunt poenae spirituales, quibus haeretici, aliique ipsis faventes afficiuntur. Nunc ad poenas temporales, quae contra ipsos haereticos, eorumque receptores, fautores, et defensores statutae fuerunt; haeque plures sunt, scilicet 1°. Infamia non tantum *facti,* sed etiam juris ipso jure incurrenda, licet effectum non pariat, nisi post sententiam declaratoriam criminis. *Can. 17. Infames 6. quaest. 1ª et Cap. 13. §. 5. h. t.* Notandum tamen hic est quod infamia ista non transfunditur in filios, et nepotes, ne isti sine claro textu praegraventur alieno delicto. Neque facienda est extensio ab infamia, quam contrahunt filii ob paternum crimen laesae majestatis, scitissimi juris cum sit, in hac materia poenali extensionem poenarum jure fieri non posse. 2°. Amissio patriae potestatis in liberos, uti et aliorum privilegiorum a jure concessorum, *Cap. 2. §. fin. h. t. in 6.,* quae tamen poena ad receptores, fautores, et defensores haereticorum extendi haud debet. 3°. Privatio dignitatum, et honorum, actuumque legitimorum, et inhabilitas ad officia publica: ideo haeretici non possunt esse judices, advocati, testes etc. *Cap. 13. §. Credentes h. t.* quandoquidem infamibus talia officia denegantur. 4°. Intestabilitas, seu privatio factionis testamenti tum activae, tum passivae, ita ut haereticus nec de bonis suis te-

stari, nec in alienis bonis allodialibus, aut fidei commissariis succedere possit. *Cap. 13. §. Credentes h. t. leg. 4ª. §. 2. leg. 5. et ult. Cod. h. t.* 5°. Liberatio subditorum a vinculo, et obligatione obedientiae erga summum civilem Imperantem. 6°. Contra haereticos pertinaces infligi etiam poterat ultimum supplicium, ceu argui potest ex *Cap. 9. 13. 10. 11 et ult. h. t.* et ex *Cap. 28. 14. et 19. eod. in 6.* In his Ecclesiastica legislatio nedum jus commune agnovit, sed et mirifice roboravit. Quod jus commune erui praesertim potest hac in re ex *leg. 4. 5. et 8. Cod. h. t.*

Verumtamen venientibus annis plures concessiones factae fuerunt haereticis, hinc mutatis circumstantiis hujusmodi civiles poenae in desuetudinem abierunt. Sed procedamus ad aliquid dicendum

De judice in causa haeresis.

Huc cum pervenerimus, quaerere merito quis potest, quinam sit judex in causa haeresis? Huic interrogationi responderi potest, judicem in causa haeresis alium esse non posse, nisi Ecclesiasticum privative, sive haeresis principaliter, sive incidenter, sive in quaestione juris, sive in quaestione facti in judicium deducatur. Ita *Cap. 18, v. prohibemus h. t.* quae constitutio confirmata fuit a pluribus Romanis Pontificibus. Et jure merito: quandoquidem haeresis est crimen mere Ec-

clesiasticum ex sacris literis, et Ecclesiae canonibus judicandum, etiam in quaestione facti, quae vix separatur a quaestione juris.

Judices autem ordinarii in causa hujusmodi sunt: 1.° Papa. 2.° Legatus a latere. *Cap. 12, h. t.*, licet hodie absque speciali mandato Papae legati Apostolicae Sedis intromittere se non possint causis haereticalibus. 3.° Episcopus, qui in propria dioecesi est custos fidei. *Cap. 13, h. t.* § *Adjicimus*, *et Clem. 1.*, § *Propter quod.* Verum si haereticus est persona exempta potest contra ipsum procedere uti Apostolicae Sedis delegatus *Cap. 3.* § *ult. h. t.* Gravitas autem causae suadet in hoc negocio Vicarium Generalem Episcopi nec citare, nec judicare posse in vim mandati ordinarii. Ita ex *Conc. Trid. sess. 24, de Refor. Cap. 6*,. 4.° Poterit contra non exemptos procedere in casu haereseos ipse Vicarius Capitularis, Sede vacante; eo quod Vicarius Capitularis Episcopo succedit in jurisdictione, et administratione ordinaria dioeceseos. 5.° Si instituta fuerit in loco S. Inquisitio, tunc etiam inquisitores possunt facultate ordinaria procedere una cum Episcopo, licet separatim, hac tamen conditione, ut antequam ab alterutro tribunali sententia proferatur, mutua actorum processualium comparticipatio fiat. *Cap. 11, et 17, h. t. in 6.* Quod si hujusmodi inquisitio instituta haud fuerit, tunc poterit Episcopus ex se procedere contra haereticos usque ad sententiam definitivam, quin inquisitoribus alienae provinciae acta

referre teneatur. Sed poterit ne haberi communicatio, et disputatio cum haereticis? Mox videbimus.

De communicatione, et disputatione cum haereticis.

Communicatio cum haereticis olim erat catholicis absolute interdicta, utpote excommunicatis. Idque factum est tum ut ab haeresis contagione fideles praeservarentur; tum ut perversi noscerent se esse ab Ecclesia depulsos. Hodie sed vero, modo procul sit scandalum, et periculum perversionis, interdicta tantum est communicatio cum haereticis publice, et nominatim denunciatis, tamquam cum excommunicatis vitandis, uti patet ab Extrav. Martini V *Ad vitanda.* Quare cum haereticis toleratis licet communicare in profanis, in civilibus, et civilibus conjunctis, uti esset mera, et materialis praesentia haeretici funeri catholici causa honoris, ut habetur in responsione S. Congregationis S. Officii data anno 1753; item mera, et materialis tantum praesentia haeretici precibus, et ritibus catholicis. Card. Soglia *Inst. jur. priv.* §. *234;* item assistentia catholici nuptiis haereticorum. Bul. *Inter omnigenas* Benedicti XIV.

Verumtamen regulariter, et practice loquendo est interdicta hujusmodi communicatio in sacris, et divinis; nam, ut ait Benedictus XIV — *Fere impossibile est usuvenire ut a flagitio excusari valeant catholici, sese in rebus sacris cum haereticis, et schismaticis admiscentes:* quia ut subdit,

vix unquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia catholicorum cum haereticis communicatio in divinis. Ita praedictus Pontifex *de Synod. lib. 6, Cap. 5, n. 2, et cit. resp. S. Officii.* Quin catholicos excusare valeat haereticorum persecutio, quia juxta S. Officii sententiam, *persecutio ipsa aequivalet interrogationi fidei.* Ita cit. respon. S. Officii, quae per extensum refertur a Giraldo post *Cap. Nulli de senten. excom.* Unde Paulus V definivit non licere catholicis regni Angliae haereticorum templa adire, et ritibus eorum interesse. Ita cit. Pontifex Bened. XIV cit. *mox loc.* Idem confirmatum fuit a S. Congregatione S. Officii in Instructione pro Missionariis Orientis anno 1729; et in responsione ad quemdam Missionarium Peloponnensem anno 1753, in qua declaravit, non posse Missae celebrationem permitti Sacerdotibus haereticis, et schismaticis in Ecclesiis catholicorum, neque posse catholicos adsistere funeribus celebratis ritu schismatico, neque posse absolvi catholicos communicantes cum schismaticis, nisi in casu extremae necessitatis, neque posse catholicos communicare in divinis cum schismaticis, et haereticis in eorum Ecclesiis; ceu monet Giraldus, qui dictam Instructionem refert per extensum post *cap. Nulli de sent. excom.* Demum in horum confirmationem accedit dispositio recens data a Pio VI, in casu Gallicanorum, qui schismaticum emiserunt juramentum servandae constitutionis a Conventu nationali editae.

Romae autem non est omittenda hac in re instructio Cardinalis Vicarii ad parochos directa sub die *12 Julii 1872*, in qua jussu S. Pontificis nonnulla decernuntur. Refertur ipsa penes acta S. Sedis *vol. XI, pag. 168 et seq.*

Quoad autem disputationem cum haereticis haec sunt breviter animadvertenda. Vetitum olim fuit laicis disputare publice, vel privatim, de fide catholica. (*Cap. Quicumque, 2,* DE HAERETICIS, *in VI*). Haec disciplina laicos admonet quam considerate agere debeant cum haereticis, ne se immisceant in controversias, quae ipsis forte essent in laqueum diaboli. Nihilominus, si sint sufficienter edocti fidem catholicam, et disputationem privatam vel etiam in scriptis publicis profuturam sperent, possunt tueri sanam doctrinam auctoritatemque Ecclesiae.

De clericis tamen nihil statuerunt canones: possunt utique, tum privatim, tum publice de fide disputare; ad hoc enim constituti sunt, ut dogmata fidei contra insurgentes falsas opiniones defendant. Prudentia tamen non sinit, ordo disciplinae non patitur, ut publicas disputationes cum haereticis, vel cum incredulis instituant, antequam consilia, et assensum sui Episcopi obtinuerint, ne et ipsi honorem suae conditionis, et reverentiam sacris doctrinis debitam, necnon auctoritatem Ecclesiae in discrimen adducant. Perraro enim contigit disputationes viva voce initas in publico cum heterodoxis, Ecclesiae utilitatibus profuisse. Nunc pauca

De prohibitione librorum.

Nedum Ecclesia reprobat haereticos, sed et eorum libros, quia cum auctores damnati sunt, etiam scripta eorum admitti non possunt. *Cap. 4. de haeret. et ibi Gloss.*

Tres autem sunt librorum prohibitorum classes. Prima est illorum, qui in *Bulla Caenae* prohibentur, idest qui auctore haeretico prodierunt. Secunda classis est, quae auctores habet determinatas personas catholicorum, qui tamen contra fidem, vel mores scripserunt. Tertia tandem classis est, quae auctores habet anonymos, sed doctrinas reprobandas exhibet.

Discrimen est inter libros primae classis, et illos secundae, et tertiae. Nam libri haereticorum primae classis, si ob haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnati sunt, a catholicis cujuscumque gradus, et conditionis sint, in vim *Bullae Apostolatus Officium* Urbani VIII absque S. Sedis licentia *imprimi, legi, retineri, defendi* non possunt sub poena excommunicationis Papae reservatae. Ita *Reg. 10 Ind. et Bull. Caenae* §. *1.* Libri vero secundae, et tertiae classis, si damnati sint *ob haeresis*, vel *falsi dogmatis suspicionem*, secumferunt excommunicationem non reservatam, alias tantum peccati lethalis reatum.

Verumtamen notatu digna est immutatio, et correctio facta a Constitutione *Apostolicae Sedis.*

Nam Bulla Caenae quoad primam istorum librorum classem statuerat — *Excommunicamus libros haereticorum, haeresim continentes, vel de religione tractantes sine auctoritate nostra, et S. Sedis Apostolicae legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes publice, vel occulte quovis ingenio, vel colore.*

Costitutio vero *Apostolicae Sedis* sub num. 2 haec habet — *Omnes, et singulos scienter legentes sine auctoritate Apostolicae Sedis libros eorumdem apostatarum, et haereticorum haeresim propugnantes, nec non eosdem libros retinentes, et quomodolibet defendentes.* — Patet hinc mutatio, et correctio; siquidem in Bulla Caenae, qui libros de Religione simpliciter tractantes scienter legunt, aut retinent, imprimunt, seu quomodolibet defendunt, incurrunt excommunicationem: in vim autem Constitutionis *Apostolicae Sedis* licet legi nequeunt sine peccato, excommunicationem tamen hanc non incurrunt; dummodo haeresim haud propugnent.

Item dicendum quoad secundae, et tertiae classis libros. Nam si libri isti damnati fuerint ob haeresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem, eorum lectio in vim *Reg. X Ind.* et Bullae Caenae prohibebatur sub poena excommunicationis nemini reservatae. In Constitutione vero Apostolicae Sedis regula haec immutata, et correcta fuisse videtur. Legitur enim sub cit. num. 2. — *Nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos, eosdem libros retinentes, im-*

primentes, et quomodolibet defendentes. Hinc hujusmodi libri legi nequeunt sine peccato, at excommunicatio eos tantummodo libros percellit, qui nominatim ab Apostolicis literis damnati fuerint. Patet hinc immutatio, et correctio etiam quoad secundae, et tertiae classis libros.

Verum ut prohibitio istorum librorum urgeat, requiritur scientia prohibitionis, hinc a censura excusat ignorantia etiam crassa, et probabiliter etiam affectata, dummodo procul absit temeritas, quae contumaciam in censuris necessariam revelet. Sed quid tandem dicendum de absolutione ab haeresi? De hac sequens loquitur articulus

De absolutione ab haeresi.

Ut cognosci possit, quinam absolvere ab haeresi valeat, inspiciendum est, utrum crimen haeresis occultum adhuc sit, et ad forum contentiosum nondum deductum, an contra ad hoc deductum. Si primum, jure ordinario, et praescindendo a specialibus privilegiis, absolvere ab haeresi potest solus Summus Pontifex, cui absolutio illius reservata est ratione excommunicationis illi annexae. Si vero secundum, tunc ab haeresi, et excommunicatione ipsi annexa pro foro conscientiae ex vi Tridentini Concilii *sess. 24, Cap. 6,* potest 1.° *Episcopus,* 2.° *Capitulum Sede vacante,* 3.° *Praelati inferiores* jurisdictionem ordinariam, et quasi Epi-

scopalem habentes in territorio suo, 4.° *Praelati* tandem *regulares* exempti ex concessione S. Pii V. Ita Schmalzgrueber *h. t. n. 187, et sequen.*

TITULUS VIII.

De schismaticis, et ordinatis ab eis.

Compilator decretalium postquam in superiori titulo loquutus est de haereticis, merito nunc transitum facit ad praesentem titulum, idest ad schismaticos, quia licet schismatici non sint haeretici, attamen ipsi plerumque in haeresim incidunt, ut factum suum cohonestare, et defendere valeant, ceu mox in aprico collocabitur.

Duabus partibus constat praesens rubrica. In prima parte quaeritur, quaenam poenae contra schismaticos ab Ecclesia constitutae sint, in secunda vero quaeritur, quid censendum de actibus istorum schismaticorum, et praesertim de ordinatione ab ipsis impertita Harum tamen quaestionum resolutionem claram habere haud poterimus, nisi prius exactam schismatis notionem habuerimus.

Schisma generice, et large sumptum graecum nomen est, quod scissuram, et divisionem significat. Ita *Cap. 34, caus. 24, q. 1.*ª — ibi — *Schisma siquidem ipsum, quod graecum nomen est, scissu-*

ram sonat. Ipsum multipliciter accipi potest, sed in casu nostro est — *scissura, sive disjunctio, per quam quis ultro se ab unitate universalis Ecclesiae separat, in quantum ea est corpus misticum ex fidelibus, et legitimis pastoribus, ac praesertim Romano Pontifice tamquam capite constans.* Ita post D. Thom. schisma definiunt communiter Doctores. Diximus *ultro,* quia siquis ab Ecclesiae communione non ultro se separaverit, sed separatus fuerit, tunc non schismaticus, sed *excommunicatus* appellatur.

Schisma ita definitum dividitur in *purum,* et *non purum,* seu *mixtum,* scilicet cum haeresi conjunctum. Schisma purum illud est, quod directe opponitur *unitati Ecclesiae, non fidei.* Unde ille est schismaticus purus, qui omnes prorsus fidei articulos admittit, et fatetur obtemperandum esse legitimae auctoritati in Ecclesia existenti, verumtamen ex malitia denegat obedientiam legitimae huic auctoritati. Hac de re schisma purum definiri potest « malitiosus recessus a vera Eccle-
» sia quoad obedientiam solum, et fit, et est, cum
» quis omnes fidei articulos, ipsam etiam supre-
» mam ipsius Pontificis potestatem, et primatum in
» Ecclesia credit, recusat tamen ex mera malitia
» subesse, et obedire S. Pontifici formaliter sumpto
» qua tali, seuqua Capiti, et Christi in terris Vica-
» rio, Ecclesiae universali, vel ceteris dictae uni-
» versalis Ecclesiae membris uniri, aut unitus, et
» conjunctus esse detrectat ». Sic schisma fit et est,

cum aliquis principatus, seu aliquod regnum negans obedientiam S. Pontifici tamquam Capiti universalis Ecclesiae, constituit sibi proprium Patriarcham, aut Episcopum, eique in spiritualibus obedit, spretis, seu neglectis, et omnino haud attentis Papae mandatis; licet de caetero Papatum, et articulos fidei credat, et hujusmodi Principatus, et regni Princeps, Rex, et incolae in tali casu sunt *puri* et proprie dicti *schismatici*. Sic *in re communiter Doctores omnes*. Hujusmodi schisma, uti in omnium oculos insilit, ab haeresi differt in eo, quod haeresis per se, ac directe opponitur fidei negando ejus doctrinam, schisma vero charitati repugnat, Ecclesiae unitatem, quae in charitate consistit, dividendo, sive scindendo. Ita D. Thomas; merito hinc hujusmodi schismatici a Pontifice Gelasio *Can. 43, caus. 23, quaest. 5,* dicti sunt *corpus Christi lacerare.*

Schisma vero *non purum,* seu mixtum, idest conjunctum cum haeresi definiri potest = *malitiosus recessus a vera Ecclesia quoad obedientiam pariter, et credentiam, non quoad omnes articulos* (quia tunc esset Apostata) *sed quoad unam, aut plures veritates Catholicas ab Ecclesia definitas, et ad credendum propositas.* Et fit, et est, cum quis praeter separationem ab unitate verae Ecclesiae negat unam, vel plures propositiones ab ipsa Ecclesia definitas, et propositas: v. g. negat Romanum Pontificem esse successorem B. Petri, vel Christi Vicarium in terris, cui sit obtemperandum, negat

Sanctorum communionem, auricularem confessionem, et hujusmodi. Hic in tali casu est schismaticus non purus, seu mixtus, quamvis alios articulos fidei credat, et approbet. *Sic in re communis Doctorum.*

Post haec duo hic advertenda occurrunt, 1.° scilicet quod ordinarie, et practice loquendo vix umquam nostris praesertim temporibus datur amplius schisma *purum,* seu sine haeresi. Schisma enim licet in suo principio non habeat perversum Fidei dogma, sicut Haeresis, in fine tamen nullum schisma est sine haeresi, ceu manifeste eruitur ex verbis S. Hieronymi in *Cap. Inter haeresim 26, caus. 24, quaest. 4,* — ibi — « Inter haeresim » et schisma hoc interesse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat, schisma propter » Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter » separat. Quod quidem in principio aliqua ex » parte intelligi potest. Caeterum nullum schisma » non aliquam sibi confingit haeresim, ut recte ab » Ecclesia recessisse videatur ». 2.° Pariter hic advertendum est, quod non omnis recessus, seu separatio a Papa est schisma, sed solum recessus, et separatio ab ipso tamquam a Vicario Christi in terris, et Capite formaliter totius Ecclesiae. Unde recte intelligitur, illum schismaticum non esse, qui Romanum Pontificem tamquam Christi Vicarium in terris, et Caput formaliter Ecclesiae recognoscit, eique qua formaliter Pontifici obedientiam praestat; sed non vult illum recognoscere tam-

quam temporalem alicujus provinciae Dominum, eique obedientiam denegat cum jubeat, ut arma deponat, bellum contra ipsum non gerat, invisum et otiosum ministrum recipiat, etc. : similes enim inobedientiae, et recessus adhuc bene compatiuntur cum debita recognitione, et obedientia erga eumdem tamquam Vicarium Christi in terris, et tamquam Caput formaliter totius Ecclesiae Catholicae, nec separant a vera Ecclesia, quatenus est corpus mixticum. *Ita communis*. Item proprie *schismaticus* non est, qui se a quolibet alio Episcopo etiam qua talis est, separat, eique obedire detrectat, vel se a solis membris alicujus particularis dioecesis, et Ecclesiae disjungit. Schisma enim importat separationem, et recessum ab Ecclesia universali, et ejus formaliter Capite.

Schisma hoc, seu disjunctio haec duplex est, *manifesta* una, *latens*, sive *occulta* altera. Manifesta habetur, quando quis aperte, et pertinaciter recedit ab hac communitate, et non vult servare cum legitimis pastoribus, praesertim R. Pontifice communionem. Idque verbis, et factis, vel alio signo externo manifestat. Latens autem, seu occulta habetur, quando ipsa in mente latet, ideoque nota non est, cum nec verbis, nec factis, neque aliquo signo manifestetur. Ex quo sequitur, quod schisma latens, seu occultum, etsi gravissimum peccatum sit, haud tamen eisdem subjacet poenis, quibus schisma manifestum subjicitur. Ratio est quia schisma non perficitur, et non consumatur,

nisi per solum actum externum, quod certe dici nequit de haeresi, cum ista necessario errorem intellectus secumferat, ac requirat. *Pirhing. h. t.*

Hisce breviter expositis veniamus ad quaestiones superius indicatas; in quarum prima quaeritur, quaenam poenae contra schismaticos ab Ecclesia statutae sunt?

Resp. distinguendo: vel schismatici sunt proprie dicti, seu puri, et nullam conjunctam habent haeresim, et tunc incurrunt sequentes poenas, scilicet 1.° excommunicationem latae sententiae speciali modo Papae reservatam. *Can. Nulli fas 5, dist. 19, Can. De Liguribus 43, caus. 23, quaest. 5.* Et expresse habetur *in Bulla Caenae* §. *1* — ibi — *Excommunicamus schismaticos, et eos, qui se a nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt.* Cui concinit Constitutio Pii IX. *Apostolicae Sedis* n. 3. Notandum tamen est ad hujusmodi excommunicationem incurrendam non sufficere, ut quis mente retineat fidem, et ut Vicarium Christi, seu Caput Ecclesiae Papam agnoscat, sed requiri ut aliquo opere exteriori ita se gerat, ac si Papae non esset subjectus, nec Ecclesiae pars, idest requiritur, ut schisma hoc sit *manifestum,* et non *latens,* ceu superius innuimus. Hac de re Catholici in Anglia, qui exterius profitentur Regem tamquam caput Ecclesiae in spiritualibus, sunt veri, et proprie dicti schismatici, ideoque hanc excommunicationem incurrunt. Sanchez *cit. loc. n. 14.* 2.° In-

quam temporalem alicujus provincia· .asticae uti eique obedientiam denegat cum i· t, *quaest. 1.ª* deponat, bellum contra ipsum .*hil habere juris*, et otiosum ministrum recir· .abilitatem ad bene- inobedientiae, et recess· .asticas, et praesertim tur cum debita rec .t peractam poenitentiam, eumdem tamquam .io schismate ad unitatem Ec- tamquam Capu .rsi. Ita Pirhing. *tit. 8, n. 5,* licae, nec s .*diligentia 5 de Electione*. Et *Cap.* corpus m .s. *matic* ... *quaeri heic* haud immerito potest = An schi- eti ... *puri* privandi sint etiam beneficiis ante c ... schismatici obtentis? Respondemus, non convenire DD. in hoc punto. Nonnulli enim tenent non esse privandos, quia citatum caput *ad succidendos* re- vocatum fuit a Benedicto XI *Extravagan. unic. de Schismaticis*. Ita Garzias de *benef. pars. 11, cap. 10, n. 151,* Sanchez *lib. 2 moral. cap. 36, n. 16.* Reiffenstuel *h. t. n. 11* et alii. Nonnulli vero contrariam tenent sententiam.

Haec si schismatici *puri* sunt; si vero impuri, seu mixti, habentes scilicet adjunctam haeresim, quales hisce temporibus sunt fere omnes, tunc subjacent omnibus poenis, quibus subjecti sunt haeretici. Unde videri potest, quod de ipsis dicta sunt in titulo VII.

Nunc ad secundam veniamus quaestionem, in qua quaeritur, quid censendum sit de actibus istorum schismaticorum, et praesertim de ordinatione ab eis impertita? Resp. pariter distinguendo: vel

ctus isti procedunt ab ordine, vel a jurisdictione. procedunt ab ordine, tunc validi esse censentur, a potestas ordinis semel recepta non amittitur, modo servata fuerit materia apta in sacramen- rma, et intentio generalis faciendi id, quod cclesia. Quin obstet *Caput Quod a praedeces-* . 1.° *de Schismaticis*, ubi nullae, atque irritae declarantur hujusmodi ordinationes. Istud enim caput ita intelligi debet, nempe quod accipiens ordines a Schismatico sit suspensus *ipso facto* ab executione eorum, veluti si nullum ordinem recepisset; ceu confirmatur a Constit. *Apostolicae Sedis* in tit. de suspensionibus latae sententiae S. Pontifici reservatis sub n. 6; ordines tamen suscepti validi sunt, et characterem imprimunt. Ita communis DD. cum Glos. in citat. cap. *Quod a praedecessore verb. Irritas*. Si vero actus isti procedunt a jurisdictione, tunc invalidi esse censentur, cum potestatem jurisdictionis spiritualis nec valide, nec licite exercere possint. Pirhing. *lib. 5, h. t. n. 10.* Ratio est quia schismatici praeter caeteras poenas incurrunt illam privationis jurisdictionis Ecclesiasticae etc. Maschat. *h. t. n. 4.*

Verum hic notandum occurrit, quod si actus isti jurisdictionis emittuntur a schismatico manifesto, tunc invalidi esse censentur, excepto unico casu necessitatis, quia in hac hypothesi actus emittitur in bonum illius, cui administratur, non a quo emittitur; si vero actus isti emittuntur a schi-

scopalem habentes in territorio suo, 4.° *Praelati* tandem *regulares* exempti ex concessione S. Pii V. Ita Schmalzgrueber *h. t. n. 187, et sequen.*

TITULUS VIII.

De schismaticis, et ordinatis ab eis.

Compilator decretalium postquam in superiori titulo loquutus est de haereticis, merito nunc transitum facit ad praesentem titulum, idest ad schismaticos, quia licet schismatici non sint haeretici, attamen ipsi plerumque in haeresim incidunt, ut factum suum cohonestare, et defendere valeant, ceu mox in aprico collocabitur.

Duabus partibus constat praesens rubrica. In prima parte quaeritur, quaenam poenae contra schismaticos ab Ecclesia constitutae sint, in secunda vero quaeritur, quid censendum de actibus istorum schismaticorum, et praesertim de ordinatione ab ipsis impertita Harum tamen quaestionum resolutionem claram habere haud poterimus, nisi prius exactam schismatis notionem habuerimus.

Schisma generice, et large sumptum graecum nomen est, quod scissuram, et divisionem significat. Ita *Cap. 34, caus. 24, q. 1.*ª — ibi — *Schisma siquidem ipsum, quod graecum nomen est, scissu-*

ram sonat. Ipsum multipliciter accipi potest, sed in casu nostro est — *scissura, sive disjunctio, per quam quis ultro se ab unitate universalis Ecclesiae separat, in quantum ea est corpus misticum ex fidelibus, et legitimis pastoribus, ac praesertim Romano Pontifice tamquam capite constans*. Ita post D. Thom. schisma definiunt communiter Doctores. Diximus *ultro*, quia siquis ab Ecclesiae communione non ultro se separaverit, sed separatus fuerit, tunc non schismaticus, sed *excommunicatus* appellatur.

Schisma ita definitum dividitur in *purum*, et *non purum*, seu *mixtum*, scilicet cum haeresi conjunctum. Schisma purum illud est, quod directe opponitur *unitati Ecclesiae, non fidei*. Unde ille est schismaticus purus, qui omnes prorsus fidei articulos admittit, et fatetur obtemperandum esse legitimae auctoritati in Ecclesia existenti, verumtamen ex malitia denegat obedientiam legitimae huic auctoritati. Hac de re schisma purum definiri potest « malitiosus recessus a vera Eccle- » sia quoad obedientiam solum, et fit, et est, cum » quis omnes fidei articulos, ipsam etiam supre- » mam ipsius Pontificis potestatem, et primatum in » Ecclesia credit, recusat tamen ex mera malitia » subesse, et obedire S. Pontifici formaliter sumpto » qua tali, seuqua Capiti, et Christi in terris Vica- » rio, Ecclesiae universali, vel ceteris dictae uni- » versalis Ecclesiae membris uniri, aut unitus, et » conjunctus esse detrectat ». Sic schisma fit et est,

cum aliquis principatus, seu aliquod regnum negans obedientiam S. Pontifici tamquam Capiti universalis Ecclesiae, constituit sibi proprium Patriarcham, aut Episcopum, eique in spiritualibus obedit, spretis, seu neglectis, et omnino haud attentis Papae mandatis; licet de caetero Papatum, et articulos fidei credat, et hujusmodi Principatus, et regni Princeps, Rex, et incolae in tali casu sunt *puri* et proprie dicti *schismatici*. Sic *in re communiter Doctores omnes*. Hujusmodi schisma, uti in omnium oculos insilit, ab haeresi differt in eo, quod haeresis per se, ac directe opponitur fidei negando ejus doctrinam, schisma vero charitati repugnat, Ecclesiae unitatem, quae in charitate consistit, dividendo, sive scindendo. Ita D. Thomas; merito hinc hujusmodi schismatici a Pontifice Gelasio *Can. 43, caus. 23, quaest. 5,* dicti sunt *corpus Christi lacerare.*

Schisma vero *non purum,* seu mixtum, idest conjunctum cum haeresi definiri potest = *malitiosus recessus a vera Ecclesia quoad obedientiam pariter, et credentiam, non quoad omnes articulos* (quia tunc esset Apostata) *sed quoad unam, aut plures veritates Catholicas ab Ecclesia definitas, et ad credendum propositas.* Et fit, et est, cum quis praeter separationem ab unitate verae Ecclesiae negat unam, vel plures propositiones ab ipsa Ecclesia definitas, et propositas: v. g. negat Romanum Pontificem esse successorem B. Petri, vel Christi Vicarium in terris, cui sit obtemperandum, negat

Sanctorum communionem, auricularem confessionem, et hujusmodi. Hic in tali casu est schismaticus non purus, seu mixtus, quamvis alios articulos fidei credat, et approbet. *Sic in re communis Doctorum.*

Post haec duo hic advertenda occurrunt, 1.° scilicet quod ordinarie, et practice loquendo vix umquam nostris praesertim temporibus datur amplius schisma *purum,* seu sine haeresi. Schisma enim licet in suo principio non habeat perversum Fidei dogma, sicut Haeresis, in fine tamen nullum schisma est sine haeresi, ceu manifeste eruitur ex verbis S. Hieronymi in *Cap. Inter haeresim 26, caus. 24, quaest. 4,* — ibi — « Inter haeresim » et schisma hoc interesse arbitramur, quod hae» resis perversum dogma habeat, schisma propter » Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter » separat. Quod quidem in principio aliqua ex » parte intelligi potest. Caeterum nullum schisma » non aliquam sibi confingit haeresim, ut recte ab » Ecclesia recessisse videatur ». 2.° Pariter hic advertendum est, quod non omnis recessus, seu separatio a Papa est schisma, sed solum recessus, et separatio ab ipso tamquam a Vicario Christi in terris, et Capite formaliter totius Ecclesiae. Unde recte intelligitur, illum schismaticum non esse, qui Romanum Pontificem tamquam Christi Vicarium in terris, et Caput formaliter Ecclesiae recognoscit, eique qua formaliter Pontifici obedientiam praestat; sed non vult illum recognoscere tam-

Romae autem non est omittenda hac in re instructio Cardinalis Vicarii ad parochos directa sub die *12 Julii 1872*, in qua jussu S. Pontificis nonnulla decernuntur. Refertur ipsa penes acta S. Sedis *vol. XI, pag. 168 et seq.*

Quoad autem disputationem cum haereticis haec sunt breviter animadvertenda. Vetitum olim fuit laicis disputare publice, vel privatim, de fide catholica. (*Cap. Quicumque, 2,* DE HAERETICIS, *in VI*). Haec disciplina laicos admonet quam considerate agere debeant cum haereticis, ne se immisceant in controversias, quae ipsis forte essent in laqueum diaboli. Nihilominus, si sint sufficienter edocti fidem catholicam, et disputationem privatam vel etiam in scriptis publicis profuturam sperent, possunt tueri sanam doctrinam auctoritatemque Ecclesiae.

De clericis tamen nihil statuerunt canones: possunt utique, tum privatim, tum publice de fide disputare; ad hoc enim constituti sunt, ut dogmata fidei contra insurgentes falsas opiniones defendant. Prudentia tamen non sinit, ordo disciplinae non patitur, ut publicas disputationes cum haereticis, vel cum incredulis instituant, antequam consilia, et assensum sui Episcopi obtinuerint, ne et ipsi honorem suae conditionis, et reverentiam sacris doctrinis debitam, necnon auctoritatem Ecclesiae in discrimen adducant. Perraro enim contigit disputationes viva voce initas in publico cum heterodoxis, Ecclesiae utilitatibus profuisse. Nunc pauca

De prohibitione librorum.

Nedum Ecclesia reprobat haereticos, sed et eorum libros, quia cum auctores damnati sunt, etiam scripta eorum admitti non possunt. *Cap. 4. de haeret. et ibi Gloss.*

Tres autem sunt librorum prohibitorum classes. Prima est illorum, qui in *Bulla Caenae* prohibentur, idest qui auctore haeretico prodierunt. Secunda classis est, quae auctores habet determinatas personas catholicorum, qui tamen contra fidem, vel mores scripserunt. Tertia tandem classis est, quae auctores habet anonymos, sed doctrinas reprobandas exhibet.

Discrimen est inter libros primae classis, et illos secundae, et tertiae. Nam libri haereticorum primae classis, si ob haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnati sunt, a catholicis cujuscumque gradus, et conditionis sint, in vim *Bullae Apostolatus Officium* Urbani VIII absque S. Sedis licentia *imprimi, legi, retineri, defendi* non possunt sub poena excommunicationis Papae reservatae. Ita *Reg. 10 Ind. et Bull. Caenae* §. *1.* Libri vero secundae, et tertiae classis, si damnati sint *ob haeresis,* vel *falsi dogmatis suspicionem,* secumferunt excommunicationem non reservatam, alias tantum peccati lethalis reatum.

Verumtamen notatu digna est immutatio, et correctio facta a Constitutione *Apostolicae Sedis.*

Nam Bulla Caenae quoad primam istorum librorum classem statuerat — *Excommunicamus libros haereticorum, haeresim continentes, vel de religione tractantes sine auctoritate nostra, et S. Sedis Apostolicae legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes publice, vel occulte quovis ingenio, vel colore.*

Costitutio vero *Apostolicae Sedis* sub num. 2 haec habet — *Omnes, et singulos scienter legentes sine auctoritate Apostolicae Sedis libros eorumdem apostatarum, et haereticorum haeresim propugnantes, nec non eosdem libros retinentes, et quomodolibet defendentes.* — Patet hinc mutatio, et correctio; siquidem in Bulla Caenae, qui libros de Religione simpliciter tractantes scienter legunt, aut retinent, imprimunt, seu quomodolibet defendunt, incurrunt excommunicationem: in vim autem Constitutionis *Apostolicae Sedis* licet legi nequeunt sine peccato, excommunicationem tamen hanc non incurrunt, dummodo haeresim haud propugnent.

Item dicendum quoad secundae, et tertiae classis libros. Nam si libri isti damnati fuerint ob haeresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem, eorum lectio in vim *Reg. X Ind.* et Bullae Caenae prohibebatur sub poena excommunicationis nemini reservatae. In Constitutione vero Apostolicae Sedis regula haec immutata, et correcta fuisse videtur. Legitur enim sub cit. num. 2. — *Nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos, eosdem libros retinentes, im-*

primentes, et quomodolibet defendentes. Hinc hujusmodi libri legi nequeunt sine peccato, at excommunicatio eos tantummodo libros percellit, qui nominatim ab Apostolicis literis damnati fuerint. Patet hinc immutatio, et correctio etiam quoad secundae, et tertiae classis libros.

Verum ut prohibitio istorum librorum urgeat, requiritur scientia prohibitionis, hinc a censura excusat ignorantia etiam crassa, et probabiliter etiam affectata, dummodo procul absit temeritas, quae contumaciam in censuris necessariam revelet. Sed quid tandem dicendum de absolutione ab haeresi? De hac sequens loquitur articulus

De absolutione ab haeresi.

Ut cognosci possit, quinam absolvere ab haeresi valeat, inspiciendum est, utrum crimen haeresis occultum adhuc sit, et ad forum contentiosum nondum deductum, an contra ad hoc deductum. Si primum, jure ordinario, et praescindendo a specialibus privilegiis, absolvere ab haeresi potest solus Summus Pontifex, cui absolutio illius reservata est ratione excommunicationis illi annexae. Si vero secundum, tunc ab haeresi, et excommunicatione ipsi annexa pro foro conscientiae ex vi Tridentini Concilii *sess. 24, Cap. 6,* potest 1.° *Episcopus,* 2.° *Capitulum Sede vacante,* 3.° *Praelati inferiores* jurisdictionem ordinariam, et quasi Epi-

scopalem habentes in territorio suo, 4.° *Praelati* tandem *regulares* exempti ex concessione S. Pii V. Ita Schmalzgrueber *h. t. n. 187, et sequen.*

TITULUS VIII.

De schismaticis, et ordinatis ab eis.

Compilator decretalium postquam in superiori titulo loquutus est de haereticis, merito nunc transitum facit ad praesentem titulum, idest ad schismaticos, quia licet schismatici non sint haeretici, attamen ipsi plerumque in haeresim incidunt, ut factum suum cohonestare, et defendere valeant, ceu mox in aprico collocabitur.

Duabus partibus constat praesens rubrica. In prima parte quaeritur, quaenam poenae contra schismaticos ab Ecclesia constitutae sint, in secunda vero quaeritur, quid censendum de actibus istorum schismaticorum, et praesertim de ordinatione ab ipsis impertita Harum tamen quaestionum resolutionem claram habere haud poterimus, nisi prius exactam schismatis notionem habuerimus.

Schisma generice, et large sumptum graecum nomen est, quod scissuram, et divisionem significat. Ita *Cap. 34, caus. 24, q. 1.ª* — ibi — *Schisma siquidem ipsum, quod graecum nomen est, scissu-*

ram sonat. Ipsum multipliciter accipi potest, sed in casu nostro est — *scissura, sive disjunctio, per quam quis ultro se ab unitate universalis Ecclesiae separat, in quantum ea est corpus misticum ex fidelibus, et legitimis pastoribus, ac praesertim Romano Pontifice tamquam capite constans*. Ita post D. Thom. schisma definiunt communiter Doctores. Diximus *ultro,* quia siquis ab Ecclesiae communione non ultro se separaverit, sed separatus fuerit, tunc non schismaticus, sed *excommunicatus* appellatur.

Schisma ita definitum dividitur in *purum,* et *non purum,* seu *mixtum,* scilicet cum haeresi conjunctum. Schisma purum illud est, quod directe opponitur *unitati Ecclesiae, non fidei*. Unde ille est schismaticus purus, qui omnes prorsus fidei articulos admittit, et fatetur obtemperandum esse legitimae auctoritati in Ecclesia existenti, verumtamen ex malitia denegat obedientiam legitimae huic auctoritati. Hac de re schisma purum definiri potest « malitiosus recessus a vera Eccle- » sia quoad obedientiam solum, et fit, et est, cum » quis omnes fidei articulos, ipsam etiam supre- » mam ipsius Pontificis potestatem, et primatum in » Ecclesia credit, recusat tamen ex mera malitia » subesse, et obedire S. Pontifici formaliter sumpto » qua tali, seuqua Capiti, et Christi in terris Vica- » rio, Ecclesiae universali, vel ceteris dictae uni- » versalis Ecclesiae membris uniri, aut unitus, et » conjunctus esse detrectat ». Sic schisma fit et est,

cum aliquis principatus, seu aliquod regnum negans obedientiam S. Pontifici tamquam Capiti universalis Ecclesiae, constituit sibi proprium Patriarcham, aut Episcopum, eique in spiritualibus obedit, spretis, seu neglectis, et omnino haud attentis Papae mandatis; licet de caetero Papatum, et articulos fidei credat, et hujusmodi Principatus, et regni Princeps, Rex, et incolae in tali casu sunt *puri* et proprie dicti *schismatici*. Sic *in re communiter Doctores omnes*. Hujusmodi schisma, uti in omnium oculos insilit, ab haeresi differt in eo, quod haeresis per se, ac directe opponitur fidei negando ejus doctrinam, schisma vero charitati repugnat, Ecclesiae unitatem, quae in charitate consistit, dividendo, sive scindendo. Ita D. Thomas; merito hinc hujusmodi schismatici a Pontifice Gelasio *Can. 43, caus. 23, quaest. 5,* dicti sunt *corpus Christi lacerare.*

Schisma vero *non purum,* seu mixtum, idest conjunctum cum haeresi definiri potest = *malitiosus recessus a vera Ecclesia quoad obedientiam pariter, et credentiam, non quoad omnes articulos* (quia tunc esset Apostata) *sed quoad unam, aut plures veritates Catholicas ab Ecclesia definitas, et ad credendum propositas.* Et fit, et est, cum quis praeter separationem ab unitate verae Ecclesiae negat unam, vel plures propositiones ab ipsa Ecclesia definitas, et propositas: v. g. negat Romanum Pontificem esse successorem B. Petri, vel Christi Vicarium in terris, cui sit obtemperandum, negat

Sanctorum communionem, auricularem confessionem, et hujusmodi. Hic in tali casu est schismaticus non purus, seu mixtus, quamvis alios articulos fidei credat, et approbet. *Sic in re communis Doctorum.*

Post haec duo hic advertenda occurrunt, 1.° scilicet quod ordinarie, et practice loquendo vix umquam nostris praesertim temporibus datur amplius schisma *purum,* seu sine haeresi. Schisma enim licet in suo principio non habeat perversum Fidei dogma, sicut Haeresis, in fine tamen nullum schisma est sine haeresi, ceu manifeste eruitur ex verbis S. Hieronymi in *Cap. Inter haeresim 26, caus. 24, quaest. 4,* — ibi — « Inter haeresim » et schisma hoc interesse arbitramur, quod hae» resis perversum dogma habeat, schisma propter » Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter » separat. Quod quidem in principio aliqua ex » parte intelligi potest. Caeterum nullum schisma » non aliquam sibi confingit haeresim, ut recte ab » Ecclesia recessisse videatur ». 2.° Pariter hic advertendum est, quod non omnis recessus, seu separatio a Papa est schisma, sed solum recessus, et separatio ab ipso tamquam a Vicario Christi in terris, et Capite formaliter totius Ecclesiae. Unde recte intelligitur, illum schismaticum non esse, qui Romanum Pontificem tamquam Christi Vicarium in terris, et Caput formaliter Ecclesiae recognoscit, eique qua formaliter Pontifici obedientiam praestat; sed non vult illum recognoscere tam-

Constit. 8 incip. Sedes Apostolica, qua haec praescribit. 1.° Si foetus non est animatus, cessat Const. Sixtina, et ad terminos juris communis reducitur. 2.° Si foetus animatus est, Episcopus per se, aut per alium ab eo deputatum absolvere potest ab excommunicatione, pro foro interno tantum, non vero dispensare in irregularitate per *Trid. Sess. 24 c. 6 de Reformat.* ubi casus homicidii, qualis etiam est in abortu foetus animati, specialiter excipitur.

Verumtamen Constit. *Apostolicae Sedis* aliquid circa poenam excommunicationis innovavit; siquidem inter excommunicationes latae sententiae Episcopo, seu Ordinario reservata legitur *sub. n. 2 excommunicatio contra procurantes abortum effectu sequuto.* Hinc si abortus sequitur sive foetus sit animatus, sive non, excommunicatio semper incurritur, nulla distinctione facta inter foetum animatum, et foetum inanimatum. Hoc excepto, jus antiquum foetus animati conditionem respiciens adhuc viget, et servatur.

Coeterum Ecclesia sollicite invigilavit, ut omnis occasio homicidii indirecte voluntarii removeatur; quapropter parentes admonet, ne parvulos recens natos secum in eodem lecto per noctem detineant, ne forte dormiendo eos opprimant. Legitur enim in *Can. Consuluisti 20 caus. 2 q. 5. — Monendi sunt, et protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, vel opprimatur · unde ipsi*

homicidii rei inveniantur... quia si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quanto magis qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit? — Contra istos in *Cap. ult. h. t.* triennalis poenitentia statuta fuit, quae dein per immutatam disciplinam obsolevit, et solum superfuit praeceptum Ecclesiasticum de cavendo, ne suffocatio filiorum eveniret. Imo in nonnullis dioecesibus suffocatio puerorum est casus Episcopo reservatus.

TITULUS XI.

De infantibus, et languidis expositis.

Parum, aut nihil interest, utrum quis occidat, vel causam mortis praebeat, ceu tradit *lex 15 ff. ad leg. Cornel. de sicariis,* hinc Decretalium Compilator jure praesentem subnectit titulum, eo quod parricidio propinqua est hujusmodi inhumanitas exponendi infantes, et languidos et homicidis recte connumerantur illi, qui eas personas contra officium pietatis exponunt, et deserunt, quibus educatio, alimenta, et cura in languoribus, et infirmitatibus praestari debent. *Necare enim videtur, qui alimenta negat,* ait *lex 4.ª ff. de agnoscendis liberis, lex fin. Cod. h. t. et Cap. fin. dist. 87, can. unic. h. t.*

Antequam vero ad quaestiones enodandas descendamus, quae a juristis sub hoc titulo proponuntur, operae pretium ducimus explanare, quid sit exponere, quid veniat sub nomine infantium et languidorum, quale peccatum, et quas poenas secum ferat hujusmodi expositio, ut ita facilius sensus hujus rubricae intelligatur.

Exponere in genere idem est ac deserere, seu derelinquere, in specie autem, seu ad propositum nostrum exponere est deserere illum, cujus cura haberi deberet, vel ob aetatem, vel ob aegritudinem diuturnam. Expositio autem propria est infantium.

Istorum nomine veniunt vel liberi recens nati, vel liberi septemnio minores. *Languidorum* vero nomine veniunt illi, qui gravi, ac diuturna, praesertim vero perpetua, et incurabili detinentur infirmitate, per quam ad labores, et quaecumque negotia, aut res gerendas inhabiles existunt, cujuscumque aetatis ipsi fuerint. Barbosa *in rub. h. t. n. 2,* Piringh. *n. 3,* Reiffenstuel. *n. 27.*

Hujusmodi infantium expositio in genere est peccatum gravissimum, non tantum si fiat eo animo, ut infans pereat, sed etiam si fiat, ut proles ista ab aliis alenda, atque educanda assumatur, dummodo circumstantiae non suppetant, quae ipsam cohonestant.

Hujus criminis poena duplex lege indicitur, *criminalis* et *civilis*. Prior modo asperior, modo lenior est, prout vel atrocius, vel miserabilius pa-

rentum facinus existit. Quis enim non videt, durissimas ex. gr. infligendas esse poenas, quoties infans in silvis remotis ab hominum consortio exponatur, quasi ad pabulum animalium, et ferarum? De his ita scribit Lactantius in *lib. 6 Divinarum institutionum. Cap. 20,* = *Quid illi, quos falsa pietas cogit exponere? Non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in praedam canibus objiciunt, et quantum in ipsis est, crudelius necant, quam si strangulassent.* E converso gravibus quidem, non tamen aeque asperis subjiciuntur poenis, qui liberos exponunt in iis locis, in quibus facile de alicuius pietate speretur, futurum ut aliqua ratione infanti vel languido occurratur.

Posterior poena, seu civilis consistit in amissione patriae potestatis, si a patre, vel ab extranco, patre sciente, aut mandante, filius exponatur, scilicet filiusfamilias a patre expositus liberatur a patria potestate (in quantum videlicet est filio onerosa, non autem in quantum est favorabilis, scilicet quoad successionem, alimenta, dotem etc.) libertus, vel servus a Patrono, vel Domino expositus in ingenuitatem, et libertatem eripiatur *Cap. un. h. t.* Engel. *h. t. n. 2.*

Hisce absolutis veniamus ad quaestiones a DD. propositas, quarum prima est: Quis alere, et educare tenetur hujusmodi expositos? Huic dubio respondetur ita a Maschat *h. t. n. 2,* — ibi — *Si nullus privatus reperiatur qui expositos educare,*

et substentare velit, tenetur ad id locus pius pro expositis destinatus; deinde Ecclesia, et communitas. Can. 70, aurum 12, quaest. 2. Tandem saeculares, et Ecclesiastici divites ad hoc pium opus cogi possunt: cum in extrema necessitate expositi jus habeant ad alimenta.

Secunda quaestio, est an expensae factae pro hujusmodi expositis repeti possint, et valeant? Huic autem quaestioni DD. et Canonistae respondent innixi *Cap. unic. h. t.,* praefatas expensas a nemine repeti posse, eo quod intuitu pietatis, et misericordiae factae praesumuntur: idque eo vel magis, si nulla protestatio extiterit.

Tertia tandem quaestio est sequens: Quid dicendum de juridica expositorum infantium conditione tum quoad Episcopum, et Parochum, tum quoad ipsorum legitimitatem? Huic interrogationi responderi potest, quod si locus originis ipsorum lateat, hoc in casu proprius Episcopus, et proprius Parochus alter esse nequit, nisi Episcopus, et Parochus loci expositionis. Quoad autem legitimitatem, ita reponit mox citatus auctor Maschat *h. t. n. 4, circa fin.* — ibi — « Expositi « praesumuntur potius esse legitimi, quam illegi- » timi: ita Menoch, Gonz, et alii contra Covar., « Suar. Garg. et alios; nam in casu dubio ca- » pienda est praesumptio, et conditio proli favo- » rabilior; sed casus legitimitatis est dubius: cum » etiam legitimi ob egestatem, vel aliam causam » frequenter exponantur, ut patet in Moyse, Cyro,

» Paride, etc. ergo etc. Neque stylus Datariae est » in contrarium: nam legitimatio ista vel fit ad » cautelam tantum, vel in casu certo illegitimi- » tatis ».

Cardinalis tamen Petra commentar. ad Constit. XXII Sixti IV n. II sentit tenendam esse tutiorem opinionem; ideoque quoad ordines saltem suscipiendos, hos indigere dispensatione, cum requiratur probatio legitimitatis pro qua non sufficit praesumptio.

Post haec notamus, quod si quis desiderat uberiora quoad hanc materiam, adeat Giraldi *Expositio juris Pontificii part. I. ex lib. 5. Decretalium tit. XI de infantibus etc. Sect. 819 et 820 Cap. unicum si a Patre* in notis, ubi plura dubia proposita inveniuntur cum analoghis responsionibus ad rem nostram facientibus.

TITULUS XII.

De homicidio voluntario, et casuali.

Licet usitatius, et juxta ordinem doctrinae fere convenientius esset prius agere de genere, et postea de speciebus; nihilominus B. Raymundus hoc in loco propter criminis atrocitatem prius de speciebus, et dein de genere loquitur; siquidem postquam in praecedentibus duobus titulis egit de homicidio in specie, modo tractat de eodem in genere, ideoque praesentem subjicit titulum.

De ipso tamen haud fuse pertractabimus, eo quod in hoc titulo homicidium consideratur tantum in relatione ad censuras Ecclesiasticas.

Homicidium, quod solo nomine horret, communiter pro occisione, vel exanimatione hominis ab homine facta accipitur. *Cap. Si homicidium 41, caus. 23, q. 3.* Hinc definiri potest: *occisio, vel exanimatio hominis, seu humani corporis violenter ab homine facta, qua anima a corpore separatur.* Dicitur *ab homine facta:* nam si homo occideretur a fera, vel a bruto, non homicidium, sed *pauperies* a jure vocaretur. *Ita tot. tit. Instit. et ff. Si quadrupes pauperiem.* Multoque minus homicidium esset, si homo occideretur v. g. a fulmine, vel a tegula ex tecto cadente etc. Per hominem vero hic intelligitur cuiuscumque aetatis, sexus, vel conditionis fuerit *leg. 1, § Et qui hominem ff. cit. tit.* Quin imo et foetus in utero matris existens nomine hominis heic venit, dummodo tamen foetus hic animatus fuerit.

Verumtamen non omnis occisio hominis statim inter crimina est recensenda, sed tunc solum uti delictum est habenda, quando nonnulla extrema concurrunt. Factum enim hoc occisionis, sive actus hic potest esse, vel licitus, seu justus, vel illicitus, seu injustus, vel in linea morum indifferens. Hoc posito quaerimus quaenam poenae in homicidas a jure Ecclesiastico propositae sunt, sive quando hujusmodi actus puniti sunt poena, vel propria, vel impropria? Ad id probe agno-

scendum necesse est, ut divisiones, seu species homicidii in medium proferamus.

Multiplices traduntur a Doctoribus, et Canonistis hujusmodi homicidii divisiones, seu species; sed nobis aliud est *voluntarium,* aliud *involuntarium,* seu *causale,* ut rubrica hujus tituli manifeste perhibet. Voluntarium est, quod fit cum intentione, et deliberato animo occidendi, vel *directe,* et *in se,* ut si gladio Bertam ferias animo occidendi illam, vel indirecte, et in causa adeo propinqua, ut moraliter certo homicidium sit secuturum, licet in se non intendatur formaliter, et explicite, ut si quis poculum venenatum alicui praeberet cum morali periculo mortis secuturae, licet sine expresso proposito, seu voluntate occidendi, vel si Bertam praegnantem graviter percutias, et inde sequatur mors foetus animati. Involuntarium, seu casuale est, quod fit sine ulla intentione directe, vel indirecte occidendi, ut si projecta in lusu pila aliquem fortuito interficias.

Voluntarium homicidium subdividitur in *licitum,* seu *justum* (quod etiam homicidium *necessarium* a legistis communiter vocari solet). et illud est, quod vel pro necessaria sui defensione servato moderamine inculpatae tutelae, vel ex voluntate, aut praecepto Superioris jus gladii habentis, vel jubente lege, consequenter etiam necessario, et vel inde juste, ac licite fit. Homicidium e contra *illicitum,* seu *injustum* (quod etiam homicidium *in specie,* et homicidium *dolosum*

nuncupatur) est quod contra divinam, vel naturalem, vel humanam aliquam legem prohibentem animo, et intentione occidendi malitiose fit.

Homicidium hoc *illicitum*, et *dolosum* varias adhuc sub se species habet, quas videri possunt penes auctores.

Homicidium casuale pariter subdividitur in *culpabile*, seu *culposum*, et mere *casuale*, seu *inculposum*. Primum, idest casuale culpabile, seu culposum illud est, quod quidem praeter omnem voluntatem, aliqua tamen interveniente culpa fit, ut si quis dat operam rei illicitae, ex qua mors alterius sequitur: etsi ad eam evitandam operans omnem adhibuerit diligentiam: vel si quis dat operam rei licitae tali cum negligentia, aut imperitia, ut mors exinde alterius proveniat. Secundum, idest mere *casuale*, seu *inculposum* (quod propriissime *casuale* est) dicitur, quod prorsus inopinato, et fortuito, penitus nulla culpa, et nullo dolo interveniente contingit.

Hisce positis videamus quaenam poenae impositae sint 1°. homicidio voluntario *illicito*, seu *injusto*, ubi de injusta vulneratione, et mutilatione. 2°. Homicidio voluntario juste ac licite commisso auctoritate publica, vel in bello justo. 3°. Homicidio casuali etc. 4°. Tandem aliquid innuemus de poenis homicidii, et mutilationis ob necessariam sui defensionem factae. Quod majoris claritatis gratia in separatas paragraphos dividemus. Sit itaque

§. 1ª.

De homicidio voluntario illicito, seu injusto, et de poenis illius, ubi et de injusta vulneratione, et mutilatione.

Homicidium committi potest vel a laico, vel a Clerico. Si committitur a laico, tunc poena homicidae laici est excommunicatio, non quidem ipso facto incurrenda, sed per judicis sententiam infligenda, nisi poenitentiae satisfactione crimen commissum diluerit. Ita ex *Can. Itaque 20, caus. 24, q. 3,* — ibi — *Censuimus homicidas a communione Ecclesiastica summovendos, nisi poenitentiae satisfactione crimina admissa diluerint.* — Quam juris dispositionem de solis laicis homicidis intelligendam esse monet *Can. Presbyter 12, distinct. 81.*

Si vero homicidium committitur a Clerico, tunc poenae homicidae Clerici sunt sequentes: 1.° Est ab ordine, et officio deponendus. Ita *cit. can. Presbyter 12, distinct. 81,* et *Cap. Cum non ab homine 10 de Judic.* et juxta *Can. Si Episcopus 6, distinct. 50, Cap. Tuae 6 de Poen. et Cap. Sicut 6 §. Fin. h. t.;* iuncto Concilio Tridentino *session. 14. Cap, 7 de Refor.* Et in arctum monasterium detrudendus *cit. Can. Episcopus,* et *cit. Cap. suae,* cujus tamen loco hodie successit condemnatio ad carceres, vel triremes, nisi crimen sit iteratum, et homicida

clericus incorrigibilis; tunc enim etiam anathematizandus, degradandus, et degradatus tradendus est Curiae saeculari. *Ita cit. Cap. Cùm non ab homine.* 2°. Est perpetuo inhabilis ad beneficia, et officia Ecclesiastica obtinenda, ceu tradit Concilium Tridentinum *sess. 14, Cap. 7, de Reformat.* — ibi — « Qui sua voluntate homicidium » perpetraverit, etiamsi crimen id, nec ordine ju» diciario probatum, nec alia ratione publicum, » sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros » ordines promoveri possit, nec illi aliqua Eccle» siastica beneficia, etiamsi curam non habeant ani» marum, conferri liceat, sed omni ordine, ac be» neficio, et officio Ecclesiastico perpetuo careat ».

Spontanea hic exurgit quaestio de beneficiis priùs rite obtentis. Quaeritur enim quid dicendum de hujusmodi beneficiis? Respondetur: etsi clericus homicida his beneficiis privari possit, et debeat, haud tamen ipso jure, et ipso facto privatus existit. Idque manifeste perhibent *Cap. Clerici 5 Ne cleric. vel monac.* et *Cap. Ex literis 10 de Excessibus Praelat.* Ratio est, quia cum in poenis benignior interpretatio sit facienda ad tramites *Cap. Odia,* et *Cap. In poenis de Reg. juris in 6,* sponte fluit, quod privationem ipso facto ob crimen commissum asserere non debemus, nisi id in jure exprimatur. Hinc clericus homicida occultus beneficio prius rite obtento valide, et licite frui potest, nisi hujusmodi beneficium praeter recitationem horarum canonicarum requirat etiam

personale exercitium ordinis sacri, hoc enim in casu opus esset dispensatione Pontificis, qua non obtenta illud ultro dimittere deberet, urgente conscientiae obligatione. 3°. Ipso facto incurrit irregularitatem (quam etiam laicus homicida contrahit) adeo ut, quantumvis occultum sit *homicidium*, ordines etiam post peractam poenitentiam suscipere, et in susceptis ministrare sine dispensatione Pontificis non valeat. *Can. Miror 4, can. Clericum 5, distinct. 50, Cap. Sicut 6, Cap. De caetero 7. h. t. Clemen. unic. h. t.* juncto Concilio Tridentino *sess. 24, Cap. 6, de Reformat.* de qua poena fusius infra.

Huc oratione perventa ulterius quaeri potest, utrum enarratas juris poenas, praesertim vero irregularitatem incurrant etiam illi, qui mandant, vel consulunt homicidium injustum? Resp. Communis, et certa regula est, eum, qui mandat homicidium *injustum,* non modo homicidii, sed et omnium poenarum illius reum fieri, et esse ad monitum *leg. Interest 15 ff, ad leg. Corneliam de Sicar.* — ibi — *Mandator caedis pro homicida habetur.* Cui concinit *Can. Si quis viduam 8, dist. 50.* Et ratio est, quia mandans est vere causa moralis homicidii, consequenter et poenarum ipsius reus. Nam *qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum. Cap. Qui fac. 72 de Reg. jur. in 6.* Et nihil interest, *occidat quis, an causam mortis praebeat. Cit. lex. Nil interest 15. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.*

Quod dictum est de mandante, idem fere dicendum de consulente homicidium, scilicet ipsum *irregularitatem*, aliasque poenas homicidii incurrere, si efficaciter influit, idest si vi hujus consilii alter homicidium injustum committit, illud alias non commissurus. Ita ex *Can. Perniciose 23, dist. 1 de Poeniten. Can. Si quis viduam 8, dist. 50,* — ibi — *Praecepto, et consilio. Cap. Sicut 6 §. Qui vero, et fin. h. t.* — ibi — *Qui consilium dederunt*. Et ratio est, quia homicidium efficaciter consulens, et suadens vera illius causa moralis existit. Ita praeter citata jura *Cap. 2, de Cleric. pugnan. in duello* — ibi — *Homicidium tam facto, quam praecepto, sive consilio, aut defensione perpetrari non est dubium*. Illud tamen unum discrimen intercedit inter mandantem, et consulentem, quod mandans, revocato tempore utili mandato, irregularitatem non incurrat, *consulens* autem revocato etiam consilio incurrit, quia consulens adhuc censetur causa moralis homicidii.

Sed quid dicendum de cooperantibus ad homicidium? Certa regula est, quod si efficaciter, ac propinque cooperantur ad homicidium, ita ut absque eorum cooperatione illud non fuisset sequutum, poenas ordinarias homicidii incurrent. Ratio est, quia universaliter auxilium efficax praestans ad delictum punitur eadem poena, qua delinquens. Hinc quidquid sit de jure civili, certum, indubitatumque est de jure canonico, quod omnes cooperantes contrahant *irregularitatem*, ceu patet

ex *Can. final. 23, q. 8.* Idem dicendum de illis, qui ex justitia tenentur impedire homicidium, et non impediunt. *Cap. 7, dist. 50, cap. final h. t. in 6.* Et ratio est, quia tales moraliter censentur occidere, peccantque contra justitiam, et ad restitutionem tenentur.

Non ita tamen dicendum est de ratihabentibus. Ipsi enim irregularitatem haud contrahunt ratum habentes homicidium suo nomine factum, quia ipsi proprie non influunt in homicidium, neque tali ratihabitioni aliquo jure annexa est irregularitas. Quin officiat *Cap. 10 de Reg. jur. in 6,* ubi dicitur = *Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari,* etiam in delictis, ceu docet *lex 1, § 14 de Vi armata, et Cap. 33, de Simon.;* quandoquidem ratihabitionem mandato comparari DD. dicunt quoad culpam, minime autem quoad poenam.

Quid sed vero dicendum de injusta vulneratione, et mutilatione? Quoad injustam vulnerationem distinguimus: aut liquido constat vulnus fuisse lethale, et tunc ordinarias homicidii poenas vulnerans incurrit, quia fuit causa mortis; aut liquido constat, vulnus non fuisse lethale, et tunc vulnerans ordinarias homicidii poenas non incurrere palam est, quia in tali casu vulnerans proprie non est causa mortis. Utrum autem lethale, vel non, fuerit vulnus, id Medicorum, et Chirurgorum judicio jurato remittitur. At quid si dubium extiterit? Discordia est inter DD. civilistas; at de jure

Canonico irregularem evadere vulnerantem. monet *Cap. 18, § Quoad h. t.*

Quoad vero injustam mutilationem respondent unanimiter Doctores, et Canonistae, quod si ipsa fuerit de membro, quod peculiarem in corpore humano operationem, seu functionem habet, uti est manus, pes, oculus, etc. tunc injusta hujusmodi mutilatio inducit ipso facto irregularitatem. *Arg. Cap. fin. h. t. in 6,* quia aequiparatur homicidio

§ 2.ª

De homicidio voluntario juste, et licite commisso auctoritate publica vel in bello justo, et de irregularitate inde proveniente.

Certa, et catholica veritas est, licitum esse ex causa legibus comprobata auctoritate publica occidere malefactores prius legitime convictos, aut confessos. Exigit id tum lex divina, tum humana. Divina quidem, ut patet *Exod. Cap. 21, et 22,* praesertim vero *vers. 19,* ubi praecepit Deus — *Maleficos non patieris vivere;* humana vero tam civilis, quam canonica. Ex civili jure nemini non dicta est *lex Cornelia de Sicariis,* ex canonico patet *ex Canon. Quali 44, caus. 23, q. 5, ex Can. Prodest 4, q. cit., ex Can. Quaesitum 45, et Can. Si quos 47, caus. cit. q. 4, et ex Cap. 21, h. t.* Et optimo sane jure; quandoquidem licet

solus Deus sit dominus vitae, et membrorum hominis juxta illud *Sapient. 16, vers. 13, — Tu es enim, Domine, qui vitae, et mortis habes potestatem, et Deut. 32, vers. 39, — Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me; ego occidam, et ego vivere faciam;* tamen in vitam malefactorum potestatem dedit Deus legitimo magistratui, ut exigente enormitate criminis, noxia, et putrida membra tolleret juxta illud *Rom. 13, vers. 4,—Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.*

Quid autem dicendum de homicidio perpetrato in bello justo? Resp. Ut licitum est ex auctoritate publica occidere malefactores, ceu mox vidimus, ita certum, indubitatumque est apud omnes, licitum quoque esse cunctis in bello justo, sive defensivo, sive offensivo occidere omnes hostes, quia hoc ipso quod bella licite assumantur ad justam vindictam, et satisfactionem injuriae, necnon ad rerum, et damnorum reparationem, ita licita esse debent omnia media necessaria ad bellum gerendum. Porro inter hujusmodi media illud procul dubio emicat, scilicet occidere hostem.

Hisce positis merito quaeri potest, 1.° An, quinam, et quando contrahant irregularitatem, qui auctoritate publica ex justa causa per leges comprobata malefactores licite occidunt, aut mutilant, vel ad id concurrunt? 2.° An, et quando ob homicidium, vel mutilationem in bello commissam contrahatur irregularitas?

Quoad primam quaestionem respondetur: Licet juxta dicta malefactores justissime, et licite occidantur, vel mutilentur auctoritate publica, nihilominus certum, atque indubium est, omnes *irregularitatem* incurrere, non ex delicto, sed ex defectu *lenitatis*, effectu sequuto, idest morte, vel mutilatione secuta, et hanc irregularitatem contrahunt omnes, qui auctoritate publica ad hujusmodi homicidium, et mutilationem concurrunt, quales sunt: *Accusatores, Delatores, Judices, Assessores, Consultores, Advocati, Testes, Notarii, sententiam scribentes, dictantes, subscribentes, legentes, ministri justitiae eamdem sententiam exequentes* etc. Et optimo sane jure, quia licet hi omnes nullum committant delictum, tamen quia sanguinem alienum fundunt, vel ad fundendum concurrunt, carent perfecta mansuetudine, et lenitate Christiana.

Verumtamen excipiuntur ab hac irregularitate Summi *Pontifices,* utpote qui ecclesiastica lege non ligantur, *Inquisitores* haereticae pravitatis, utpote qui speciali favore fidei potiuntur etc. etc.

Quoad alteram vero quaestionem distinguendum occurrit inter bellum *injustum,* et *justum,* et inter bellum *offensivum,* et *defensivum.* Pro maiori tamen claritate de singulis speciales istas conclusiones damus.

1°. Si in bello *patenter* injusto, sive *difensivo,* sive *offensivo,* vel unus occidatur, omnes tam laici, quam clerici in tali bello pugnantes, vel ad illud

cooperantes, et qualecumque auxilium ferentes sunt *irregulares*, haud illis exceptis, qui propriis manibus nullum occiderunt, aut mutilarunt. *Can. 4, dist. 51, et cap. 6, h. t. §. fin. et arg. cap. 5, de Poenis.* Et optimo sane jure; quia quando plures communi auxilio, vel consilio ad homicidium concurrunt, omnes una causa moralis censentur. Excipiuntur tamen illi, qui huic bello injusto adsistunt, ut spiritualia auxilia militibus praebeant.

2°. Quicumque in bello etiam *justo,* sed *offensivo,* seu *aggressivo* aliquem per se, seu proprio facto occidit, vel mutilat, *irregularis* est. Ita DD. et Canonistae unanimiter: secus tamen est in casu vulnerationis; quandoquidem sola vulneratio non sufficit ad inducendam irregularitatem, eo quod ob simplicem vulnerationem *irregularitas* in jure statuta haud reperitur, consequenter ipsam haud contrahi eruitur ex *Cap. 18, Is, qui de Sent. excom.*

3°. Quoad bellum vero *defensivum* justum, certum, indubitatumque est tam clericum, quam laicum ab *irregularitate* immunem esse, licet etiam propria manu aliquem occidat, vel mutilet ad defensionem propriae vitae, ita ut nisi occiderent, vel mutilarent, ipsi in periculo vitae existerent. Ratio est, quia cum id absque *irregularitate* fieri posse in rixa privata omnes communiter docent, multo magis id fieri posse in publico justo bello defensivo manifestum apparet.

Item ab *irregularitate* sunt immunes tam clerici, quam laici, qui in bello *defensivo* justo, et necessario pugnantes ad ecclesiae, vel patriae defensionem aliquem etiam propria manu occidunt, vel mutilant, ceu colligitur ex *Cap. Pervenit 2, de Immunitat. Eccles.*, et notant communiter Doctores. Et merito, quia defensio Ecclesiae, et Patriae non minus, imo magis favorabilis est, quam defensio vitae propriae, aut alterius personae privatae *Leg. Utilitas 3ª, Cod. de Primipilo.* Hinc si *irregularitati* obnoxia non est defensio vitae propriae, aut aliorum, sponte veluti sua sequitur eidem *irregularitati* obnoxiam non esse Ecclesiae, vel Patriae defensionem. Ita *Reiffenstuel h. t. n. 124. Schmalzgrueber eod. n. 127.* Diximus notanter *necessario pugnantes,* quia si clericus ad pugnandum necessarius non foret, sed sufficerent laici, tunc procul dubio irregularis fieret, si propria manu aliquem occideret, vel mutilaret. Ad rem Benedictus XIV *Inst. 104, n. 9,* — ibi — « Cum bellum justum ad defendendam patriam » Ecclesiamque suscipitur, laicus, qui pugnando » hostes interficit, nulla irregularitate devincitur. » Idem prorsus de clerico statuendum, si jussus » bellum ineat, nec laici sufficiant pro Ecclesia » tuenda vel Patria ».

§. 3ᵃ.

De homicidio casuali,
et de irregularitate inde proveniente,
aliisque poenis.

Homicidium *casuale* contingere potest tam *ex opere licito*, quam *ex illicito*. Hinc ad probe agnoscendum, quando ex hoc *irregularitas* secumferatur, distinctas instituemus pro majori claritate quaestiones.

Quaritur igitur 1.° an, et quando homicidium casuale ex opere licito secutum inducit *irregularitatem?* Huic interrogationi responderi ita potest: si homicidium ex opere licito absque ulla culpa, et dolo committitur, et ad illud evitandum debita diligentia fuit adhibita, ita ut mere casualiter, et fortuito contigerit, tunc certum est, nullam ex eo induci *irregularitatem*, nullamque aliam contrahi poenam sive *Canonicam*, sive *Civilem*. Idque deducitur 1.° ex jure civili, 2.° ex jure canonico. Ex jure civili uti patet ex *Leg. Item Mala 9, §. 4, ex leg. Putator in fin. ff. ad leg. Aquiliam leg. 1.ᵃ et leg. Eum, qui Cod. ad legem Corneliam de Sicar.* 2.° Ex jure Canonico, ceu patet ex *Cap. 9, cap. Dilectus 13, cap. Ex literis 14, ex cap. Significasti ex cap. Exhibita 22, ex cap. Joannes 23, ex cap. Quidam 24, h. t.;* ubi ad varios hujusmodi casus, in quibus ex opere

licito absque omni culpa homicidium *casuale* contigisse, et exinde nullam irregularitatem contractam esse narratur. Ratio est, quia *irregularitas* ex homicidio, quod a privato commissum est poenae rationem habet. Poena autem supponit culpam, quae tali casu non adest, seu clarius, quia tale homicidium mere *casuale* nec directe, nec indirecte voluntarium est, consequenter penitus non imputandum. Unde bene dixit Papa in *Cap. Dilectus 13 h. t. in fin.* — ibi — *Cum Capellanus* (qui equum cohibere non valens occidit mulierem) *nec voluntate, nec actu homicidium perpetraverit nec dedit operam illicitae rei, non impedias, quominus divina possit officia celebrare.* Hinc eleganter ad rem applicari casui potest regula data in *Cap. Quia te 38, dist. 1.*[a] — ibi — *Quoniam non tua sponte id fecisse cognosceris, inde canonice nullo modo judicaris.*

§ 4[a]

De homicidio, vel mutilatione ob necessariam sui defensionem.

Pauca nunc de homicidio, vel mutilatione ob necessariam sui defensionem facta.

Jus naturale, divinum, et humanum permittunt injustam vim vi repellere. Eleganter ad rem *Cap. Significavit 18, § fin. h. t.* — ibi — *Vim vi repellere omnes leges, et omnia jura permittunt.*

Porro si vim vi repellere omnia jura permittunt, patet cuivis licere pro necessaria vitae defensione injustum aggressorem occidere. At sicut modum excedere quis posset, hinc Ecclesia addit, servato moderamine inculpatae tutelae. Ad rem *cit. Cap. 18, h. t.* — ibi — *Tamen id fieri debet cum moderamine inculpatae tutelae, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.* Posito autem quod quis servato moderamine occiderit vel mutilaverit injustum aggressorem, prono fluere alveo videtur, quod hic irregularitatem non incurrit. Ita *Clem. unic. h. t.* ubi legitur — *Illum non incurrere irregularitatem, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.* Et merito: hic enim non potest incurrere irregularitatem *ex delicto*, quia delictum non adest, et tale homicidium caret omni culpa: non ex defectu *lenitatis,* quia defectus iste intervenire haud potest, quando occisio vel mutilatio ex necessaria defensione contingit. Verum si moderamen inculpatae tutelae quis excederet, tunc irregularitatem incurri certum est ex *Cap. 6, et 8, dist. 50. Cap. 28, h. t. Concil. Triden. sess. 14, Cap. 7, de Reformat.*

Quod dictum est pro necessaria defensione suae vitae, idem dicendum pro defensione omnium bonorum, vel saltem maximae partis eorumdem etc.

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

Sicut causa homicidii sunt etiam torneamenta, hinc ad continuandam praedicti criminis materiam, B. Raymundus praesentem subnectit titulum, de quo pauca obloquemur.

Torneamenta, seu *hastiludia* nihil aliud erant nisi feriae, seu ludi publici, in quibus equites ex condicto convenire solebant, et inde circumeuntes armis congrediebantur, ut audaciam, et peritiam bellandi, ac virium fortitudinem palam facerent *Cap. 1, h. t.*

Duplici modo fieri poterant hujusmodi torneamenta, scilicet aut *temere*, et ordinarie cum periculo vitae, aut non *temere*, et sine periculo vitae.

Priora licet veteri lege civili permissa videantur, jure tamen novo Cod. et praecipue jure Canonico gravissime prohibita fuerunt. Jure novo, ceu patet ex *leg. unic. Cod. de Gladiator.* ubi Imperator Constantinus cruenta haec spectacula uti sunt torneamenta penitus delevit, ideoque correctae fuerunt *leges 7, §. 4 ff. ad leg. Aquil. et 2 § S. C. tum ff. de Aleator.*, et similia jura etiam consuetudinaria, si quid contrarium decernunt, cum juri naturali consuetudo derogare non possit. *Cap. fin. de Consuetud.* Jure Canonico

uti patet ex *Cap. 1 et 2 h. t.* quia inde *morte hominum, et animarum pericula saepe proveniebant;* (sunt verba *Cap. 1. h. t.*) unde *detestabiles* hujusmodi ludi vocabantur. Poena in hujusmodi *torneamentis* pugnantium, erat, quod, qui in illis aliquem occidisset, reus erat veri homicidii, et poenas illius utroque jure statutas incurrebat. Pirhing. *h. t. n. 2.*

Praeterea ex jure Canonico ille, qui occidebatur, si erat laicus Sacramenta Ecclesiastica poscenti non negabantur, at sepultura Ecclesiastica privabatur. *cit. Cap. 1 h. t.* Si vero Clericus, sacra sepultura haud carebat, modo poenitens decessisset; at oblationes, et orationes publicae fieri haud permittebatur. Idque ad aliorum terrorem factum fuisse eruitur ex *Cap. 1 et fin. h. t. et ex Cap. 6 Si quis 26 quaest. 6.*

Posteriora vero torneamenta, scilicet quae nec *temere*, nec cum periculo vitae fiebant, licet etiam a Clem. V. in Concil. Vienn. per Constit. *Passiones* sub excommunicatione prohibita fuerint, ex eo quod Nobiles ad illa se praeparantes immodicos pro splendore, et apparatu profuderint sumptus, indeque a dando subsidio Terrae Sanctae inhabiles fuerint redditi, tamen eam revocavit Joan. XXII.

Sane habemus in *Extravag. unic. h. t.* quod Joannes XXII ut milites exercerentur, atque instruerentur in bello gerendo, praesertim contra Turcas, permisit hujusmodi fieri torneamenta,

dummodo periculum mortis in hoc peragendo exercitio haud immineret. Sic etiam remoto periculo vitae permissi fuerunt hujusmodi ludi in signum laetitiae, scilicet ob solemnitatem diei in Principum inaugurationibus, in diebus Natalibus, triumphi, et occasione praesertim nuptiarum ipsorum Principum.

Torneamentis similis est agitatio taurorum, seu concertatio cum bestiis, uti in Hispaniis. Hinc eadem de causa Pius V Constit. de *Salute* 1°. Nov. 1567 prohibuit agitationes istas ferarum bestiarum excommunicationis poenam decernens 1°. contra Principes saeculares, aliasque civiles auctoritates hos ludos periculosos permittentes. 2°. Contra Clericos, sive saeculares, sive regulares huic spectaculo adsistentes. etc. Verum fateri debemus, quod hujusmodi poena etsi durior, nullius roboris, et efficaciae extitit apud Hispanos. Tanta enim fuit effraenata eorum cupiditas pro hujusmodi spectaculis, et ludis, ut instante eorum Rege, et Optimatibus illius regni Gregorius XIII *Constit. Exponi nobis 25 August. 1575* mitigare debuerit rigorem constitutionis Pii V, eam ad terminos juris communis reducens, et praesentia hisce spectaculis, et ludis sub poena excommunicationis majoris interdicta fuit solummodo Clericis, Religiosis et Sanctimonialibus, quae illis temporibus magna cum voluptate adesse solebant.

Imo Clemens VIII in Constit. edita die 13 Januarii 1596 relate ad omnes substulit etiam prae-

dictam poenalem prohibitionem, dummodo agitationes istae taurorum fierent, secluso periculo mortis, et extra dies festos. Ita *Barbosa in cap. 1°. h. t., Gonzalez, aliique.* Quod confirmatum fuisse videtur a Pio IX in *Constitut. Apostolicae Sedis,* ubi cum nulla mentio fiat de Piana constitutione *de Salute,* praesumendum est, cessavisse etiam excommunicationem, quae relate ad clericos saeculares, et Regulares tantummodo remanserat.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in duello

Actum est in praecedentibus titulis de homicidio in genere, et in specie. Porro sicut per duellum ad hoc etiam deveniri potest, hinc B. Raymundus praesentem ponit titulum.

Rubrica huius tituli licet solum de Clericis in duello pugnantibus meminerit, in decursu tamen tituli extensio fit ad omnes duellantes, sive Clericos, sive laicos. Hinc in hoc titulo id verificatur, quod saepe alias vidimus, scilicet nigrum esse amplius rubro.

Totam itaque de duellantibus materiam binis paragraphis absolvemus. In *prima* loquemur de natura, varietate, et prohibitione; in *secunda* de poenis duelli.

§. 1.ª

Duellum non reputatur rixa, quae de repente exurgit, si unus ex rixantibus alterum ad dimicandum subito irae motu provocet, et statim pugnent: vel si quis insidias alteri paraverit ut ad pugnam provocet. Nec pariter duellum dicitur contentio, et pugna quocumque modo ea fiat, quando nullum ex ipsa imminet periculum, sive mortis, sive mutilationis, sive vulneris. Duelli enim ratio exposcit ut ipsum fiat ex condicto, statutis loco, et tempore cum vero periculo mortis aut vulneris. Hinc hujusmodi pugna quae graece monomachia audit *Can. Monomachia 22. caus. 2 quaest. 5.* latine vero duellum, definiri potest — *singularis pugna duorum inter se ex condicto armis ad occidendum, sive graviter vulnerandum aptis sponte suscepta.* Ita in re communis.

Duellum ita definitum, seu potius descriptum principaliter dividitur in *publicum*, seu *solemne*, et in *privatum*, seu *minus solemne*. Publicum, seu solemne est, quod publica auctoritate initur certa forma, seu solemnitate in congressu observanda. Privatum vero est, quod privato nomine suscipitur, et in quo talis forma, et solemnitas non observatur. Porro ista solemnitas, seu forma duelli publici in eo praecipue consistit, ut habeatur loci securitas, quam propterea *campum francum* ap-

pellant, ut habeatur determinatio temporis, et ut literae provocatoriae, seu denuntiationis chartulae (vulgo cartello) adversario mittantur, et denique ut adhibeantur testes, quos patrinos, et secundantes vocant.

Duellum hoc ex genere suo est illicitum. Sane inficiari nemo potest quod exponere se periculo mortis temporalis, et aeternae sit illicitum: atqui hoc evenit in duello, ergo manifestum apparet, duellum ex genere suo esse illicitum. Merito hinc illud omni jure prohibetur, scilicet 1.° *naturali,* quia est contra justitiam, et charitatem erga se, et proximum. 2° *Divino* per preceptum *non occides.* 3.° *Civili* uti patet ex *leg. unic. de gladiatoribus.* 4.° *Canonico* ceu scatet *ex toto hoc tit.* et novissime ex decreto Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 19. de reformat., ex constit. Pii IV incip. Ea quae edita 1560, Gregorii XIII incip. Ad tollendam edita 1582, Clementis VIII incip. Illius vices edita 1592, Alexandri VII, et Benedicti XIV constit. Detestabilem anno 1752 edita,* in qua nonnullae theses proscriptae leguntur.

Verumtamem cum duelli materies non sit ita intrinsece mala, ut in nullis circumstantiis cohonestari nequeat, hinc non ineleganter heic quaeri potest de causis, ex quibus duellum vel possit, vel non possit cohonestari. Causae autem, quae duellum cohonestare possunt, sunt sequentes: 1.° si fiat jussu Dei, qui est Dominus vitae et necis; 2.° si fiat ob defensionem honoris Divini,

religionis, et boni communis, cui privatum posponi debet; 3.° si fiat ex causa terminandi bellum, nisi per hoc victoria, quae satis certa esset, dubia reddatur: sic David cum Goliath, S. Wenceslaus cum duce Curimensi singulare certamen iniverunt; 4.° si fiat ad necessariam defensionem vitae, et bonorum, servato tamen moderamine inculpatae tutelae; 5.° si fiat auctoritate publica a duobus condemnatis ad mortem.

E contra causae, quae duellum cohonestare non possunt, utpote vanae, futiles, et imaginariae sunt sequentes: 1.° Ad declinandam injustam accusationem, vel detractionem, quia duellum, ad eam abolendam nec est necessarium, nec utile, cum alia ordinaria dentur remedia ad repellendum injustum accusatorem. 2.° Ob punctum honoris, si vir militaris offerat, vel acceptet duellum, ne timiditatis, et ignominiae notam apud alios incurrat, et propterea ab eis non aestimetur. Oppositam enim *propositionem* damnavit Alexander VII hisce verbis — *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Ratio est, quia acceptatio duelli ad veri honoris defensionem nec *necessarium* medium est, nec *idoneum*. Necessarium non est, quia aliter honori suo cum laude consuli potest profitendo, quod licet in reverentiam legis Divinae, et Ecclesiasticae duellum non acceptet, nihilominus se obviaturum provocanti, si ipsum aggrederetur, prouti a multis illustribus, et militaribus viris cum gloria

factum fuisse historia docet. Idoneum non est, quia apud vere cordatos, et sapientes viros existimationem suam potius admittit, imo ex Concilio Tridentino *sess. 25, Cap. 19, de Reformat.*, perpetuae infamiae notam contrahet. Hisce obiter consideratis ad poenas, quas duellantes incurrunt, procedamus oportet, de quibus sequens tractat

§ 2.ª

De poenis duelli illiciti.

Tum a jure civili, tum a jure canonico statutae sunt poenae contra illicite duellantes. De jure civili, si provocans occidit, punitur poena ordinaria legis Corneliae, nempe gladii. Si vero provocatus interfecerit provocantem, mitius, et extra ordinem puniri solet, ea de ratione, quod ignoscendum sit illi, qui provocatus se ulcisci voluit *leg. 14, § 6, de bonis libert.*, et quia provocatis semper jura favent, cum difficillimum sit injuriato dolorem temperare *leg. Gracchus 4.° cod. ad leg. Juliam de Adult.* De jure vero Canonico *antiquo* clericus duellans deponebatur, seu perpetuo suspendebatur ab officio, et beneficio, et si alterum sive per se, sive per alium occidisset, irregularis fiebat, *Cap. 2.° h. t. Can. 8, distinct. 50.* De jure vero Canonico *novissimo* Tridentini, *sess. 25. cap. 19, de Reformat.*, ampliores poenae consti-

tutae sunt scilicet 1.° excommunicatio ipso facto incurrenda, 2.° perpetua infamia, 3.° proscriptio bonorum omnium, 4.° possunt etiam, et debent puniri poenis contra homicidas latis, 5.° privatio sepulturae Ecclesiasticae, si in conflictu decesserint.

At cum Ecclesia semper, et maxime adversata, et detestata fuit duella, utpote contraria tum juri naturali, tum Divino, tum Ecclesiastico, ceu probat praeter antiquos canones purgatio canonica ab Ecclesia introducta, ut remedium poneret frequentibus duellis, hinc cum optatum finem adsequi haud posset, poenas addidit, et contra eos, qui duella fieri permittebant, et contra loca in quibus hujusmodi duella consumabantur, contra consilium dantes, assistentes, spectatores, et comitantes ad duellum, et denique contra ipsos patrocinatores.

Hac de re Concilio Tridentino accessit constitutio Gregorii XIII *ad tollendam 5 Dec. 1582,* qui cum videret sanctionem Tridentini posse eludi, poenas eiusdem sanctionis extendit etiam ad duellum privatum, et minus solemne, idest absque patrinis, absque loci securitate, et sine aliis solemnitatibus initum.

Post haec quasi citatae dispositiones haud sufficerent, supervenit Constitutio Clementis VIII *Illius vices 17 Augusti 1592,* qui praefatas poenas extendit ad ipsam provocationem, et cooperationem ad duellum etiam certamine non secuto, et

provocantes atque cooperantes excommunicationi Papae reservatae subjecit, nec non infamiae juris, et privationi Ecclesiasticae sepulturae, decernens loca ipsa certaminis interdicto Summo Pontifici reservato illico supponi.

Tandem accessit et constitutio Benedicti XIV, quae incipit — *Detestabilem IV idus Nov. 1752*, in qua haec statuuntur: 1.° qui decertans in duello hominem interfecerit sive in loco conflictus, sive extra locum mortuus fuerit ex vulnere accepto in duello privari jure asili sacri. 2.° Poenam privationis sepulturae Ecclesiasticae a Tridentino inflictam incurri etiam ante sententiam judicis. 3.° Hanc poenam incurri etiam ab illo, qui ex vulnere accepto in duello extra locum conflictus moritur, etiamsi indubia dederit signa poenitentiae, et absolutionem a peccatis, et a censuris ab Ecclesia obtinuerit.

His omnibus novissime accessit et Constitutio — *Apostolicae Sedis*, ubi inter excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatas recensetur, et excommunicatio contra — *Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam vel favorem praebentes, necnon de industria spectantes illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint etiam regalis, vel imperialis.*

Quid vero requiratur ut supra dictas duellan-

tium poenas incurrant non modo spectatores, sed et comitantes ad duellum, aliique, videatur penes auctores, et praecipue penes Smalzgrueber *h. t. n. 49.*

TITULUS XV.

De sagittariis.

Sicut per duellum deveniri posse ad homicidium mox innuimus, ita et per sagittarios. Hac de de re B. R. hunc alterum subjicit titulum, qui non est nisi appendix ad titulum *6 de Judaeis* et *Saracenis.*

Nomine sagittariorum nulli alii veniunt, nisi illi, qui olim arte callebant arcubus, vel ballistris, longius projiciendi saxa etiam magni ponderis, aut globos ferreos, vel plumbeos, ideoque *sagittarii*, vel *ballistarii* dicebantur. Hujusmodi ars in usu praesertim fuit in bellis sacris contra Turchas, ideoque in *cap. unic. h. t.* exercitium hujus artis adversus Christianos sub anathematis poena prohibitum fuit.

Hodie in usu sunt tormenta, et mortaria bellica, ex quibus glandes, globi plumbei, ferrei aut lapidei artificiose emittuntur.

Haec ars quamvis lenitati opponi, et crudelitatem animi demonstrare videatur, tamen in bello justo, quod Christiani adversus infideles, vel

inter se invicem gerunt, nulla lege, vel canone reprehenditur, imo *can. 2. caus. 23. quaest. 2* docet nihil referri quibus armis militetur. Verumtamen artem istam docere saracenos, seu infideles, vel loco saracenorum, seu infidelium eam exercere contra fideles hoc prohibitum est sub poena excommunicationis latae sententiae *arg. cap. 6. de Judaeis et Bullae Caenae*, qua vetitum est Christianis instrumenta bellica ad infideles deferre, et vendere lucri faciendi gratia, ceu vidimus in *tit. 6. de judaeis, et saracenis.* At si Christiani hac arte illicite uterentur v. g. cum superstitionibus, et venenatione glandium, tunc excommunicationem incurrerent. *Cap. unic. h. t.*

TITULUS XVI.

De adulterio, et stupro.

Post homicidium, quo corpus, et vita proximi laeditur, recto ordine S. Canonum compilator ad luxuriae delicta transit, per quae eiusdem proximi, vel thorus, vel pudicitia violatur. Et quamvis rubrica de duabus solummodo luxuriae speciebus sonet, videlicet de *adulterio,* et *stupro,* auctores tamen hac occasione arrepta solent heic de aliis delictorum carnis speciebus tractare, scilicet *de fornicatione, incestu, concubinatu, sacrilegio* etc. De his tamen cum fuse agant Theologi

Morales, nos breviter de adulterio, et stupro tantum agemus sub diversis paragraphis. Sit igitur.

§. 1.[a]

De Adulterio.

Quod maxime Ecclesiae, et civili societati nocet, est crimen adulterii. Ipsum enim ad infirmandum conjugale foedus, et evertenda societatis fundamenta tendit. Hinc omni tempore, et ab omni natione consideratum fuit uti crimen gravissimum. Multa de ipso dici possent, at nos instituti nostri rationem sequentes pauca, et obiter dicemus.

Adulterium dupliciter accipi potest, scilicet vel *late,* et *improprie,* vel *stricte,* et *proprie. Late* et *improprie* sumptum est omnis copula extra conjugii statum habita, seu est quaecumque conjunctio carnalis non conjugalis. *Cap. Nemo 4, caus. 32, q. 4. Stricte* autem, et *proprie* acceptum definitur — *alieni thori violatio,* ceu legitur *in can. Lex illa 2, caus. 36, quaest. 5.*[a] seu melius adulterium est — *Carnalis ad alteram personam vi conjugii non suam accessio, et conjunctio, qua fides, et thorus conjugalis violatur.*

Ipsum duplicem continet malitiam, luxuriae videlicet, atque injustitiae, *malitiae,* quia est concubitus viri cum faemina extra conjugium, *inju-*

stitiae, quia est violatio juris, quod conjuges ad invicem habent, ut obligare se invicem possint ad non dividendum carnem suam cum alio, prouti docet S. Thomas *2. 2. q. 154. art. 8*. Quae malitia consentiente etiam altera parte, non tollitur, quia jus conjugale, vi cuius licite, et juste copula exercetur, non est in potestate conjugum eo sensu, ut istud in alterum transferre, vel ad usum commodare possint in gravem auctoris naturae injuriam, qui vinculo indissolubili utrumque conjugem adstrinxit. Hinc merito Inn. XI oppositam propositionem damnavit, quae sic se habet — *Copula cum conjugata, consientiente marito, non est adulterium, ideoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.*

Adulterium proprie dictum dividitur in *simplex*, sive unilaterale, et *duplex*, sive bilaterale. Simplex habetur, et est non solum quando solutus cum conjugata, sed etiam quando conjugatus cum soluta carnaliter miscetur. *Can. Cum ergo post can. Illae 14, caus. 32, quaest. 5 et can. Puto 16 ead. caus. et quaest. can. Non moechaberis* etc. Ratio est quia vir aeque ac uxor ad fidem conjugalem adstringitur. *Can. Nemo caus. 32, quaest. 4.*[a] Duplex vero sive bilaterale habetur, et est, quando utraque persona coeuntium matrimonio est ligata. Hoc adulterium duplex est gravius adulterio simplici, quia per ipsum non tantum laeditur fides propriae uxori debita, sed etiam jus laeditur alterius mariti, et saepius libe-

rorum eius, quoties scilicet ex tali adulterio filius adnascatur, quem deinde veri liberi uti putativum fratrem, et pro cohaerede habere debent.

Adulterium sive *simplex*, et *unilaterale*, sive *duplex*, et *bilaterale* verum, et proprium adulterium est, quia utroque modo violatur fides conjugalis. Neque refert quod nonnullae leges civiles haud censeant, ac retineant uti verum adulterium, et adulterii poenis haud puniant carnalem illam conjunctionem viri conjugati cum soluta; quandoquidem jus civile in adulterio considerat tantum seminis confusionem, et ab hoc provenientem incertitudinem prolis, quam conjunctio conjugati cum soluta non inducit; e contra jus S. Canonum in adulterio *principaliter* attendit violationem thori, et fidei conjugalis, quae etiam in conjugato rem carnalem cum soluta habente contingit, ideoque horum congressum pro vero *adulterio* habet, et in suo foro punit.

Post haec haud inelegantes quaestiunculas excitant Doctores, et Canonistae, scilicet 1°. utrum verum adulterium committatur cum uxore putativa. 2°. Utrum verum adulterium committatur cum sponsa alterius. 3°. Utrum committatur adulterium, si iam divortium quoad thorum inter conjuges praecesserit.

Ad primam harum quaestionum respondent quod theologice loquendo licet concubitus cum uxore putativa alterius verum adulterium haud constituat, quia nullum inter hujusmodi conjuges

intercedit vinculum, quod adulterio violari possit: de rigore tamen legum civilium pro tali habetur, prouti patet ex *leg. Si uxor* § *Plane 1.ª ff. ad leg. Jul. de adult.* ubi Ulpianus ait — *Plane sive justa uxor fuit, sive injusta accusationem* (adulterii ab ea commissi) *instituere vir poterit; nam et Sextus Caecilius ait: Haec lex ad omnia matrimonia pertinet.*

Ad secundam autem respondent, certum esse adulterium committi per violationem sponsae alterius *de praesenti*, quia sponsa haec etiam ante matrimonii consumationem est vera, ac propria uxor, scitissimum cum sit, quod — *nuptias non concubitus, sed consensus faciat. leg. Nuptias 30: ff. de reg. juris.*

Ad tertiam tandem quaestionem respondent, verum ac proprium adulterium committi, licet inter conjuges divortium quoad thorum praecesserit: notissimum enim est, hoc in casu vinculum matrimoniale haud dissolvi, sed imo jugiter perdurare.

Vidimus quid et quotuplex sit adulterium, quaenam differentia inter *proprium*, et *improprium* adulterium intercedat, inspiciendum modo superest. 1°. Qualiter, et sub quibus poenis prohibitum sit adulterium. 2°. Quinam agere, et quot modis agi possit ex adulterio. 3°. Quaenam probatio requiratur, et sufficiat pro adulterio admittendo. 4°. Tandem quinam sit judex competens in adulterii controvertiis dirimendis.

Adulterium tamquam gravissimum crimen, et peccatum mortale jure Divino, et humano, eoque tam civili, quam ecclesiastico gravissime, gravissimisque poenis est prohibitum.

Crimen hoc jure Divino-positivo veteris testamenti puniebatur poena mortis tam adulteri, quam adulterae. Hanc poenam renovatam fuisse a Costantino Imperatore in jure civili scimus *ex leg. 30* §. *1*ª. *Cod. h. t.* Ante ipsum enim scilicet Constantinum poenam exilii statutam fuisse habemus *ex leg. 5. ff. de quaestionibus*. Jure autem Ecclesiastico contra laicos adulteros erat decreta excommunicatio ferendae sententiae prouti legitur in *cap. 6. h. t.* Adulterae vero mulieres marito annuente, et consentiente detrudi poterant in monasteria rigida sub custodia, ut ibi perpetuam agerent poenitentiam. Ita *Cap. 19. de Conversione Conjugatorum.* Quod si Clerici adulterium perpatrassent, hi deponebantur ab officio, et beneficio, et in monasteria ad poenitentiam agendam detrudebantur juxta *Can. 10. Dist. 81.* Verumtamen hujusmodi poenae ob contrariam consuetudinem invectam obsoleverunt, et loco ipsarum altera poena successit juxta locorum mores, vel arbitrio prudentis judicis infligenda.

Ex titulo adulterii notum est agi posse vel *civiliter*, vel *criminaliter*. Civili actione ad resarcienda damna ex adulterio provenientia contra adulterum quilibet agere potest, qui damnum passus fuerit ex adulterio; verum ad divortium per-

petuum obtinendum civiliter agere potest maritus contra uxorem adulteram, vel viceversa uxor contra maritum adulterum juxta illud principium juris quod in omnium ora volitat — *Frangenti fidem, fides frangatur et ipsi.*

Praeterea civiliter agi etiam potest a marito tantum, et uxore ad lucrandam dotem, vel donationem propter nuptias. *Cap. 2, 4 et 5, de Donat. inter vir. et uxor.* a marito vero, et liberis legitimis tantum ad petenda alimenta pro prole spuria ab adultero, vel adultera, et ut hujusmodi proles excludatur a successione paterna, et suo modo etiam materna. Ratio est quia hi soli in suo interesse laesi sunt, ceu de omnibus actum, atque explicatum fuit in *lib. 4.° tit. de Divort.*

Criminaliter autem agitur ex adulterio ad poenam et vindictam publicam adulteris imponendam. Admittitur autem ad agendum, sive accusandum 1.° Conjux innocens. Jure Romano vir solus criminaliter agere poterat contra uxorem, ceu manifeste eruitur ex *leg. 1.° Cod. ad legem Juliam;* non vero viceversa; sed jure Canonico mulier aequiparata fuit viro, hinc et uxor ad criminaliter agendum contra virum admissa fuit, *Cap. ult. et pen. caus. 32, quaest. 2.* 2.° Admittitur pater, et proximi consanguinei conjugis innocentis, eo quod isti ob crimen patratum justo dolore affici praesumuntur. Jure Romano his deficientibus, vel negligentibus, quilibet de populo admittebatur, modo mas fuerit et 25 annis major *leg. 43, § 10, ff.*

de ritu nuptiar. Verum hodie ne maculae familiarum ad lucem deveniant, ac revelentur in praejudicium pacis, et honoris istarum familiarum haud facile extranei admittuntur ad denunciandum, vel accusandum adulterium, dummodo non fuerit publicum, et manifesta causa scandali non appareat. Hoc remoto pericolo sola conjugis innocentis querela attenditur.

Ut vero judex condemnare possit, et valeat reum adulterii sufficit, et requiritur, ut habeat eas probations, quae contra reum adulterii faciant praesumptionem violentam, et vehementissime urgentem, aut ortam ex talibus indiciis, ut certitudo moralis patrati delicti inducatur. *Leg. fin. Cod. de Probationibus. Cap. 2, et 12, de Praesumpt.* Ratio est, quia secus adulterium fere numquam probari, et puniri posset poena ordinaria. Evidentissimum enim est, quod cum adulterium omnino occulte, et remotis arbitris patrari soleat, non potest ipsum directe probari per testes, vel per documenta, aut instrumenta, sed solis praesumptionibus, conjecturis, atque judiciis. Ita Mascard, Menoch, Sanchez etc.

Quoad vero judicem competentem in dirimenda adulterii causa distinctione opus est: aut enim agitur *criminaliter* ad poenam sanguinis, et tunc patet, quod nemo alius in causa adulterii judex esse possit, nisi solus, et unicus judex laicus, quandoquidem clerici prohibentur judicare has causas, prouti patet ex *cap. 5, et penul. Ne clerici,*

vel monaci. Ecclesia enim abhorret a sanguine. Aut agitur criminaliter de adulterio ad alias poenas, id est ad vindictam publicam dumtaxat, et tunc datur locus praeventioni ad tramitem *Cap. 8.° de foro competen., Cap. 1.° de off. jud. ordin. et Cap. 3.° de procurator.*, quandoquidem adulterium est crimen mixti fori, ecclesiatici nempe et laicalis. Aut tandem agitur *civiliter*, vel *mixte* ad divortium quoad solam separationem tori, et cohabitationis, et tunc solus, et unicus judex competens est Ecclesiasticus. *Cap. 3 de Procuratoribus. Cap. 3, et 4, de Divort.* Ipse enim videre, et examinare debet, utrum obligationes ex vinculo matrimonii natae adhuc perseverent, vel non.

Vidimus adulterio nonnullas poenas statutas esse, tum jure Divino, tum jure humano, scilicet Ecclesiastico, et Civili, inspiciendum nunc remanet, utrum aliquae causae praesto sint a poenis adulterii excusantes. Ipsae multiplices esse videntur; at nos brevitatis amore nonnullas indicabimus, et sunt sequentes: 1.° Si mulier non solum metu inducta, sed violenter oppressa sit *leg. 13 § 7, ad leg. Juliam de Adult.* 2.° *Si* ex ignorantia quis cognoverit alienam, quam putavit esse suam. 3.° Si adulterii crimen attentatum tantummodo fuerit, et non consumatum, quandoquidem conatus proximus regulariter non punitur eadem poena, qua actus ipse perfectus, et consumatus in genere suo punitur. 4.° Si actio, vel accusatio adulterii praescripta fuerit, nisi judex ex officio procedat, etc.

Sed tempus est, ut ad alteram rubricae partem progrediamur. Sit itaque

§. 2.ª

De stupro.

Crimen hoc interdum sumitur vel *generice*, et *late*, interdum autem vel *stricte*, et *proprie*. Si generice, et late accipitur, tunc denotat quemcumque illicitum concubitum, sive cum masculo, sive cum foemina, eaque conjugata, vel vidua, vel virgine, uti constat ex *leg. 4. ff. de Adulter. leg. Inter 6. §. 1.ª ff. de Verb. signif.* et notavit S. Thomas *2. 2. quaest. 154. art. 6. addit. 2.* Si autem stricte, et proprie sumitur, de quo hic agitur, tunc est illicita virginum defloratio, non praecedente pactione conjugali. Stuprum tamen hoc latius describi potest, quod sit illicitus concubitus, quo virginalis integritas corrumpitur.

Stuprum hoc sensu acceptum aliud est violentum, quo per vim virgini adimitur virginitas corporis, et hoc est stuprum propriissime, et strictissime dictum: aliud est simplex, idest non violentum, sed voluntarium, quod volenti, et consentienti in sui violationem infertur: idque vel plena libertate, vel accedente fraude, et metu, scilicet quia per fraudem inducta, aut metu compulsa consentit. Stuprum illatum per violentiam, vel etiam per fraudem, aut per metum injuste incussum malitiam continet specie distinctam a simplici forni-

catione, scilicet praeter malitiam castitati contrariam, continet etiam malitiam injustitiae. Illud vero, quod virgini sine vi, sine dolo, sine fraude, et sine injusto metu, sed libere volenti, et consentienti infertur, probabilis sententia est non continere speciem peccati a simplici fornicatione distinctam, sed soli castitati adversari, ideoque unicum tantum, et simplex peccatum involvere. Cum enim stuprum, sive fornicatio cum virgine naturali modo concubitus fiat, praeterquamquod extra legitimum matrimonium, non potest habere intra genus intemperantiae, et luxuriae aliam deformitatis speciem, quam eam, quae est simplicis fornicationis. Ita Layman *lib. III de Justitia Tract. III. pars. III. Cap. XIII.*

Diximus, eum, qui stuprum virgini, alterive puellae per vim infert praeter peccatum deflorationis, laedere etiam justitiam ob injuriam illatam honestae puellae, quae jacturam passa est honoris sui, et spem forsan amisit nuptiarum suae conditioni convenientium. Quare injuria ista reparanda est, et omne damnum, quod inde provenit, est restituendum. Idemque pari ratione dicendum est, si honesta puella per fraudem inducta fuit v. g. falsis pollicitationibus, vel per precum importunitatem, conjunctis minis, nec non si per metum injuste incussum allecta fuerit.

Ex *Cap. 1.° et 2.° h. t.* reparatio injuriae et compensatio damnorum ita facienda praescribitur, scilicet stuprator puellam violatam ducere in uxo-

rem tenetur, si ipsa velit, quatenus autem id facere recuset, tantam illi dotem offerre debet, quanta sufficit, ut aeque honestas nuptias sortiri valeat, ac si corrupta non fuisset. Quod si hujusmodi convenientem dotem stuprator solvere haud valeret, hoc casu subire cogitur poenas corporales detrusionis in monasterio, seu potius in publicis carceribus. Neque obstat *Cap. 1.*[um] *h. t.* desumptum ex *Cap. 22 Exodi — Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit eam uxorem.* Licet enim locutio istius capitis copulativa esse videatur, ideoque videretur stuprator cogi posse ad dotandam simul, et ducendam uxorem puellam stupro violatam, constans tamen interpetratio hujus capitis semper illud in sensu disjunctivo accepit, ita ut stuprator, vel dotare puellam, vel ducere uxorem eam teneatur. Ita passim S. Concilii Congregatio in hujusmodi causis.

Sed quid dicendum, si stuprator fuerit clericus? Ipse praeter dotem, quam juxta citatum *Cap. 1. h. t.* solvere tenetur, ex *Can. 12 et 13. distint. 81.* deponendus esset. Verumtamen in hoc haud concordant Doctores, et Canonistae. In praxi tenenda esse videtur sententia eorum, qui dicunt Clericum stupri auctorem arbitrio prudentis judicis esse puniendum.

At quinam judex competens potest esse in causa stupri? Distinguendum est: vel enim delictum commissum fuit a Clerico, vel persona Ec-

clesiastica, et tunc judex in hac causa stupri alius esse non potest nisi Ecclesiasticus: vel crimen patratum fuit a laico, et tunc locus datur praeventioni, eo quod stuprum crimen est mixti fori. Hinc tam judex saecularis, quam Ecclesiasticus hujusmodi causam videre potest. *Can. Pervenit 2. h. t.*

Quomodo autem hujusmodi delictum probari potest? Huic dubitationi respondet Schmalzgrueber tit. XVI n. 50 — ibi — « Quoad probationem » stupri distinguendum est, an stuprator fateatur, » se rem habuisse cum foemina, an vero neget. » *Si primum,* duplex adversus ipsum praesum- » ptio militat pro foemina: una, quod virgo fue- » rit: altera, quod seducta a stupratore: cons. si » stuprator alleget contrarium, dicendo illam non » fuisse virginem, quando illam carnaliter cogno- » vit, vel non fuisse a se seductam, quod utrum- » que, vel alterutrum corrupta asserit, ipse istud » probare debet; quia praesumptio stat pro puella, » et propter delictum transfertur onus probandi » in ipsum stupratorem; *Abb. in c. 1. h. t. num. 5.* » Clar. § *stuprum n. 4.* Barbosa *in c. 1. cit. n. 2* » *et 4.* Engl. *hic n. 14.* Honor. *n. 18.* Pirh. » *n. 61.* Wiestner. *n. 24.* Quod si intentionem » suam non probet stuprator, credetur puellae as- » serenti se virginem fuisse, et a stupratore se- » ductam, etiam sine juramento, nisi istud peta- » tur, et idem condemnabitur stuprator ad illam » vel ducendam, vel dotandam.

» *Excipitur,* si aliunde constet, quod puella » jam antea corporis sui copiam aliis fecerit, vel » si praesumptio contra stupratam promineat; » qualem praeberet, si die, noctuque alios de se » libere admisisset, aut permisisset non permit- » tenda. Et admittuntur ad hujusmodi probatio- » nem faciendam etiam testes singulares, de di- » versis actibus inhonestis deponentes; quia hi » actus ex diversis particularibus tendunt ad pro- » bationem generis; Farin. *prax. crim. q. 136,* » *n. 74 et seq.* Sufficit etiam, allegari, et pro- » bari, quod ejusmodi puella jam ante fuerit ma- » lae famae, et pro virgine passim non habita; » tunc enim eidem etiam juranti credendum non » foret, cum ejusmodi mulieres facile contemnant » juramentum; Farin. *q. 146, n. 139.* Pirh. *hic* » *n. 62.* Engl. *ibid. n. 14.*

» Aliud dicendum in *casu secundo* distinctio- » nis *n. 50* allatae, quando mulier asserit se cor- » ruptam, vel impraegnatam a Titio, is vero ne- » gat se carnaliter ipsam cognovisse; tunc enim » non est standum nudae assertioni etiam juratae » mulieris, si alias probationes non afferat; *arg.* » *c. significasti 5 h. t.* Pirh. *hic n. 63.* Honig. » *ibid. n. 25. Ratio est,* tum quia generatim lo- » quendo onus probandi incumbit affirmanti, non » neganti, *l. ei incumbit. 2. ff. de probat.* tum » quia uni soli testi non creditur, *c. licet 23. de* » *testib.* praesertim si testis ille sit in causa pro- » pria; quia in hac nullus idoneus testis est;

» *l. nullus 10 ff.* et *l. omnibus 10 C. de testib.* » Imo caeteris paribus plus credendum est viro, » quam mulieri; nam testimonium mulieris va- » rium, et mutabile est; *c. forus 10,* § *fin. de* » *V. S.*

Huc cum pervenerimus haud levis quaestio suscitatur, si proles ex stupro procreata fuerit. Quaerunt enim Doctores, et Canonistae, a quo proles ista ali debet? An a patre, an vero a matre? Huic dubitationi respondet mox citatus auctor Schmalzgrueber *h. t. n. 55.* — ibi — « Si stu- » prator cum matre prolis transegerit super ali- » mentis ipsi praestandis, conventioni illorum stan- » dum est; *arg. reg. contractus 85 in 6.* Si nulla » compositio, vel transactio facta inter eosdem sit, » dissident inter se DD. nam Gloss. *in c. fin. V,* » *post triennium de convers. infidel.* Covar. *p. 2,* » *de sponsal. c. 8,* § *6, n. 19,* Less. *l. 2, de* » *just. c. 19, n. 42,* Antonell. *lib. 2, de temp.* » *legal. c. 58, n. 2,* ad hujusmodi prolem alen- » dam primo triennio obligant matrem, postea pa- » trem, quod desumunt ex *c. cum haberet 5, de* » *eo, qui duxit e c.* ubi statuitur, filiis spuriis » praestanda necessaria ab utroque parente se- » cundum facultates; cujus ambiguitatem, quo » tempore quisque parentum succedere tali proli » debeat, videtur, tollere *l. nec filium 9, C. de* » *patr. potest.* ubi dicuntur alimenta trimo sub- » ministranda a patre; igitur nondum trimo prae- » stari debebunt a matre.

» Sed revera ex neutro textu allegato probatur » aliquid; non ex *c. cum haberet*, quo ibidem » Pontifex solum corrigit jus civile *auth. ex com-* » *plexu C. de intest. nupt.* qua filiis spuriis adi- » mebantur alimenta paterna; non ex *l. nec fi-* » *lium cit.* quia lex ista solum loquitur de filio » legitimo; ponitur enim sub titulo *de patria po-* » *testate*, in qua filii spurii non sunt; *l. cum le-* » *gitimae* et *l. lex naturae 24, de stat. homin.*

» Hinc dicendum, quod mater primo triennio » (nam ante triennium a lacte depelli non sole- » bant infantes) solum teneatur ad alimenta la- » ctis, pater vero in reliquis. Ita Abb. *in c. ex* » *literis 2, n. 4, de convers. infidel.* Lambertin. » *de jur. patron. art. 6, q. 3, pr. n. 21,* Molin. » *tr. 2, de juss. D. 168. n. 11*, et teste Colero apud » Berlich *p. 5, conclus. 38, n. 43*, a celeberri- » mis juris consultis pronuntiatum est. Ostenditur » ex ipsis textibus in contrarium allegatis; nam » a jure canonico quoad jus alimentorum, a pa- » rentibus accipiendorum, illegitimi quodammodo » coequantur legitimis; atqui legitimis primo trien- » nio mater tantum tenetur ad praestanda alimenta » lactis, pater vero ad reliqua; ergo idem dicen- » dum de illegitimis.

» Duae tamen exceptiones hic faciendae sunt. » *Una* ex parte matris; nam si haec ob pauper- » tatem, infirmitatem, nobilitatem lactandae proli » vel omnino, vel ob patriae consuetudinem sine » dedecore vacare non posset, conducenda patris

» expensis foret nutrix; Surd. tr. de aliment. tit. 1.
» q. 14, n. 8, Joan. Garc. de expens. c. 13.
» n. 31. *Altera* ex parte patris; nam si hic ob
» paupertatem praestare alimenta proli nequeat,
» ad ea obligabitur mater, et in hujus defectum
» avi; ut monet cum aliis Molin. l. cit. n. 13,
» Konig. hic n. 36, Wiest. l. cit.

TITULUS XVII.

De raptoribus, et incendiariis, et violatoribus Ecclesiarum.

Compilator Decretalium disseruit adhuc de criminibus, quibus proximus laeditur in vita, et in honore, hinc modo transit ad ea crimina, quae eumdem proximum laedunt in bonis fortunae. Cum vero inter alios hoc peragant raptores, incendiarii, et violatores Ecclesiarum, hac de re praesentem hic subnectit titulum, mentionem faciendo etiam de raptu mulierum, utpote injustitiam, atque injuriam tertii continente. Exordiamur igitur ab hujusmodi raptu.

§ 1.ª

De Raptoribus.

Duplici sub respectu considerari potest raptus in hoc titulo, scilicet *personarum, et rerum.* De

raptu enim prout est impedimentum dirimens matrimonii actum jam fuit *lib. 4, t. 1.°*

Raptus personarum in ordine ad explendam libidinem definitur — *violenta virginis, vel alterius cujuscumque honestae foeminae abductio de loco ad locum moraliter diversum libidinis exercendae, atque explendae causa.*

De jure Romanorum raptus hic personarum, et praesertim foeminae conjugatae puniebatur poena mortis, remota appellatione, et raptoris bona applicabantur raptae ingenuae, non tamen ancillae, vel libertinae. *Leg. unic Cod. de Raptu virginis.* De jure autem Canonico, quas poenas secumferat raptus èxplendae libidinis causa commissus, non conveniunt inter se DD. Maschat *h. t. n. 4. resp. 3.* ait — *Nihil certi colligo ex canonibus; ac proinde attendenda videtur consuetudo optima jurium dubiorum interpres;* nonnulli vero existimant, has poenas in hoc casu incurri, scilicet excommunicationem, si raptor est laicus, si vero clericus degradationem ab ordine clericali. Ita *Can. 1. et seqq. caus. 36, q. 1.ª, et Cap. 4, de Purg. Canonica.*

Raptus vero rerum, seu rapina stricte, et proprie sumpta definiri potest — *injusta rei alienae mobilis, vel semoventis ablatio per vim facta.*

Antiquae Constitutiones quoad hunc raptum rei alienae obsoleverunt, cum leges civiles hodie de hoc caverint: remansit tamen poena excommunicationis ferendae sententiae ab Episcopo loci, ubi rapina commissa fuit, cujus absolutio eidem Epi-

scopo reservata est, etsi raptor alienae dioecesis existeret. Imo si ante mortem raptor noluerit satisfacere, vel si in ipsa rapina occisus sit, privatur sepultura sacra tamquam notorius peccator. *Cap. 2. h. t., et Cap. 2. de furtis,* ubi etiam clerici interessentes tali sepulturae, jubentur deponi ab officio, et beneficio.

Caput tertium *h. t.,* et Constitutio Bullae Coenae poenas nonnullas particulares infligit in eos, qui aliquid ex bonis Christianorum naufragantium surripiunt, quia sacrum, et sanctum jugiter fuit apud omnes gentes miseris succurrere, et adjuvare· Poenae autem istae sunt sequentes, scilicet 1.° Excommunicatio major Papae reservata, haud extensibilis ad causas morales, idest consulentes, fautores, receptores, etc., cum de ipsis mentio non fiat. 2.° Infamia, 3.° denique irregularitas.

§ 2.ª

De incendiariis.

Incendiarii dicuntur, qui dolo malo, seu malitiose, sive scientes, et prudentes urbes, domos, oppida, villas, segetes, acervos fructuum, et similia bona aliena per se, vel per alios apposito igne succendunt, sive id faciant ex odio, aut vindicta, sive lucri, et commodi reportandi causa.

Sicut hujusmodi incendiarii a civili jure puniuntur, hac de re antiquae poenae canonicae, idest a sacris canonibus statutae obsoleverunt.

Hinc de jure canonico triennali poenitentiae amplius ipsi haud mancipantur ad tramitem *Cap. 6, de Injuriis et damno dato*. Sed *ex Cap. 18 de sentent. et rejudic. et ex Can. 31, 32, caus. 23 quaest. 8* excommunicandi sunt, nec absolvendi, donec damna non reparaverint, et si impoenitentes decesserint, sepulturae Ecclesiasticae honore privantur. Obligatio autem reparandi hujusmodi damna transit ad eorum haeredes ad monitum *cap. 5 h. t.*, per quod correctum est jus civile, statuens ex delicto defuncti non teneri haeredem.

Notandum tamen heic est 1.° quod excommunicatio incendiariis inflicta possit ab Episcopo absolvi, si non fuerint nominati, idest si per sententiam Ecclesiae publice denunciati. Hoc enim in casu absolutio a censuris reservata est Romano Pontifici in vim *Cap. 19 de Sententia excomm.* 2.° Quod licet contra incendiarios Ecclesiarum, coemeterii, et locorum ad triginta passus eis contiguorum statuta fuerit excommunicatio latae sententiae, prouti docent *Can. 31, caus. 33, q. 8, can. 106, caus. 11, q. 3,* ea tamen cessasse videtur, eo quod in Constit. Pii IX *Apostolicae Sedis* ea haud renovata fuerit.

§. 3.ª

De violatoribus Ecclesiarum.

Violatores Ecclesiarum dicuntur illi, qui nedum Ecclesias, sed et alia loca sacra, et religiosa violenter effringunt, et per vim exportant res pertinentes ad Ecclesiam, vel ibi depositas. Dicitur autem violatio, quia non solum rapinam committunt, sed etiam sacrilegium. Tripliciter vero hujusmodi violatio accidere potest, scilicet 1.° si res sacra rapitur de loco sacro. 2.° Si res sacra de loco non sacro. 3.° Si res non sacra de loco sacro.

Quaerunt hic DD. et Canonistae, an quaevis rapina commissa in Ecclesia constituat violationem ipsius Ecclesiae? Huic dubio respondent, violationem tunc constituere, cum res etsi non sacra, in Ecclesia tamen reperitur, et loco depositi servatur.

Violatores hujusmodi puniebantur excommunicatione latae sententiae, ceu perhibent *Cap. 22, de Senten. excomm. et Can. 5, caus. 17, quaest. 4.* De hac tamen censura cum nulla explicita mentio fiat in saepius citata *Constitut. Apostolicae Sedis* eam in tenues auras abiisse dicendum videtur.

Verum si violatio non fuerit perfecta, idest si defuit, vel infractio loci, vel spoliatio, tunc haec excommunicatio latae sententiae in aliam

ferendae sententiae convertebatur ad monitum *Cap. 16, De Foro compet.* et Glossa receptae in *Cap. 22, de Senten. excomm.*

Finem huic titulo imponere haud possumus, quin ad memoriam revocetur dispositio *Cap. 4 h. t.,* ubi Summus Pontifex decernit raptorem, et violatorem manifestum Ecclesiarum ad poenitentiam admitti haud posse, nisi prius reparationem damnorum, vel saltem cautionem sufficientem praestiterit. Exceptio est in unico mortis articulo, in quo si poeniteat, quin valeat reparationem spondere, reconciliari poterit. Verumtamen vetitum est Clericis, quominus ejus sepulturae praesentiam exhibeant.

TITULUS XVIII.

De furtis.

Postquam juris Canonici Compilator de raptus, et rapinae crimine egit, merito eamdem materiem prosequens praesentem titulum adnectit, siquidem furtum est species, licet distincta a raptu, et rapina.

Ethymologia furti juxta diversa jurisconsultorum placita quadruplex est. Nonnulli enim cum Labeone putant furtum ita dictum fuisse, vel *a furvo,* idest fusco, seu nigro, eo quod clam, et in obscuro fiat, ac plerumque noctu. Alii cum Sabi-

no putabant furtum appellatum fuisse *a fraude,* hinc fraudolosa rei contractatio dicitur *leg. furtum 1^a. princ. ff. h. t.* §. *3.* Aliqui autem existimant furtum derivare a *ferendo,* seu *auferendo;* sibi enim fur affert, et aliis aufert. Non pauci tandem a graeco vocabulo *nhor,* quod latine fur significat.

Verum quidquid sit de furti ethymologia duplex est ejus definitio. Theologi enim cum S. Thoma *2. 2. quaest. 66. a. 3.* illud definiunt — *occulta acceptio rei alienae, domino rationabiliter invito.* E contra juristae cum jurisconsulto Paulo definiunt — *fraudolosa contractatio, sive acceptio rei alienae, vel ejus usus, aut possessionis ejusdem lucri faciendi gratia.*

Furtum jure Divino, et naturae illicitum esse, tum ex praeceptis Decalogi, tum ex *leg. 1.* §. *3.* docemur. Unus tamen casus excipitur, in quo rem alteri subripere non est vetitum, scilicet casus extremae necessitatis, si forte fame, vel alio incomodo pereundum esset. Ratio est, quia in tali necessitate remeatur ad primaevam naturam, et res fiunt communes, nam ab initio omnes res terrenae in substentationem hominis communiter, et indivisim pro omnibus creatae sunt, et licet ex postfacto divisio rerum inter homines intervenerit, hujusmodi tamen divisio derogare haud valet rationi naturali, quae dictat ex rebus temporalibus subveniendum esse extremae hominum necessitati, ad quorum usum ordinatae fuerunt. Unde S. Ambrosius relatus *in Cap. Sicut ii 3, dist. 47,*

esurientium panis est, inquit; *quem tu detines, nudorum indumentum est, quod tu recludis etc.* Quamobrem consequitur talem acceptionem, seu ablationem non censeri domino injuriosam, eo quod is jure naturae consentire teneatur, et non possit rationabiliter esse invitus, quin per res suas homini in extrema necessitate constituto subveniatur.

Pluribus poenis canones animadverterunt contra eos, qui furtum committebant lucri faciendi causa, sed cum tandem lex civilis de furto providere caeperit, hujusmodi poenae obsoleverunt, etsi paucae adhuc subsistant, quae jurium, et nonnullarum rerum privationem respiciunt.

Sane de jure Canonico non habetur pro furto circa laicos aliqua poena designata, sed Solummodo in *Cap. 1 h. t.* statuitur eum, qui furatur hominem, et vendit, dignum esse morte. — ibi — *Qui furatur hominem et vendiderit, convictus noxae morte moriatur.* Ex qua juris dispositione ab Exodo *Cap. 21* sumpta haud indicatur, Ecclesiam, quae abhorret a sanguine, mortis poenam infligere, sed indicatur tantummodo, quae sit poena infligenda a judicibus laicis contra furti reos. Giraldi *Expositio juris Pontificii tit. XVIII de furtis sect. 841.* Quoad Clericos vero dispositum est, quod propter furtum in notabili quantitate, et maxime saepius iteratum, vel male qualificatum in primis fiunt irregulares, ita ut ad ordines promoveri non possint propter infamiam, quam ex tali delicto contrahunt, deinde poena furti notabilis,

aut iterati in clerico est depositio. *Cap. Presbyter. 12, dist. 82, cap. Cum non ab homine 10 de Judiciis. Barb. de Offic, Episcop. 3, allegat. 110, n. 10.*

Non est autem hic silentio praetereunda dispositio *cap. 2, h. t.* quae sic se habet — *Fures, et latrones, si in furando, vel depraedando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.*

Ut patet hujusmodi dispositionis pars prima statuit, quod si fures, et latrones occisi fuerint infragranti, scilicet dum actu mortale furtum committunt, pro ipsis orandum non est. Rationem hujus primae partis dictae dispositionis assignat Glossa, quia nempe constat in isto casu, eos mortuos esse in peccato mortali: pro iis autem qui sic mortui sunt, orandum non esse aperte patet ex *Can. 21 pro Obeuntibus, caus. 13. qnaest. 2. Can. 13, q. 2,* ubi congruum quidem dicitur, *ut Sacerdos pro mortuis catholicis memoriam faciat, et intercedat; non tamen pro impiis (quamvis christiani fuerint) tale quid agere licebit.* Hinc inferunt nonnulli Canonistae tales privandos etiam esse ecclesiastica sepultura.

In secunda autem parte praefatae dispositionis dicitur quod si iidem fures, et latrones occisi non fuerint in fragranti, sed tantum vulnerati, vel etiam comprehensi, ac vere poenitentes confessi

fuerint, tunc non est illis neganda communio. At non levem ingerit difficultatem ly *si confessi fuerint Presbytero, vel Diacono.*

Ad conciliandum tamen textum hunc quoad confessionem faciendam Diacono, cum Fidei dogma sit, ut soli Sacerdoti facultas competat dimitten di peccata clavium ministerio, ut definivit Conc. Trident. *cap. VI, et Can. X sess. XIV, de Poenit.* nonnulli Interpretes senserunt, confessionem, quam Patres Concilii Triburiensis in casu proposito exigebant, ut hujusmodi publici peccatores admitti possent, non ad Eucharistiam, sed ad fidelium communionem, juxta quam, et oratur pro mortuis, et Sacrificium offertur, non fuisse sacramentalem, sed contestationem coram Diacono factam per signa poenitentiae, quibus ostenderent, se serio fuisse conversos. Alii existimarunt, praesentem textum intelligendum esse de absolutione excommunicationis, quam olim incurrebant publici latrones, a qua ex Episcopi commissione absolvi poterant a Diacono. Alii de Euchiristia, quae permittebatur administrari a Diacono furi vulnerato, si de illius contritione ei constitisset, cum inter caeteros casus (ut animadvertit Benedictus XIV *de Synodo diaec. edit. an. 1755 lib. VII cap. XVI n. 8*) in quibus sufficit contritio, sine sacramentali confessione ad percipiendam Eucharistiam, enumeretur etiam ille hominis constituti in mortis articulo, cui deest Sacerdos, a quo sacramentalem absolutionem obtineat. Alii tanpem intelli-

gendum esse senserunt de eo, qui erat in poenitentia solemni, cujus reconciliatio, deficiente Sacerdote, spectabat ad Diaconum.

Verum si Canon iste Triburiensis Concilii ex integris ejusdem exemplaribus repetatur, satis, superque evincetur, allatis interpretationibus non opus esse, quandoquidem ibi ne vola, nec vestigium reperitur de Diacono.

TITULUS XIX.

De usuris.

Sicut usurae vitium affinitatem quamdam habet cum rapina, et furto, prouti colligitur ex Can. *Si quis 10, caus 14, quaest. 4,* hinc post titulos *de raptoribus, et furibus* congruo ordine Compilatio Gregoriana subjicit hunc titulum.

De hoc etiam multa proferri possent. At nos brevitati, uti par est, consulentes pauca delibabimus.

Usura ab usu dicta, sicut cultura a cultu, usum, et quandoque fructum ex re provenientem significat juxta illud Ciceronis in libro de Senectute — *Terra numquam sine usura reddit, quod accepit.* Unde rei cujusvis usum, partamque ex re utilitatem indicat nomen usurae.

Verum Theologis, Canonistis et etiam Criminalistis usura nihil aliud est, nisi quodcumque

lucrum, quod ex mutuo, vi mutui, et causa mutui ultra sortem exigit mutuans a mutuatario tamquam sibi debitum, ceu docet Benedict. XIV in *Encycl. Vix pervenit.*

Hanc usuram licere putabant antiqui Romani, apud quos celeberrimae erant usurae *unciariae,* seu *centesimae* omnium gravissimae, quae nimirum unciam, seu centesimam sortis partem singulis mensibus reddebant. Solvebantur autem singulis kalendis, unde orta fuit actio Kalendarii, de qua loquuntur *lex pen. ff. Si certum petatur,* et *lex ult. ff. de Pec.*

Earum sed vero modum praefinierunt Christiani Imperatores, uti videre est in *leg. 4 Cod. Theod. de Usuris Leg. 16 Cod. de Usur.* Ab his haud abhorruerunt, et abhorrent Graeci quoque Schismatici, et Pseudo-Reformati; at Catholici semper tenuerunt eas omni jure prohibitas esse, licet Clariss. Mastrofini opere, quod plurimis ab hinc annis vulgavit, omni argumentorum genere ostendere conatus fuerit moderatum ex credita divitibus pecunia lucrum licite exigi posse. Sed tamen hujusmodi doctrina ab Ecclesia, cujus solius est judicare, nuperrime damnata fuit.

Usura dividitur primo in *internam, et externam*; interna est, quae in sola mente consumatur, externa autem est, quae prodit in opus exterius. Secundo dividitur in *mentalem, conventionalem, et realem* ad similitudinem simoniae. *Mentalis* est, qua lucrum ex mutuo intenditur tamquam debi-

tum ex justitia, licet de eo nullum interveniat pactum. *Arg. cap. Consuluit. h. t. Conventionalis* est qua praevio pacto petitur aliquid ultra sortem mutui. *Realis* autem est, cum quis mutuat cum pacto expresso, vel tacito accipiendi ultra sortem lucrum ex mutuo. Tertio dividitur in *expressam, seu manifestam, et tacitam, seu palliatam.* Usura expressa, seu manifesta, et formalis est, quando expresse, seu manifeste, et formaliter exigitur pretium pro mutuo, ut esset si quis mutuaret centum eo expresso pacto, ut sibi redderentur centum, et quinque. Usura tacita, seu palliata, et virtualis est, quae non committitur vi contractus mutui formalis, et expressi, sed alterius contractus nomine, ac specie veluti pallio contecti, et occultati, ut dum praecise ob anticipatam, aut dilatam solutionem aliquid de justo pretio detrahitur, aut supra justum pretium exigitur *arg. cap. In civitate tua 6 de Usuris.*

Quarto dividitur usura in *lucratoriam, compensatoriam, et punitoriam.* Usura lucratoria (de qua tamquam propria usura ex professo agunt Theologi, et erit hic sermo) est, quae continet aliquod lucrum temporale causa, et nomine solius mutui principaliter exactum. Usura compensatoria est, qua ex pacto exigitur aliquid supra sortem ratione justi interesse, seu damni emergentis, vel lucri cessantis, quod patitur mutuans, aut ratione periculi, et incommodi, quod probabiliter passurus est in mutuo recuperando. Et haec usura,

ut infra videbimus, est licita. Usura autem punitoria, seu moratoria, est, qua ex pacto imponitur poena v. g. pecuniaria ultra sortem praestanda, si mutuatarius in reddendo mutuum tempore convento fuerit culpabiliter morosus, et haec etiam est licita, ut inferius pariter videbimus.

Usura proprie dicta, seu lucratoria, quae criminis loco habetur, prohibita est non solum jure positivo Divino, et Ecclesiastico, sed etiam jure naturali. Quod sit prohibita jure Divino, patet id ex pluribus Sacrae Scripturae locis, et praecipue ex *Levitic. 23.* — ibi — *Non accipies a fratre tuo usuras, nec amplius quam dedisti... pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superambundantiam non exiges.* Ex *Deuteron. 23.* — ibi — *Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam.* Ex *Ps. 14* ubi introducendus in tabernaculum Domini dicitur, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Et ex *Luca 6.* ubi ipsemet Christus Dominus ait — *Mutuum date nihil inde sperantes,* scilicet ultra sortem, quae verba Papa Urbanus III *in Cap. Consuluit 10. de Usuris* affert ad probandum usuram jure Divino esse prohibitam.

Quod autem prohibita sit etiam jure Canonico, expresse habetur ex *Cap. Quoniam 2. dist. 47. cap. si Foeneraveris, aliisque, et ex toto titulo de usuris tam Quinti, quam Sexti decretalium, et ex Clementin. unic. de Usuris* §. *Sane* — ibi — *Sane si quis in ullum errorem inciderit, ut per-*

tinaciter affirmare praesumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus, eum velut haereticum puniendum.

Quod denique usura prohibita sit etiam jure naturali ita praeter caeteras rationes probari potest. Contra jus naturae est percipere fructus ex re non sua, cum fructus rei ex natura sua pertineant ad dominum ejusdem rei; atqui si ex mutuo perciperetur usura, perciperentur fructus ex re non sua, seu aliena; ergo usura est de jure naturali prohibita. Quod fructus percipere ex re non sua sit contra legem naturalem, id nótum est ipso rationis lumine, ideoque probatione non indiget. Quod vero perciperentur fructus ex re non sua, seu aliena, si ex mutuo usura perciperetur, id probatur ex eo, quod per mutuum rei mutuatae dominium transfertur in mutuatarium: mutuum enim ideo appellatur, quia de meo fit tuum, ceu patet *ex lege mutuum 2. §. 2. ff. de Rebus creditis, si certum petatur* — ibi — *Appellata est autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum fiat — Et Institut. quibus modis re contrahatur obligatio* — ibi — *Inde etiam dictum est mutuum, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat.* Ergo si percipiuntur fructus, seu lucrum a mutuante ex re mutuata, percipiuntur ex re aliena, adeoque etc.

At non semper prohibita est usura, sed aliquoties fructus pecuniae, seu usurae exigi, et percipi in mutuo licite possunt, si aliquis titulus a mutuo extrinsecus verificetur.

Tres autem sunt tituli, quibus aliquid ultra sortem exigi potest, modo autem in pactum deducantur. Primus est *lucrum cessans:* secundus *damnum emergens:* tertius *periculum amittendae sortis*. Et merito quidem. Quandoquidem — *Iniquum est, cuique damnosum esse officium summ. Leg. Sed si quis ff. Quaemadmod. test. aperiantur.*

Titulus *lucri cessantis* locum habet, quando pecunia, quae destinata erat negotiationi, aut emptioni rei frugiferae, subtrahitur a tali negotiatione in gratiam mutuatarii, et sic amittitur spes lucri, quod cessat. Idem dic de frumento quod destinaveras venditioni tempore futuro Maji, ex quo subtrahis ad mutuandum. Si itaque mutuans, sive ex pecunia, sive ex frumento aliquid utilitatis capere poterat, aequum est, ut mutuatarius, qui sentit comodum ex mutuo accepto, aliquam compensationem praebeat mutuanti pro lucro, quod ei cessavit.

Titulus *damni emergentis* habetur, quando mutuans ratione mutuationis patitur detrimentum in rebus, quas habet, vel quae ipsi debentur; puta, cogitur res suas minoris justo vendere ad succurrendum suis necessitatibus ex. gr. si nequeat aedes suas ruvinosas reficere, si cogatur postea frumentum, aut vinum carius emere; nam damnum suum quilibet licite vitare potest; ergo si creditor ex mutuo damnum patiatur, illius compensationem petere potest: dummodo super tali damno

pactum liberum praecesserit, et mutuum sit causa hujus damni.

Titulus autem *periculi amittendae sortis*, ut verificetur distinctione opus est: vel enim hujusmodi periculum est *remotum* ac mere *possibile* et ob ipsum nihil ultra sortem exigi potest, cum illud sit intrinsecum ipsi mutuo, et compensetur commodo non amittendi illam apud te existentem, quam amittere, vel perdere posses etiam furto, alioque casu fortuito: vel *periculum est proximum*, *probabile*, ac *prudens*, quale est, si mutuatarius non sit satis notus, si profugus, si non bonae fidei etc. et tunc exigi potest aliquid ultra sortem. Ratio est, quia non teneris exponere te tali periculo, et exponi est pretio aestimabile: ergo sic te exponendo in gratiam mutuatarii potes ab eo aliquid ultra sortem exigere.

Praeter recensitos titulos possunt addi, et alii, scilicet *taxa legalis*, et *foecunditas pecuniae*. In variis cultis nationibus recepta fuit hujusmodi dispositio, ut ex pecunia mutua certum lucrum reciperetur, quod hodie fere ab omnibus guberniis civilibus receptum est, et audit *taxa legalis*.

Usque ad haec tempora contraversum est, utrum hujusmodi lucrum licite recipi possit, quandoquidem veram Ecclesiae approbationem non habemus, sed Ecclesia disputationi theologorum reliquit. Hinc theorice decisive responderi nequit. In praxi tamen interrogata pluries Sancta Sedes, utrum esset deneganda absolutio illis, qui lucrum

percepissent ex mutuo juxta hanc taxam legalem, et quidem sine ullo titulo, respondit: *non esse inquietandos, dummodo parati sint obtemperare mandatis eius, si aliquando prolata erit aliqua hac in re definitio.* Foecunditas autem pecuniae est alter titulus. Certe non est dicenda frugifera pecunia, uti frugiferi sunt fundi, sed dicenda est frugifera relatione habita ad statum socialem. Adeo enim invalescere potest commercium, ut licet quis pecunia non utatur, tamen fructus suscipere possit ab existentia pecuniae. Vide Gury *theol. moral.*

Nunc ad poenas contra usurarios statutas transeamus oportet. At priusquam de ipsis loquamur, atque enumeremus, duo sunt animadvertenda. 1.° Poenas statutas esse contra illos, qui usuras percipiunt absque titulo, vel si tituli praesto sint usuras immodicas exigunt. 2.° Poenas percutere eos usurarios, qui manifesti, et notorii sunt ita ut eorum crimen nulla tergiversatione celari possit, vel percellere eos usurarios, qui per sententiam judicis convicti sunt de usuris exactis.

Hisce praemissis poenae contra usurarios sunt sequentes. 1.ª Infamia, ac proinde irregularitas, atque inhabilitas ad officia, et beneficia Ecclesiastica. *Canon 2. §. Porro caus. 3. quaest. 7. cap. 11. de Excessibus Praelatorum.* 2.° Pro Clerico est depositio, vel saltem suspensio, pro laico vero excommunicatio. *Cap. 7. h. t. 3.°* Excluduntur ab oblationibus in Ecclesia fieri solitis, nec admittuntur ad altaris Communionem. *Cap. 3*

h. t. 4.° Testamentum eorum non valet, nisi usuras restituerint, vel cautionem dederint sufficientem. *Cap. 2* § *Fin. h. t. in 6.* 5.° Privantur sepultura Ecclesiastica, si in eo peccato decesserint. *Cap. 3. h. t.* et *cap. 2. eod. t. in 6.* etc. Eos autem, qui sepellire auderent, excommunicationem latae sententiae ipso facto incurrunt, aec perhibeat *Cap. 3. h. t. Cap. cod. in 6.* et *Clem. 1. de Sepulturis.* Verum haec poena in tenues auras abiit post saepius citatam Constit. Pii IX *Apostolicae Sedis,* cum de ipsa nulla ibi mentio fiat.

TITULUS XX.

De Crimine falsi.

Crimen hoc materiae laesionis proximi accedit, hinc jure B. Raymundus praesentem titulum heic subnectit.

Ipsum communiter definiri potest — *fraudolenta veritatis immutatio in praejudicium alterius facta.* Ita *Novella 73.* Ex hac definitione, ceu in omnium oculos insilit, manifestum eruitur, tria requiri ad crimen hoc constituendum, scilicet 1°. fraudem, seu dolum; sine enim fraude, et dolo illud committi haud posse tradit *lex 20 Cod. ad leg. Cornel. de falsis.* 2°. Fictionem, seu veritatis immutationem. 3°. Nocumentum alteri illatum, vel inferendum, licet per accidens impedia-

tur. Uno autem ex istis elementis deficiente crimen hoc juridice haud puniri posse docet Mascard. *de prob. concl. 739, n. 12,* aliique.

Tradunt unanimiter Doctores hujusmodi crimen quadruplici modo committi posse, scilicet *dicto, scripto, facto, et usu.* Committitur *dicto*, quando dolose in praejudicium alterius falsum profertur, ex. g. 1°. si testis in judicio veritatem haud deponit, vel ipsam occultat. Quod quam detestabile sit, patet ex eo, quod testis hic falsidicus tribus personis est obnoxius, idest obligatus, scilicet Deo, cujus praesentiam contemnit, deinde judici, quem mentiendo fallit, postremo innocenti, quem falso testimonio laedit. Ita *Cap. 1. h. t.* 2°. Si advocatus dolo malo causam sui clientis prodit, vel admittendo probationes falsas, vel dissimulando proprias 3°. Si judex vel ex malitia, vel pecunia corruptus injustam sententiam profert. *Leg. 1ª, 20, 27 ff. h. t.*

Committitur *scripto,* quando per falsam scripturam immutatur veritas in substantialibus, quod potest fieri a Notario in testamento, vel instrumento publico, vel alio quocumque documento pariter publico, vel privato.

Inn. III novem modos enumerat, ex quibus cognosci potest falsitas in literis Apostolicis. Ita *Cap. 5 h. t.* et *Cap. Quam grave eod. tit. in 6.* Indicia autem corruptarum, vel falsarum literarum Apostolicarum recenset Gloss. in *cit. cap. 5, h. t. verb. falsitatis.* Poenae hujus criminis sunt: excommunicatio latae sententiae Pontifici reser-

vata ad monitum *Cap. 7. h. t. et Bullae Coenae cap. 6.* At si Clericus fuerit falsarius literarum Apostolicarum deponitur ab officio, et Beneficio *cit. cap. 1. h. t. et Bullae Coenae cap. 6.* Notandum tamen hic est, quod in Const. Apostolicae Sedis sub n° 9 sequens relate ad hoc reperitur articulus — ibi — « Omnes falsarios literarum » Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac sup» plicationum gratiam, vel justitiam concernentium, » per R. Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancel» larios, seu Gerentes vices eorum, aut de man» dato ejusdem R. Pontificis signaturum: nec non » falso publicantes Literas Apostolicas, etiam in » forma Brevis, et etiam falso signantes suppli» cationes hujusmodi sub nomine R. Pontificis, » seu Vice-Cancellarii, aut Gerentis vices prae» dictorum ».

Committitur autem *facto* ab iis, qui monetam falsificant, quod tribus modis potissimum fieri potest, nimirum 1°. Si quis cudat monetam cum cudendi potestatem non habet; 2°. Si quis monetae publica auctoritate cusae pondus justum abradat. *Leg. 3 ff. h. t.* 3°. Si quis monetam cudat, aut fingat ex falsa materia, puta ex stanno, cupro, aut simili. De jure canonico, et circa Ecclesiasticos non habetur in corpore juris specialis poena in singulis hisce casibus constituta, erit proinde arbitraria, quae aliquando ad poenam depositionis extendi poterit. *Arg. Cap. Ad audientiam 3. h. t.* In *Extrav. unic. eod tit.* (quae

incipit — *Spondent, quas non exhibent divitias pauperes Alchimistae*) specialiter statuitur, ut per Alchimiam falsum aurum, vel argentum conficientes, aut monetam inde cudentes, vel expendentes tantumdem de vero, et bono auro pauperibus erogare, vel si ipsi, ut ordinarie contingit, pauperes sint, poenam aliam in corpore arbitrio judicis una cum infamia subire teneantur, et si Clerici fuerint beneficiis obtentis priventur, et ad alia obtinenda inhabiles reddantur. Inter hos falsarios recensendi sunt venditores, qui falsis ponderibus, vel mensuris utuntur, aut falsas merces distrahunt.

Usu denique, seu melius *abusu* falsum committunt, qui falsitate ab aliis conficta utuntur, ut qui testimonium, aut instrumentum, vel scripturam falsam in judicio scienter proferunt, qui falsam monetam dolose colligunt, et expendunt, etc. Et hi quoque in primis ad restitutionem damni dati tenentur, et deinde pro gravitate, et qualitate delicti, vel poena ordinaria falsi, vel arbitraria puniuntur.

Poenae a jure Canonico contra falsarios statutae sunt sequentes. *Testis* sive in civili, sive criminali causa falsarius est infamis; si vero est Clericus praeter infamiam detrudendus est in monasterium, hodie in carcerem, aut ad triremes relegandus ad vitam. *Can. 9, caus. 3, q. 5,* eique conceditur solum laicalis communio. *Can. 7. dist. 50* Judex Ecclesiasticus dolo malo, vel pecunia cor-

ruptus proferens sententiam falsam, ultra extimationem litis incurrit suspensionem ad tramitem *Cap. 1 de sentent. et re jud. in 6*. Falsarius autem literarum Apostolicarum excommunicatur ipso facto, et si Clericus sit, deponitur ab officio, et Beneficio, uti mox innuimus. De aliis certorum falsariorum poenis vide *Cap. 2 de empt., cap. 3, h. t. Extravagan. Joan. XXII h. t. Extravagan. unic. eod. tit. inter communes.*

TITULUS XXI.

De sortilegiis.

Sortilegium quoque affinitatem quandam habet cum crimine falsi, quia et ipsum continet in se falsitatem, hinc merito a B. Raymundo titulus hic priori additur.

Sortilegii nomen a legendis sortibus pressiori sensu acceptum nihil aliud significat, nisi aliquid facere ea intentione, ac fine, ut incertum determinetur, et occultum aperiatur, atque innotescat. Hinc definiri potest — *tentamen, quo mediis sortibus conatur aliquis, vel determinare, quod incertum, vel detegere, quod est occultum.*

Triplex autem est genus sortium, scilicet *divisorium, consultatorium*, et *divinatorium*. Sortes *divisoriae* sunt, quae adhibentur ad jus indivisum, aut dubium pluribus competens inter eosdem dividendum, vel uni applicandum. *Consultoriae*

sunt, quae adhibentur, ut Deus occultam veritatem manifestet, vel anceps consilium dirigat, seu sunt eae, per quas divina voluntas inquiritur. *Divinatoriae* tandem sunt, quae adhibentur ad occulta, vel futura contingentia cognoscenda, seu adhibentur ad cognoscendum aliquod futurum, vel occultum, quod naturaliter cognosci, ac determinari nequit.

Sortes divisoriae nihil mali secumferunt, ideoque uti licitae generaliter habentur, et antiquus est earum usus. Hinc inter haeredes, et socios hujusmodi sortilegium recte adhiberi potest, modo omnis prorsus superstitio exulet, vel modo circumstantia superstitiosa non accedat, seu modo eventus non expectetur a daemone, sed via ordinaria a Deo. Dixi generaliter, quia electio ad Praelaturas, et beneficia Ecclesiastica per sortes fieri nequit, cum electio personarum Ecclesiasticarum non debet sortibus, seu caeca fortuna fieri, sed ex delectu, et juxta majorem capacitatem, secus vergeret in damnum Ecclesiae, ceu monet *Cap. fin. h. t. et Cap. 42. de Elect.*

Sortes *consultoriae* regulariter uti illicitae habendae sunt ad monitum *can. 7 sortes 26, quaestio 5.* Nam per illas Deus tentatur, et sortilegi exponunt se periculo, ne Deo permittente a diabolo decipiantur. Si tamen fiant ex levitate, curiositate, et vanitate absque ullo commercio cum daemone, et sine fide quasi veritas per Deum hoc modo manifestaretur, saltem sunt peccata venia-

lia, quatenus sortilegi sine ulla urgenti causa Dei providentiam hisce sortibus alligare velint. *Limita* tamen nisi sortes istae ex speciali Divino instinctu adhibeantur juxta exemplum Apostolorum in electione S. Mathiae.

Sortes denique *divinatoriae* graviter illicitae sunt, non tantum quando fiunt per expressam invocationem daemonis, sed etiam per verba, scripturam, aut alia signa nullam connexionem cum re occulta, et eventu futuro habentia. *Can. 6, et sequen. 26, quaest. 5, et cap. 1, h. t.* Nam in sortibus istis saltem tacite daemon colitur tamquam Deus, et revelator occultorum.

TITULUS XXII.

De collusione detegenda.

Cum et collusionis crimen affine sit crimini falsi, eo quod falsitatem aliquam in se continet, et falsi speciem habet; colludere enim in jure dicitur, qui aliud agit, et aliud simulat, hinc non immerito a B. Raymundo praesens titulus praecedentibus adjicitur.

Quaeritur itaque quid sit collusio, inter quos, et quibus in causis committi possit. Collusio communiter definitur — *latens et fraudolenta conventio inter actorem, et reum in praejudicium justitiae, vel inter defensores, seu patronos causae.* Ipsa praecipue locum habet in causis benefi-

cialibus, et criminalibus. Hac de re si actor, et reus colluserunt circa beneficium Ecclesiasticum, ita ut actor in gratiam rei pateretur sibi litem fieri circa illud, uterque beneficio privandus est. Ita *Cap. 3. h. t.* Ratio est, ne patronis, et collatoribus jus conferendi laedatur, *ne fraus, et dolus alicui patrocinetur*, uti legitur in mox *cit. Cap. 3. h. t.*, et tandem *ne delicta maneant impunita.* Si vero collusio in criminalibus accidit, idest si accusator criminalis ab accusatione desistit, potest, imo debet judex ex officio inquirere, et procedere *arg. Cap. 1, et 2. h. t.* Quin imo si reus interveniente *collusione* per sententiam fuerit absolutus, potest denuo accusari, et inquiri contra illum, quatenus de collusione constet *arg. Cap. fin. h. t. leg. 3 § 1 de praevaricat.* Idque ea de ratione, *ne delicta maneant impunita,* ceu monet *Cap. 35 de sent. excommunicat.*, et *ne Reus ex sua malitia commodum reportet* contra *leg. 1.*[a] *ff. de dolo.*

Quin obstaculum ullum faciat sententia absolutoria judicis, quae crimen ita tollit, ac delet, ut de illo quaeri amplius haud possit. *Cap. de his 6 de accusat.* Siquidem sententia per collusionem lata invalida, et nulla penitus est, ac proinde haberi debet, veluti si lata non fuisset. *Leg. praeses. 5 Cod. de pignorib. et leg. 3 ff. h. t.*

In causis autem civilibus collusionem locum habere haud posse, nemo non videt, quandoquidem actor, et reus in hisce causis transigere inter se possunt. Limitandum tamen esset in causis ma-

trimonialibus, aliisque controversiis, quae in praejudicium tertii verterent. Verum hodie in causis istis remotum est periculum collusionis, imo in matrimonialibus minime adesse potest, cum ex *Constit. Bened. XIV Dei miseratione* defensor vinculi ex officio jugiter in his causis interveniat, atque adsistat.

TITULUS XXIII.

De delictis puerorum.

Actum est de delictis, eorumque respectivis poenis; at sicut aliquando dubitari potest, utrum etiam pueri possint esse rei talium delictorum, hinc merito praesens titulus a B. Raymundo heic annectitur.

Nomine puerorum hic veniunt impuberes, idest pueri, qui septennio majores nondum decimum quartum annum expleverunt, si masculi sunt, decimum secundum vero annum, si foeminae. Hi distinguuntur ab infantibus, qui sunt minores septennio completo, et distinguuntur a minoribus, qui adepti pubertatem nondum tamen vigesimum primum annum expleverunt juxta recentiorem computandi methodum.

Hisce positis quaeritur an, et quibus poenis subjiaceant infantes, pueri, et minorennes? Infantes nec civili, nec criminali poenae subsunt *leg. 12 ff. ad leg. Cornel. de Sicar., leg. 5 §. 2.*

ff. ad leg. Aquil. Et ratio est, quia infantes septimum annum haud egressi, ob defectum judicii non praesumuntur doli capaces. Ipsi comparantur amentibus, furiosis, et similibus usu rationis destitutis, ideoque juxta leges mox citatas contra eos criminaliter ad poenam infligendam procedi non potest. Nec refert quod in uno, vel altero casu malitia suppleat, ac praevertat aetatem. Id enim utpote raro contingens non est ad consequentiam pertrahendum.

Quid autem dicendum de pueris quoad delicta omissionis, et commissionis? Pueri ob delicta omissionis raro ad poenam tenentur *leg. 2. Cod. Si advers. delict.*, quia imprudentia potius, quam malitia actum debitum omisisse praesumuntur; nisi probetur dolum in omissione intervenisse. *Leg. 14. ff. de Sct.° Syllan.*

Quoad vero delicta commissionis v. g. furta, homicidia, et similia puniri possunt, et debent poena tamen mitiori, attenta non tam aetate, quam qualitate doli, et malitia. Ita *Cap. 1, h. t. leg. 14 ff. de Sct. Syllan:* nam pueri, quatenus sunt capaces doli, subsunt poenae, quatenus vero patiuntur defectum judicii, merentur remissionem majoris poenae, ceu tradit regula juris 108 ff. ubi legitur — *Fere in omnibus poenalibus judiciis, et aetati, et imprudentiae succuritur.*

Minorennes vero 25 annos haud egressi ob delicta commissionis puniri possunt poena ordinaria *leg. 9. § 2. leg. 37. §. 1. de Min.* Regulariter

tamen ob fragilitatem aetatis non solent ita puniri, nisi delicta fuerint gravissima, ut haeresis, simonia, veneficium. Ita Maschat *h. t. n. 2, et seq.*

TITULUS XXIV.

De Clerico venatore.

Hactenus egit Gregoriana Compilatio de delictis communibus tam Clericorum, quam laicorum; nunc autem agere incipit de peculiaribus ipsorum Clericorum delictis. Hinc a venatione exordium sumens praesentem subjicit titulum.

Venatio, de qua rubrica loquitur, non est venatio *oppressiva* hominum, sicut fuit illa *Nembroth* robusti venatoris, de quo *Genesi 10, Can. fin. in fin. Scholii dist. 6*, et quam illicitam esse nemo non videt; neque est venatio *arenaria,* seu pugna cum bestiis; sed est venatio sylvatica, seu *occupativa* ferae liberae, quae ad ferarum, et volucrum capturam ordinatur.

Porro hujusmodi venatio sylvatica, seu occupativa a DD. dividitur in *clamorosam,* et *quietam*. Prima fit magno armorum, et canum apparatu, non sine levi strepitu ad majores feras capiendas. Altera vero fit absque strepitu, vel cum laqueis, vel cum retibus, vel cum moderato armorum, et canum usu ordinato ad lepores, volucres, aliasque hujusmodi feras capiendas.

Hinc quando Concilium Tridentinum *Cap. 12, sess. 24, de Reformat.* illicitas prohibet venationes, inferri debet, ab ipso interdici non venationem *quietam*, quae plerumque fit necessitatis, aut honestae recreationis causa, sed illas solummodo interdici venationes, quae *clamorosae* dicuntur, praesertim si Clericus frequenter illis indulget ; et ratio est, quia talis venatio non convenit modestiae Clericali, cum vehementer distrahat, et avocet animos ab orationibus, et officiis Clericalibus.

Poenae veterum canonum, et praesertim illae, quas memorat *Cap. 1 et 2, h. t.* penitus abrogatae sunt; et solum hodie reservata est arbitrio Episcopi congrua punitio, ceu monet Bened. XIV de Synod. dioecesana *lib. 11, Cap. 10, n. 8 et 9.*

TITULUS XXV.

De Clerico percussore.

Sicut venatio, ita etiam percussio repugnat mansuetudini, lenitati, et modestiae Clericali. Hinc post illam merito B. Raymundus de hac altera recto ordine agit in praesenti titulo.

Omnibus Clericis praecipue in sacris ordinibus constitutis, prohibitum est percutere propria manu laicum, etsi delinquentem, quin referat eum esse fidelem, seu infidelem. Ad rem *Can. 1, et 7,*

dist. 45, — ibi — *Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles inique agentes dejici ab officio suo praecipimus*. Concinit Can. 25, dist. 86, — ibi — *Non licet Episcopo manibus suis aliquem caedere hoc enim alienum a Sacerdote esse debet. Et Cap. 1, h. t.* — ibi — *Si quis in aliquo gradu sacro percussor extiterit, corripiatur a crimine, et si se non emendaverit, deponatur*. Ratio est, quia percussio repugnat modestiae Clericali, uti superius innuimus, et adversatur mansuetudini Christi, quam clerici imitari debent. Hinc est, quod in *citat. can. Episcopum,* postquam percussio prohibita fuit, statim additur — *Quia nusquam nos docuit hoc Dominus. E contrario vero ipse cum percuteretur, non percutiebat: cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur non comminabatur.*

Verumtamen regula haec, licet perdat officium suum quoad Clericos praeceptores, et magistros, quibus permissum est inferiores, et sibi subditos etiam Clericos moderate percutere, id autem Episcopis haud unquam licet. Ipsi enim propriis manibus etiam correctionis gratia Clericum percutere haud possunt ad tramitem *cit. can. 25, dist. 86*. Quod adeo verum est, ut potius id committere debeant alteri, et quidem Clerico, non laico, secus tam Episcopus committens, quam laicus ex mandato percutiens forent excommunicati. Ita *Can. 25, dist. 86, et Cap. 24 de Senten. excomm.*, nisi

consuetudo legitime praescripta contrarium suaderet. *Pirhing. h. t. n. 1.*

Poena contra Clericum percussorem est, ut prima vice pro qualitate, et circumstantia percussionis arbitrio judicis relinquatur *Cap. 1 h. t.;* dein vero si Clericus non se emendaverit, sed facile passim ex indignatione subitanea ob leviores etiam defectus ad verbera procedat, deponi potest, ac debet.

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

Non solum manu percuti solet, sed etiam lingua, ceu assolent maledici. Hac de re priori titulo praesens illico a b. Raymundo subjicitur.

Sub nomine maledicti nihil aliud venit, nisi sermo malus, seu mala locutio de aliquo absque ulla justa causa; hinc qui ita male loquuntur, maledici vocantur.

Tres sunt species maledicti, quandoquidem vel mala loquutio dirigitur contra Deum, ejusque Sanctos, et nuncupatur *blasphemia*, vel contra hominem absentem, et dicitur *detractio*, vel denique contra hominem praesentem, et *contumelia* appellatur.

In *Cap. Innotuit 1. h. t.* agitur de Clerico, qui quaedam injuriosa verba in contemptum officii, et

dignitatis Papae protulerat coram aliis clericis. Romanus Pontifex Clemens III mandavit, ut clericus ille severam temeritatis suae poenam reportaret, idque ut poena illius aliis terrorem incuteret, ne imposterum contra Romanam Ecclesiam similia verba proferret; haud tamen certam ullam poenam designavit. Ex quo arguunt DD. eum, qui contra Summum Pontificem, Episcopum, ac Praelatum regularem, nec non Principem maledicta proferret, dignitatem, qua persona fulget, offendens, arbitraria poena juxta qualitatem delicti esse plectendum. Verum si injuria afficeretur solummodo persona, hoc in casu magis expediret, ut hujusmodi injuria remitteretur Christi mansuetudinem imitando ad tramitem *Can. 27, c. 3, q. 4.*

Antiquo jure Canonico, si clericus privatae personae maledixisset, debebat veniam postulare, secus usque ad satisfactionem suspendebatur, ceu tradit *Can. 5, dist. 6.* Verum hujusmodi poena in desuetudinem sensim, et sine sensu abiit venientibus annis, et ejus loco successit actio injuriarum, et palinodiae, seu retractationis, juxta *leg. 15 § 27, de jurejur.*

Ad hunc locum pertinet prohibitio *libelli famosi* cujus poena antiquitus erat, ut auctores excommunicarentur, et verberibus caederentur ad formam *Can. 1, et can. 2, caus. 5, q. 1.* His dein accesserunt Constitutiones S. Pii V. *incip. Romani Pontificis* 17 Mart. 1572 et Gregorii XIII *incip.*

sunt, quae adhibentur, ut Deus occultam veritatem manifestet, vel anceps consilium dirigat, seu sunt eae, per quas divina voluntas inquiritur. *Divinatoriae* tandem sunt, quae adhibentur ad occulta, vel futura contingentia cognoscenda, seu adhibentur ad cognoscendum aliquod futurum, vel occultum, quod naturaliter cognosci, ac determinari nequit.

Sortes divisoriae nihil mali secumferunt, ideoque uti licitae generaliter habentur, et antiquus est earum usus. Hinc inter haeredes, et socios hujusmodi sortilegium recte adhiberi potest, modo omnis prorsus superstitio exulet, vel modo circumstantia superstitiosa non accedat, seu modo eventus non expectetur a daemone, sed via ordinaria a Deo. Dixi generaliter, quia electio ad Praelaturas, et beneficia Ecclesiastica per sortes fieri nequit, cum electio personarum Ecclesiasticarum non debet sortibus, seu caeca fortuna fieri, sed ex delectu, et juxta majorem capacitatem, secus vergeret in damnum Ecclesiae, ceu monet *Cap. fin. h. t. et Cap. 42. de Elect.*

Sortes *consultoriae* regulariter uti illicitae habendae sunt ad monitum *can. 7 sortes 26, quaestio 5.* Nam per illas Deus tentatur, et sortilegi exponunt se periculo, ne Deo permittente a diabolo decipiantur. Si tamen fiant ex levitate, curiositate, et vanitate absque ullo commercio cum daemone, et sine fide quasi veritas per Deum hoc modo manifestaretur, saltem sunt peccata venia-

lia, quatenus sortilegi sine ulla urgenti causa Dei providentiam hisce sortibus alligare velint. *Limita* tamen nisi sortes istae ex speciali Divino instinctu adhibeantur juxta exemplum Apostolorum in electione S. Mathiae.

Sortes denique *divinatoriae* graviter illicitae sunt, non tantum quando fiunt per expressam invocationem daemonis, sed etiam per verba, scripturam, aut alia signa nullam connexionem cum re occulta, et eventu futuro habentia. *Can. 6, et sequen. 26, quaest. 5, et cap. 1, h. t.* Nam in sortibus istis saltem tacite daemon colitur tamquam Deus, et revelator occultorum.

TITULUS XXII.

De collusione detegenda.

Cum et collusionis crimen affine sit crimini falsi, eo quod falsitatem aliquam in se continet, et falsi speciem habet; colludere enim in jure dicitur, qui aliud agit, et aliud simulat, hinc non immerito a B. Raymundo praesens titulus praecedentibus adjicitur.

Quaeritur itaque quid sit collusio, inter quos, et quibus in causis committi possit. Collusio communiter definitur — *latens et fraudolenta conventio inter actorem, et reum in praejudicium justitiae, vel inter defensores, seu patronos causae.* Ipsa praecipue locum habet in causis benefi-

Ea est rerum 1 Septemb. 1572, in quibus libelli famosi auctores gravissimis poenis, et praesertim infamiae ipso facto incurrendae subjiciuntur. In *cap. 2, h. t.* agitur de blasphemia, et ibi Gregorius IX statuit, ut si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum maxime contra B. Virginem blasphemiam publice dicere praesumpserit 1.° poenitentiam publicam per septem hebdomadas. 2.° Si eam amplecti noluerit, interdiceretur ab ingressu Ecclesiae, et privaretur sepulturae Ecclesiasticae honore. 3.° Puniretur multa pecuniaria. Si vero fuerint Clerici deponerentur juxta *Can. 22, q. 1.*

His vero obsoletis successerunt poenae statutae a Leone XI, Julio III et S. Pio V. Verumtamen annorum fuga cum et istae amplius haud observarentur, poenae arbitrariae pro qualitate blasphemiarum, et personarum successerunt.

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

Unum ex gravibus Clericorum delictis est, si censuras ab eis incursas violant, idest si in *excommunicatione, suspensione*, vel *interdicto* existentes aliquem actum ordinis suscepti exercere attentaverint. Hinc B. Raymundus, licet in prioribus titulis egerit de variis delictis, propter quae

Clerici interdum excommunicantur, vel suspenduntur, vel interdicuntur, atque interdum etiam deponuntur, merito nunc praesentem addit titulum, quia quandoque contingere solet, ut Clerici isti depositi, excommunicati, suspensi, vel interdicti celebrent, et divinis officiis se ingerant, prout antea peragebant.

Antequam vero de poenis, quibus hujusmodi Clerici subsunt, loquamur, haud inutile, et superfluum erit, heic obiter praenotare, quod sub verbo *deposito* in superiori rubrica adhibito comprehendatur etiam, et subintelligatur verbum *suspenso*, ceu notat auctor Huth inquiens — *Dum erit innodatus excommunicatione, suspensione* (quae hic convenit cum depositione).

Hoc raptim praenotato quaeritur, quaenam sit poena Clerici depositi, qui ministrat, et exercet actum ordinis, vel officii, a quo dejectus fuit? Resp. Clericus depositus, sive verbaliter degradatus, idest perpetuo remotus ab ordinibus, et gradibus Ecclesiasticis propter crimen, si celebrare audeat, vel actum ordinis, aut officii, a quo est depositus, exercere, vel in eo ministrare attentet, excommunicari debet ad tramitem *Cap. Si quis Episcopus 1, et Cap. seq. h. t.* Quod si inde non resipiscat, sed imo incorrigibilis extiterit, invocato brachio saeculari poenis temporalibus, et praesertim exilio est multandus. *Ita Cap. 2, h. t. et Cap. 1 de Off. jud. ord., et Can. 19, caus. 2, q. 1.* Notandum tamen hic est, quod nonnulli DD.

et Canonistae exigunt, ut praecedere debeat monitio.

Quid autem dicendum de Clerico, qui censura Ecclesiastica insuper habita; idest si innodatus excommunicatione, vel suspensione, aut interdicto se se sacris ministeriis ingerit, et actum ordinis sui exercet? Resp. Ab hujusmodi Clerico triplex incurritur poena; scilicet: 1.° Depósitio ab officio, et beneficio Ecclesiastico inferenda per sententiam judicis, nulla monitione praemissa. *Cap. 3, h. t.* Quin obstet quod in *cit. cap. 3* dicitur — *Nisi moniti sine dilatione resipiscant;* quandoquidem per hunc textum non plus indicatur, quam quod Episcopus possit, si velit, prius monere reum, eique si monitus statim se emendet, ex gratia dispensationis hanc *depositionis* poenam remittere. Ita Reiffenstuel *h. t. n. 3.* Pirhing *eod. n. 5.* 2.° Privatio omnium beneficiorum juxta *Cap. 6, h. t.* et quidem ipso jure, prout colligitur ex *Cap. cit. V. spoliare*, quod sententiae jure latae executionem denotat. 3.° Ipso facto, et ipso jure irregularitatis poena. *Cap. 9 h. t. Cap. 1 § fin. de sent. et re jud.* Ut autem hujusmodi irregularitas incurratur, sequentes requiruntur conditiones. *Prima* est, ut verum, ac proprium actum Ordinis jam suscepti exerceat, cujusmodi est celebratio Missae, collatio Sacramenti Ordinis, Confirmationis, administratio extremae Unctionis etc., quia etsi *Censuratus* graviter peccet, tamen irregularitatem non incurrit exercendo solum actus jurisdictionis: qualis

v. g. est Dispensatio in votis, Juramentis, absolutio a Censuris, si fit absque stola, et aliis caeremoniis: praedicatio verbi Dei, adsistentia matrimonii; quia omnes hi actus Ordinis non sunt.

Secunda conditio est ad contrahendam praefatam irregularitatem requisita, ut Censuratus temere, et culpabiliter exerceat verum, seu proprium aliquem actum Ordinis. Ratio est, quia haec irregularitas est imposita in poenam culpae, seu peccati cum temeritate conjuncti. *Can. Si quis Episcopus 6, caus. 11, q. 3, Cap. Cum medicinalis § fin. de Sent. excomm. in 6, Cap. Latores 4, h. t.*

Et optimo sane jure; scitissimum enim est, poenam hanc incurri haud posse, ubi nulla culpa reperitur. Hinc sequitur 1.° eos, qui invincibiliter ignorant se esse *excommunicatos, suspensos,* vel *interdictos* non incurrere hanc irregularitatem, quia ignorantia invincibilis, et probabilis, non item crassa, et supina excusat a culpa. 2.° Sequitur non fieri irregularem etiam illum *Censuratum,* qui extrema urgente necessitate v. g. in articulo mortis aliquem absolvit, casu quo alius Sacerdos a Censura immunis haberi nequit: notum enim est, quod in articulo mortis quivis *Censuratus* valide, et licite absolvit *in vim Concilii Tridentini sess. 14, Cap. 7.* Sequitur 3.° illum quoque immunem esse ab hac irregularitate, qui in *Censura* existens ad vitandum grave scandalum, vel ad vitandam infamiam exer-

cet actum Ordinis, prout contingere potest, si quis ob delictum occultum excommunicatus existens manifestationem delicti, indeque infamiam sui induceret, si actum aliquem Ordinis exercere omitteret. 4.° Sequitur nec illum irregularitati subjacere, qui in *Censura* existens exercet Ordinis actum casu, quo sententia *Censurae* contra se latae evidenter est nulla. Ratio est, quia universaliter loquendo *non debet is poenam Canonicam substinere, in cujus damnationem non est Canonica pro lata sententia.* Et sicut hujusmodi nulla sententia *caret juris effectu, sic auctoritate, et nomine rei careat judicatae, ut nec in opinione communi, aut vulgi labiis nomen habere mereatur sententiae,* ut dicitur *Clem. 2, § Ut igitur de Sentent. et re judic.*, cui concordat *lex Si se 4, § Condemnatum ff. de re judic. Ita Reiffenstuel h. t. n. 6, et sequen.* Sequitur 5.° non fieri irregularem eum, qui in dubio existens, an *Censura* lata sit, exercet actum Ordinis, peracta prius sufficienti veritatis inquisitione. Et ratio est, quia hic temere non violat *Censuram*, licet ad cautelam absolvi debeat ad tramitem *Cap. 5 h. t.* At si in dubio existit, an *Censura* sit valida, vel invalida, debet se gerere pro censurato, et sub poena irregularitatis nequit exercere actum Ordinis. Ita ex *Cap. 5 h. t.*, ex *Cap. 40 de Senten. excomm.* Idque ea de causa, quia sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit est timenda. *Can. 1, sentent. 11,*

q. 3. Nec prodest appellatio, quia ista non parit effectum suspensivum, sed devolutivum.

Post haec oritur quaestio, utrum nempe hujusmodi irregularitatem contrahant etiam Clerici in Minoribus constituti, si et ipsi Censura innodati exerceant Ordinem proprium? Resp. In hoc puncto non conveniunt inter se DD. et Canonistae; alii enim innixi *Cap. 1, et Cap. 20 de Senten. excom.* negativam tenent sententiam; alii vero affirmativam tuentur, ut *Pirhing, et Reiffenstuel h. t.* Verum quidquid sit de veteribus Canonibus, illud hodie certum est, quod contrahant, idque patet ex *Constit. Sixti V incip. Sanctum, et ex praxi S. Poenitent. et S. Congr. Concili,* nec non ex epistola Encyclica Bened. XIV diei 3 Decembris 1749 ad Poenitentiarios, et Confessarios Urbis pro anno sancto §. 4, ubi legitur — *Quibus data est facultas dispensandi cum sacerdotibus, aut in sacris Ordinibus constitutis super occulta irregularitate ob violationem censurarum* (nequaquam vetitum est) *quominus eadem facultate utantur cum Clericis, qui in minoribus Ordinibus sunt constituti.*

Sed quaenam tandem est poena illius, qui celebrat divina officia in loco interdicto? Resp. distinguendum est: aut qui talia peragunt sunt Clerici saeculares, aut sunt regulares; si sunt Clerici saeculares, privantur suis beneficiis, si vero regulares detruduntur in arctius monasterium. *Ita ex Cap. 7 h. t.* Hic ad rem facit, quod legitur

in Const. *Apostolicae Sedis* sub numero 2; quoad interdicta — ibi — *Scienter celebrantes, vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel a delegato judice, vel a jure interdictis... interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cujus sententiam contempserunt competenter satisfecerint.*

TITULUS XXVIII

De Clerico non ordinato ministrante.

Inter alia Clericorum delicta, illud etiam haud leve recensetur, si Clericus exerceat ordinem, quem non habet. Hinc post praecedentem titulum de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante, merito B. Raymundus praesentem subjicit.

Clericus non ordinatus ille est, qui vel ordinem, in quo ministrat, non suscepit, vel si suscepit, illum invalide omnino suscepit, eo quod substantialiter peccatum fuit vel in forma, vel in materia, vel in intentione.

Hoc breviter praejacto, quaeri potest quaenam sit poena Clerici ministrantis in Ordine non suscepto. Resp: triplex a jure poena statuitur; scilicet 1.° Poena excommunicationis ferendae sententiae *Cap. 1 h. t.* 2.° Poena suspensionis ad biennium, vel triennium ab exercitio Ordinis non

cujuscumque (nam dispositio *Cap. fin. h. t.* ubi suspensio ista statuitur, poenalis est, consequenter ad Ordines non expressos haud porrigenda) sed ab exercitio Ordinis proxime, seu ultimo suscepti, in quo temere ministrare praesumpsit *Cap. 2 h. t.*
3.° Irregularitas, quae est partialis, idest non potest promoveri ad ordines superiores *Cap. 1 h. t.*; at si durante suspensione biennali, vel triennali exercuerit actus ordinis, a quo suspensus fuit, tunc totaliter, ac plene irregularis evadet. Haec autem irregularitas, ut incurratur requiritur, ut Clericus dolo, scilicet serio scienter, et temere exerceat ordinem, quo non est insignitus. *Cit. Cap. 1 h. t.* — ibi — *Propter temeritatem.*

Easdem vero poenas innovavit, et insuper novas statuit post Gregorium XIII, et Sixtum V, Clemens VIII *Constit.* Incip. *Etsi alias,* et Urbanus VIII *Constit.* incip. *Apostolatus,* qui decrevit poenis a Clemente statutis procedi posse contra omnes praesumentes Missas celebrare, et sacramentales confessiones audire, dummodo vigesimum aetatis annum compleverint.

Quibus omnibus accessit Benedictus XIV, qui in sua *Constit.* incip. *Sacerdos in aeternum* diei 20 Aprilis 1744 poenas easdem renovavit contra Clericos non Presbyteros Missam celebrantes, et sacramentales confessiones audientes, scilicet ut rite degradentur ab ordinibus Ecclesiasticis, statimque tradantur Curiae saeculari debite puniendos, quin eis suffragetur privilegium aeta-

tis minoris 25 annorum, modo expleverint annum vigesimum. Cum autem eo tempore, quo a Benedicto XIV edita fuit praefata Constitutio, abusus hujusmodi forsan crevissent, praedictarum Constitutionum rigorem auxit decernens 1.° Extrajudiciales Episcopi literas admitti ad probandum reum non fuisse ad Sacerdotium promotum. 2.° Sufficere, ut partem tantum Missae celebrare praesumpserint, dummodo elevationem hostiae, et calicis peregerint. Quoad eos vero, qui sacramentales confessiones audiverint, etsi absolutionem haud impertiverint, nulla exceptione juvari posse decrevit, sed poenam tantum mitigari aliquantulum, probato sufficienter facto absolutionis non impertitae. Altera vero *Constit.* incip. *Divinarum* 2 Augusti 1757 praelaudatus Pontifex decrevit praedictis reis non amplius confessionem judici factam de crimine patrato suffragari.

Haec de Clerico; quid autem dicendum de laico qui exercere auderet actum ordinis, praesertim majoris, exempli gratia celebrando missam, vel sacramentales confessiones excipiendo? Fatendum omnino est, quod laicus iste Missam celebrans, vel confessionem sacramentalem audiens, committat peccatum, et sacrilegium gravissimum, dum divinis sacramentis illudit, et fidelibus per falsitatem purum panem cum vino, loco veri corporis, et sanguinis Christi adorandum proponit, nec minus talis laicus decipit fideles, qui ipsi peccata sua aperiunt, putantes eum esse sacerdotem, nam

existimant se obtinere remissionem peccatorum suorum, quam tamen per absolutionem a tali homine factam, ob defectum ordinum, et jurisdictionis obtinere nequeunt. Hinc merito ab Inquisitoribus, et locorum Ordinariis, tamquam idolatriae, et gravissimi *falsi* rei omni misericordia indigni judicari, et curiae saeculari debitis poenis afficiendi tradi possunt, et debent, juxta superius citatas Constitutiones. *Ita Schmalzgrueber h. t. n. 24.*

At praeter hoc incurrit ne etiam irregularitatem? Non concordant in hoc DD. et Canonistae. Nonnulli enim affirmant: 1.° Quia laicus ordinum officium temere usurpando, aeque, imo gravius delinquit, quam clericus ad divina per primam tonsuram jam deputatus. 2.° Quia *Cap. 1 h. t.* irregularis esse non pronunciatur non ordinatus ministrans indistincte, et nullo facto discrimine, an clericus ille sit, an vero laicus. 3.° Quia per *Constit.* Clemen VIII superius citatam a foro Ecclesiae abjici, et ab ordinibus, si quos habuerint, degradari, curiaeque saeculari tradi jubentur generaliter omnes non Presbyteri, qui missam celebrare, aut sacramentalem confessionem audire praesumpserint: alii vero negant irregularitatem tali casu a laico incurri, quia irregularitas non contrahitur, nisi in casibus jure expressis; atqui nullo jure expressum satis invenitur, quod talis laicus irregularitatem incurrat, imo istum dispositione juris statuentis irregularitatis poenam mi-

nistranti in ordine non suscepto, non incurrere satis clare indicat rubrica praesentis tituli, quae loquitur de solo clerico non ordinato ministrante. Ita cit. Auctor *n. 22, et 23.*

Posito itaque quod irregularitas incurratur per usum temerarium ordinum non susceptorum, quis ab ea dispensare poterit, et potestatem concedere suscipiendi Ordines? Resp. distinguendum est inter jus antiquum, et jus novum a Concilio Tridentino introductum. *Jure antiquo* decretalium dispensare poterat solus Pontifex, ceu patet ex *Cap. Cum aeterni 1, vers. sciturus de Sent. et re jud. in 6.* Jure vero novo Tridentini *sess. 24, cap. 6, de Reformat.* dispensare poterit etiam Episcopus in hoc delicto, dummodo adhuc occultum fuerit. Ita Reiffenstuel *h. t. n. 16,* aliique.

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

Circa ordines etiam delinquunt qui uno, vel pluribus ordinibus praetermissis, ad superiorem ascendunt. Hac de re B. Raymundus praesentem annectit titulum.

Ordinum susceptio est ordinatio gradatim facienda: nam sicut natura, ita et Ecclesia voluit, ut a minimis initium caperetur, et ab inferioribus ordinibus per sequentes ordines transitus ad or-

dinem supremum fieret. *Can. unic. dist. 52, can. si officia 2, et can. fin. dist. 59, juncto Concil. Tridentin. sess. 23. can. 2, et cap. 11, de Reform.*

Qui igitur praetermissis inferioribus ordinibus, superiores recepit, iste dicitur *promotus per saltum*. Quaeritur igitur 1.° utrum hujusmodi ordinatio *per saltum* non solum illicita, sed et invalida dici debeat. 2.° An et quae poenae incurrantur, si scienter id fiat?

Ad primam quaestionem respondemus, hujusmodi ordinationem quamvis illicitam validam esse, excepto uno casu ordinationis, nempe quando quis a diaconato, presbyterato non suscepto, Episcopus ordinatur. Episcopatus enim cum sit complementum, et perfectio sacerdotii, essentialiter supponit presbyteratum. Hinc sacerdotio non collato, Episcopatus non valet. Ita ex *Cap. 10 de excessibus Praelatorum in fin. et glossa in cap. unic. h. t. v. de misericordia*. Quod autem collatio ordinis superioris, non suscepto ordine inferiore, valida sit, id ex eo probatur, quod quaelibet ordinatio tum ratione ritus, tum ratione deputationis ad aliquod ministerium integra est, et per se sufficiens. *Can. unic. 32,* et supponitur in *Cap. unic. h. t.* ubi cum quidam susceperit ordinem Sacerdotii, praetermisso Diaconatu, et cum praeceptum non fuerit repetere Sacerdotium, sed suscipere ordinem, qui omissus fuit, patet, quod collatio ordinis Superioris fuit valida. Quod autem sit illicita ex eo probatur, quia principium est sacrorum Canonum,

quod quis ad ordinationem gradatim procedere debet, scilicet inferioribus ordinibus receptis ad superiores ascendere.

Quoad autem secundam quaestionem respondemus: quod quamvis aliqui existiment, taliter promotum esse absolute irregularem, magis tamen inter DD. convenit, esse tantum ipso jure suspensum, et quidem solummodo quoad illum ordinem per saltum susceptum, irregularem autem tunc primum fieri, cum in hoc ordine suscepto, vel in illo, quem suscipere omisit, ministraverit. Idque verum est, sive in eo ministret ante eum susceptum, sive post susceptum,si hoc faciat absque legitima Episcopi dispensatione. Si enim ministravit ante, fit irregularis tamquam ministrans in ordine, quem non habet, ceu superius vidimus, si post illum susceptum, itidem fit irregularis, quia cum suspensus sit a receptione ordinis praetermissi, postquam illum sine dispensatione suscepit, manet adhuc suspensus ab ejus executione; ergo si cum illa censura ministrat, fit irregularis. Ita Barbosa *in Collect. DD. ad cap. unic. h. t.* Et Schmalzgrueber *h. t. n. 5.*

Dixi *sine legitima dispensatione,* quia Concilium Tridentium *sess. 23, cap. 14* Episcopo potestatem concedit dispensandi in *suspensione* cum promotis per saltum, si in ordine sic suscepto non ministraverint.

TITULUS XXX.

De eo, qui furtive ordinem suscepit.

Delinquunt etiam circa ordines illi, qui sine consensu, et licentia proprii Episcopi, et sine praevio examine, dolose se ordinandis immiscentes ordines recipiunt. Et quoniam hoc praecipue faciunt, qui per *saltum* ordinantur, hinc recto ordine B. Raymundus hunc titulum praecedenti adjunxit.

Tria in hoc titulo praecipue quaerenda sunt. 1.° Quinam dicuntur *furtive* suscipere ordines? 2.° An hujusmodi *furtiva* ordinatio sit valida, et licita? 3.° Quaenam poenae statutae sint contra furtive suscipientes ordines?

Ad primam quaestionem respondemus, eos dici *furtive* suscipere ordinés, qui vel in examine reprobati, vel sine praevio examine, simulque sine consensu, et licentia proprii Ordinarii dolose se ingerunt caeteris ordinandis, *Can. Quando 5, dist. 4, Can. Extra 5, dist. 64*, vel qui eadem die duos sacros ordines suscipiunt sine requisita licentia. *Cap. 1 et 2, h. t.*

Ad secundam vero quaestionem dicimus, quod quamvis certum sit, *furtive* suscipientes ordinem graviter peccare, utpote praeceptum Ecclesiae in gravi materia transgredientes, tamen ordinatio valida est. Idque patet ex *cap. 1, h. t.* ubi cum

non jubeatur *furtive* ordinatum iterum ordinari, imo non sublata censura, quam incurrit, permittatur ministrare; manifestum apparet, ordinem *furtive* susceptum valere, ideoque sequitur, ordinationem in hoc casu validam esse, quamvis illicitam.

Verum hic haud levis exurgit quaestio, scilicet utrum ordo *furtive* susceptus etiam valeat, si Episcopus ordinans, sive per se, sive per alium declarationem praemisit, *se non intendere ordinare non approbatos in examine*, vel censura ligatos.

Resp. Consultum non est, ut Episcopi protestationem, et intentionem praemittant, tales, vel tales non ordinandi, tum quia hoc non est conforme ritibus, et praxi Ecclesiae universalis, tum quia secum trahit gravissima incommoda, et pericula, quae ex dubia, et irrita ordinatione oriuntur, nihilominus, si constaret de hac intentione non ordinandi eos, certum est valore destitui hujusmodi ordinationem. Quin dici valeat, hujusmodi protestationes ab Ordinariis adjectas praesumi potius animo perterrendi sic volentes furtive ordinari, quam animo non ordinandi, quoniam si Episcopus contrarium non manifestat verbis censetur in dubio, eum talem intentionem habuisse *arg. legis Labeo 7,* § *Servius 2 ff. de suppellectil. leg.* — ibi — *Nemo existimandus est dixisse, quod mente non agitaverit, et Leg. Generaliter 13 Cod. de non numerata pecunia* — ibi — *Nimis enim indignum judicamus, quod sua*

quisque voce dilucide protestatus est, id in eumdem casum infirmare, testimonioque proprio resistere. Hinc ordinatio effectu vacua foret, ceu saepius tradidit S. Concilii Congregatio in variis resolutionibus, et praesertim in *Congreg. diei 13 Feb. 1682.*

Ad tertiam tandem quaestionem respondemus poenas statutas contra eos, qui furtive ordines suscipiunt, sequentes esse, videlicet 1.° Suspensio ab ordinibus sic susceptis *Cap. fin. h. t.* 2.° Suspensio, ne ascendant ad altiores ordines *Cap. 1 h. t.*, non tamen irregularitas; quia quidquid dicunt alii, id clare non colligitur ex *cit. cap. 1.* Illud vero notandum, quod si per accidens Episcopus sub excommunicatione prohibuit furtivam ordinationem, tunc hoc in casu ita ordinati, utpote excommunicati exercere nequeunt ordines antea rite susceptos. Ita Maschat *h. t., n. 2.*

Verum adsunt ne causae excusantes ab hac suspensione? Respondent DD. et Canonistae, quod excusant nedum *ignorantia,* et *vis,* sed et *metus gravis,* ac *justus,* eo quod causae istae excusant a poenis, et suspensio in themate imponitur tamquam poena. Ita Schmalzgrueber *h. t. n. 10 et 11.*

Posito autem, quod ob furtivam ordinationem ordinum susceptionem incurrantur poenae supradictae, quia nulla causa excusans praesto sit, quis eas relaxare, seu dispensare potest? Resp. distinguendo: vel talis susceptio antecedenter prohibita fuit sub excommunicatione, vel non. Si pro-

hibita non fuit sub poena excommunicationis, tunc Episcopum cum sic ordinato dispensare posse tradunt *Cap. 1 et 2 h. t.,* Pirhing. *h. t., n. 5 et 7,* Reiffenstuel *eod. tit. n. 12.* Si vero prohibita fuit cum excommunicatione, tum iterum distinguendum est: vel sic ordinatus intrat in religionem, vel manet in saeculo; si intrat, et ibi laudabiliter aliquandiu vivat, tunc dispensare potest Episcopus, vel Abbas illius: si vero manet in saeculo, tunc soli Romano Pontifici dispensationem competere superallegati textus tradunt, dummodo delictum non fuerit *occultum.* Hoc enim in casu Episcopum dispensare posse luculenter perhibet Concilium Tridentinum *sess. 24, cap. 6.*

TITULUS XXXI.

De excessibus Praelatorum, et subditorum.

Cum B. Raymundus de variis excessibus tam Praelatorum, quam subditorum generaliter hactenus egerit, expediebat, ut specialiter tractaret de excessibus Praelatorum in subditos, et subditorum in Praelatos. Hac de re nunc praesentem subjicit titulum.

Verum si de cunctis, quae ad hanc rubricam reduci possent, agere deberemus, titulus hic amplissimus foret, eo quod quaevis transgressio legis a Praelato, vel subdito facta *excessus* Praelati,

vel subditi est, et dici potest. Quare ad evitandam superfluam, et fastidiosam prolixitatem, vestigiis aliorum inhaerentes eos dumtaxat *excessus* in medium proferemus, qui in hoc titulo specialiter allegantur, et alibi non examinantur.

Possunt itaque Episcopi delinquere 1.° si subditos gravant indebitis, et iniquis exactionibus, vel censuris vexent injuste illatis, vel Clericos ita viliter, et inhoneste tractant, ut ipsos laicis despicabiles reddant, veluti si essent viles, et indignae personae, prouti habetur in *cit. cap. 1, h. t.*, pro quo excessu Papa gravem minatur poenam *loc. cit.* his verbis — *Scituri pro certo, quod si rumores iterum ad aures nostras pervenerint, pro tantis excessibus vos taliter puniemus, quod timore poenae vestrae caeteri a similibus abstineant.* Huc quadrat etiam illud *can. Esto subjectus 7. dist. 95,* — ibi — *Esto subjectus Pontifici tuo quasi animae parentem suscipe: sed Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos, honorent clericos, quasi clericos, ut, et ipsis a clericis, quasi Episcopis honor referatur.* 2.° Si quid imperent inferioribus contra eorum privilegia *cap. 5, et 6, h. t.* 3.° Si jura inferiorum imminuant, aut Ecclesias ipsis subjectas liberent a subjectione. *Cap. 2, h. t.* 4.° Si Ecclesias, et beneficia Ecclesiastica indignis conferant. *Cap. 11. h. t.* 5.° Si Sacerdotes sibi subjectos cogant ad revelanda peccata. *Cap. 13. h. t.* 6.° Si gravamina religiosis inferant aliquid praecipiendo, interdicendo, aut prohibendo contra

tenorem privilegiorum suorum, et aliis gravaminibus eos onerando, quae numerantur in *Cap. 16, 17, h. t. et in Clem. unic.* ubi injungitur gravibus verbis, ne Episcopi invadant provinciam regularium exemptorum etc.

Sed non modo Episcopi, verum etiam et Praelati inferiores possunt excedere limites propriae potestatis 1.° Si absque consensu Episcopi, et propria auctoritate uniant Ecclesias sibi subjectas, *Cap. Sicut 8, h. t.,* vel nova aedificent monasteria. *Concil. Trid. sess. 25, de Regul. cap. 3.* 2.° Si cognoscant causas matrimoniales, quae videri possunt a solo Episcopo, vel Praelato Nullius, qui jurisdictione quasi Episcopali gaudeat. 3.° Si imponant poenitentias publicas concedendo indulgentias. *Cap. 12, h. t.* Haec enim ad solum Episcopum pertinent, et Praelati inferiores absque peculiari privilegio peragere nequeunt.

Haec pertinent ad excessus Episcoporum, et Praelatorum inferiorum; nunc pauca de excessibus subditorum in Praelatos, seu superiores suos. Delinquunt ipsi 1.° Si violant interdicta ab Episcopis lata, quod verificatur etiam de Episcopis ipsis relate ad Papam, prouti constat ex *cap. Tanta 18, et ult. h. t.* 2.° Si in collegium, seu societatem publicam se constituere attendant, commune sigillum, et alia collegii jura usurpando, ceu docet *cap. 14, h. t.* 3.° Si mutent sibi causam possessionis, uti esset si vicarius sibi arrogaret titulum rectoris principalis, qua de re uti perjurius, et

infamis a suo officio amovendus est, prout habetur in *cap. 6, h. t.* 4.° Si clerici subditi negant Episcopum esse dominum, seu pastorem suum, et in causa spirituali eum trahunt ad judicem saecularem, vel consilium praebent adversariis ejusdem contra ipsum Episcopum, ex quo excessu deponendi sunt, et officiis, atque beneficiis privandi, prout eruitur ex *cap. Gravamina 15, h. t.*

Caeteros alios excessus subditorum hic recensere abstinemus, eo quod eos, poenasque ipsis impositas passim in jure reperies.

TITULUS XXXII.

De novi operis nunciatione.

Sicut in profanis jure civili nunciari potest novum opus, ita etiam in Ecclesiasticis de jure canonico id contingere potest, si una Ecclesia ex g. in praejudicium alterius novum aedificium erigere vellet. Hac de re B. Raymundus inter excessus Praelatorum etiam istud recenset praesentem titulum subnectens.

Nunciatio novi operis in re nostra nihil aliud est, nisi prohibitio aedificandi novam aliquam Ecclesiam in damnum, et praejudicium Ecclesiae jam existentis. Damnum hoc, et praejudicium multiplicis generis esse potest, quandoquidem Ecclesia jam existens potest timere praejudicium ab

altera aedificanda ob propinquitatem aedificii, sive quia nova Ecclesia occupat fundum alterius, sive quia jurisdictio prioris intervertitur, sive quia pati potest prior Ecclesia imminutionem in illis oblationibus fideles Ecclesiae offerre solent. *Cap. 1, et 2, h. t.*

Effectus nunciationis, quas est, ut qui novum opus aggreditur, debeat illico ab aedificando desistere, secus probata justitia nunciationis, suis expensis tenetur demolire, quod inde constructum est.

Quare totum id quod a legibus civilibus praescribitur, observatur etiam ab Ecclesia; siquidem sacri canones non dedignantur leges civiles in hac re imitari. Unde inferunt Doctores, et Canonistae principium illud — Jus Canonicum, et civile invicem opitulantur, et quod in uno jure desideratur, debet per aliud suppleri. *Ita Cap. 1, h. t.*

TITULUS XXXIII.

De privilegiis et excessibus privilegiatorum.

Actum est supra de excessibus Praelatorum, et subditorum; at sicut quandoque accidit, ut subditi delinquant abutendo privilegiis suis et excedendo terminos eorum, imo saepius etiam dubitetur de intellectu ipsorum privilegiorum, hinc B. Raymundus praesentem titulum subnectit.

Amplissima est materies privilegiorum ; at nos, ne praelectionum cancellos transgrediamur, pauca de ipsis proferemus.

Privilegium est jus, vel indultum singulare in certae personae, aut causae gratiam a Superiore constitutum. Privilegium hoc licet in se spectatum distinguatur a lege communi, quod haec communiter pro omnibus lata sit, ipsum autem certarum tantum personarum favorem respiciat, nihil tamen impedit, quominus lege communi privilegium contineatur, imo aliquando etiam valde utile est, ut sic tale privilegium ab omnibus aliis sciatur, et personis privilegiatis servetur, et ab ejus usu non impediantur.

Privilegia multiplicis generis sunt; alia enim sunt *clausa* in *corpore juris,* alia dantur *per speciale rescriptum* Principis. Prima dicuntur ea, quae inter alias leges corpori juris inserta leguntur, prouti sunt privilegia Ecclesiarum, et Ecclesiasticorum, quae habentur passim tum in jure Canonico, tum etiam in jure Civili, ceu patet ex *tit. Cod. de SS. Eccl. et C. de Epis. et Cler.* Prioris generis privilegia judex non debet ignorare, et si aliquid contra ipsa, vel injungat, vel decernat, nullitati subjacet, et privilegiatus parere non tenetur. *Cap. 5, et 7 de Excessibus Praelatorum.* Praeter haec ordinarie ipsa in vim benignae interpretationis ad casus similes extenduntur.

Privilegia vero secundi generis, idest ea, quae ex speciali Principis rescripto conceduntur, a ju-

dice ignorari possunt, imo praesumuntur, quippe quia considerantur tamquam facta particularia; hinc nisi ipsa ostendantur, judex non tenetur revereri, ceu docet *Cap. 7 h. t. in 6*. Praeterea strictae subjiciuntur interpretationi, nec extendi valent ad casus, vel personas non expressas.

Dividuntur insuper privilegia in *realia*, *personalia*, *et mixta. Leg. Privilegia 196, ff. de Regulis juris. Realia* dicuntur, quae directe, et principaliter conceduntur respectu rei, loci, muneris, vel dignitatis, in consequentiam autem personis, quae talem locum, rem, vel officium habent, et cum hujusmodi privilegia cohaereant rei, dignitati etc., transeunt ad quoscumque successores, et possessores. *Personalia* autem sunt ea, quae principaliter personae sine contemplatione rei conceduntur, et propterea etiam personam sequuntur, et cum persona extinguuntur, ceu tradunt *cit. lex Privilegia, et Cap. Privilegium 7 de Regulis juris in 6. Mixta* autem sunt ea, quae de utroque participant, et morali corpori, aut collegio personarum, seu communitati conceduntur, quaeque proinde non cessant, deficientibus membris, sed ad successores etiam transeunt.

Viso quid, et quotuplex sit privilegium, videamus nunc quomodo ipsa acquirantur, et quomodo cessant, seu amittantur.

Primus acquirendi modus est ipsa actualis concessio Superioris, ad quam juxta communem DD. sententiam non requiritur scriptura, sed etiam

oretenus, seu *vivae vocis oraculo* facta subsistit ad tramitem textus *in Clem. 2, dubium § Nos etenim, et ibi Gloss. in verbo de sepulturis. Extrav. etsi Dominici 3 de poenit. et remiss.* De stilo tamen Curiae Romanae, et ex regulis Cancelleriae Apostol. gratiae ante expeditionem literarum dicuntur *informes,* et nulli suffragantur dispensationes in judicio, vel extra, antequam super iis literae Apostolicae fuerint confectae, quia quod Summus Pontifex in signatura ad libellum supplicantis simpliciter per verbum *fiat* concedit, id deinde primum in literis Apostolicis cum certis clausulis extenditur, vel limitatur. Ita *Reg. Canc. 25 de Non judicando juxta formam supplicationis, sed literarum expeditarum, et reg. 53 Ut nulli suffragetur dispensatio nisi literis confectis.*

Utrum autem saltem in foro conscientiae uti liceat dispensatione, vel gratia ante literarum expeditionem dubitatur? Negativa videtur verior nonnullis, eo quod a tempore Pii V in illa regula addita fuerint verba, *in judicio, vel extra cuiquam suffragetur.* Altera tamen affirmativa nonnullis aliis non est improbabilis, quia gratia quoad suam substatiam (licet non quoad omnes qualitates) dicitur perfecta per solam signaturam. *Ita Barb. jur. Eccles. univ. lib. 3, Cap. 13, n. 199.*

Secundus modus acquirendi privilegium est *communicatio,* scilicet quando Superior privilegium, quod uni simpliciter concessit, etiam ad alterum extendit; ita privilegia unius Universitatis,

vel Religionis solent communicari alteri Universitati, vel Religioni. Exempla hujus communicationis privilegiorum legi possunt in *Cap. 2, h. t. in 6, in leg. Omnia 35 Cod. de Episcopis, et clericis, et in leg. penult. Cod. de Advocatis diversorum judiciorum.*

Tertius tandem modus acquirendi privilegia est consuetudo, et praescriptio, praesertim illa cujus initium memoriam hominum excedit, quae communiter ipsi privilegio aequiparatur. *Ita Text. et DD. in Cap. novit. 13 de judiciis, et in Cap. super quibusdam de Verborum significat.* Sed nedum consuetudine, et praescriptione immemorabili, sed etiam praescriptione temporis brevioris, videlicet contra privatos 30, contra Ecclesiam 40 spatio privilegium aliquod praescribi potest. *Ita Cap. 4 et 18 de Praescriptionibus.*

Sed quid de amissione ipsorum? Pluribus modis ipsa extinguuntur, et cessant, scilicet 1.° per *interitum personae privilegiatae,* si privilegium est personale. Patet id per *text. in Cap. Privilegium 7 de regul. juris in 6,* — ibi — *Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.* Cui concinunt *leg. in omnibus causis 68, et leg. privilegia quaedam 196 ff. de regul. jur.*

At si loco interitus personae privilegiatae verificaretur interitus naturalis, vel civilis personae privilegiantis, seu concedentis, extinguitur ne tunc privilegium? Per mortem, seu depo-

sitionem ab officio personae concedentis privilegium absolute, et sine limitatione non cessat; regula enim generalis est, et communiter recepta, quod Gratia absolute concessa, et acceptata non cesset per mortem, aut depositionem ab officio ipsius concedentis juxta receptum juris axioma, quod gratiae etiam re integra morte concedentis non expirent. Ita *Cap. Super gratia 9 de offic. jud. deleg. in 6, et Cap. Si cui 26 de praebent. in 6.* Atqui privilegium est quaedam gratia, quia continet favorem ejus, cui datur, ergo etc.

Confirmatur autem assertum ex eo, quod privilegium sit quaedam liberalis donatio : atqui donatio semel facta non expirat per mortem donantis, ergo etc. At si privilegium non sit absolute, et sine limitatione concessum, sed cum aliqua conditione, aut limitatione ad certum tempus, exempli gratia *usque ad beneplacitum nostrum,* tunc ipsofacto per mortem concedentis extinguitur, et cessat per obitum enim concedentis, seu privilegiantis omnino etiam extinguitur, et cessat ipsius beneplacitum. Ita textus expressus in *Cap. Si gratiose 5 de rescriptis in 6,* — ibi — *Hujusmodi gratia per ejus obitum, per quem ipsius beneplacitum, eo ipso expirat.* Si vero concessum fuerit privilegium sub clausula *usque ad beneplacitum Sedis Apostolicae,* aut hujusmodi, tunc hoc in casu perpetuo durat, nisi a Concedente, vel ejus Successore revocetur, ceu tradit *cit. cap. 5 de rescript. in 6,* — ibi —

Secus autem, si usque ad Apostolicae Sedis beneplacitum Gratia concedatur praedicta; tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a Successore fuerit revocata.

Si vero privilegium fuerit *reale,* tunc cessat, et extinguitur per extinctionem ipsius rei, cui inhaeret juxta textum *in cap. Accessorium 42, de Regul. juris in 6,* — ibi — *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

Verumtamen hoc intelligendum est cum hac distinctione, nempe quod privilegium *reale* cesset, et extinguatur per interitum, atque extinctionem ipsius rei, cui inhaeret, si res ipsa privilegiata extinguatur sine ulla spe restitutionis, aut reparationis; si enim res privilegiata extinguatur cum spe restitutionis, aut reparationis, tunc conservantur omnia ejus privilegia, et jura, prouti colligitur *ex Cap. Pastoralis 24, caus. 7, q. 1, et Cap. Quae semel 4, caus. 19, q. 3.*

2.° Extinguitur, et cessat privilegium *renunciatione expressa,* si concessum fuerit alicui personae particulari, et in ejus favorem tantum concessum fuerit privilegium — *Cum liberum unicuique sit juri suo renunciare,* ait *Cap. Si de terra h. t.* Unde *in leg. Si quis in conscribendo Cod. de pactis* dicitur — *Regula est juris antiqui, omnes licentiam habere iis, quae pro se introducta sunt, renunciare.* Verum si privilegium concessum fuerit non alicui personae particulari, sed in favorem publicum, vel determinati coetus personarum, tunc

certa et indubitata regula est, non posse privilegium renunciari a personis particularibus textu expresso *in Cap. Si diligenti 12 de Foro competen.* = ibi = *Cum non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat; sed potius toti Collegio Ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest.* Unde Clerici nec volentes renunciare possunt privilegio Fori per *text. in cit. Cap. Si diligenti 12 de Foro competen.* Imo non possunt renunciare ne privilegio quidem *canonis* text. expresso in *Cap. Contingit 36 de Senten. excomm.* — ibi — *Cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus.*

3.° Amittitur privilegium *renunciatione tacita,* quae juris interpretatione censetur fieri per *non usum ipsius privilegii,* aut per *usum contrarium,* et in hoc quidem omnes Canonistae, et DD. facile consentiunt.

Verum difficillima, et propter diversos utriusque juris textus plurimum intricata controversia est, quanto temporis spatio, et quot actibus iste *non usus privilegii,* vel *usus contrarius* debeat esse continuatus, ut dici possit privilegium ob *tacitam renunciationem* amissum; etenim in *leg. 1, ff de Nundinis* ait Jurisconsultus. *nundinis impetratis a Principe, non utendo, qui meruit, decennii tempore usum amittit.* In *Cap. Si de terra 6 h. t.* Alex. III Abati, et Monachis S. Andreae Cisterciensis Ordinis decisionem dedit in haec verba — *Si de*

terra, quam habetis in Parochia Canonicorum de plautio, per triginta annos eis decimas persolvistis, eas sibi de caetero integre persolvatis. Licet enim privilegiorum Romanae Ecclesiae beneficio Fratribus Cisterc. Ord. indultum fuerit, quod de laboribus suis nullas decimas persolvere debeant, de privilegio tamen indulto tunto tempore vobis detrahere voluisti: cum liberum sit unicuique suo juri renunciare, eoque modo non potestis vos in hac parte tueri. — In hoc igitur capite tacita privilegii renunciatio censetur in triginta annorum decursu.

In Capite autem *14 eod. tit.* Innoc. III docet templarios idem privilegium amisisse per continuam solutionem decimarum spatio quadraginta annorum. Inquit enim — *Mandamus, quatenus si Abbas, et Monachi sufficienter ostenderint, quod a Templariis decimas de terris praedictis per quadraginta annos continue perceperint sine lite, vos ad praestationem ipsarum Templarios compellatis; cum enim tanto tempore contra privilegia decimas solverint, eis renunciasse tacite praesumuntur. Quod si in probatione defecerint, ab ipsorum impetitione Templarios absolvatis.*

Porro circa istorum textuum diversitatem varii varias excogitarunt conciliationes, et resolutiones, uti videre est apud Gloss. Panorm. Barb. etc. Quid igitur in re adeo perplexa statuendum? Expediret utique in hac DD. altercatione, quae im praxi frequenter praejudicia haud levia secum-

trahere potest, apertiorem, et clariorem juris declarationem habere. Interim antequam ea ab aliquo S. Pontifice emanet, liberum cuilibet relinquitur unam, aut alteram ex relatis opinionibus tamquam probabiliorem sequi. Mihi tamen salvo meliori judicio, videtur difficultas facillime enodari posse per illam exceptionem, quam superius ex Gloss. *in d. cap. Accedentibus h. t.* attulimus, nimirum quod mentio de 30, et 40 annis in dd. cc. sit tantum narratio *facti*, non dispositio juris. Scilicet *in Cap. 6* expositum fuit Alexandro III, Monachos per triginta annos solvisse decimas: *in Cap. 14,* autem expositum fuit Innocentio III, Templarios per quadraginta annos solvisse decimas. Hinc praefati Pontifices responderunt, si ita res se habeat, merito praesumitur renunciatio, quin uterque Pontifex quaestionem ingrederetur de tempore definito ad privilegii renunciationem praesumendam.

Post haec si quaeratur, quanto igitur tem- *usum,* vel usum contrarium? Responderi potest pore opus est ad amittendum privilegium per *non* distinguendum est inter ea privilegia, quae in aliorum gravamen redundant, et ea, quae non redundant, sed in mera facultate aliquid agendi consistunt, uti est facultas dicendi missam ante auroram, dispensandi in aliquo impedimento etc. In prioribus inducitur legitima praescriptio 30 vel 40 annorum, imo juxta Gloss. *in Cap. 15 h. t. verb. per 40 ann.* privilegia haec amittuntur spa-

tio 10 annorum, quia hujusmodi privilegia sunt quodammodo privatae leges: atqui leges privatae praescribuntur 10 ann. spatio; ergo etiam hujusmodi privilegia. In posterioribus autem *non usus*, vel *contrarius usus* non inducit praesumptionem tacitae renunciationis, nisi praesto sint alia adminicula significantia, et importantia voluntatem renunciandi.

Notandum tamen hic est: 1.° Quod expositum principium non verificatur, quoties occasio non extiterit utendi privilegio. 2.° Quoties privilegiatus fuerit impeditus uti privilegio.

4.° Extinguitur, et cessat privilegium *abusu*, idest quando privilegiatus abuteretur privilegio; justum enim, et aequum est, ut privilegio privetur, qui illo abutitur, vel *excedendo fines privilegii, vel sumendo ex illo occasionem liberius peccandi, vel contra privilegii finem agendo*. Ita *Can. 7, ubi d. 74, c. 18 de Regul. c. 24 h. t. etc.* Sic ex. gr. beneficiarius ratione studiorum absens, si studio praetermisso vagetur, justum, et aequum est, ut privilegio privetur.

5.° Extinguitur, et cessat privilegium *cessante causa finali*, seu melius immutata causa finali in contrarium, ita ut usus privilegii illicitus evadat ad tramitem *Cap. 60 de Appellat.* Verum animadvertendum, et faciendum est hic discrimen 1.° utrum causa cesset ante actualem concessionem, vel 2.° stante causa privilegium unico actu perfecte, et integre consumatum est. In primo

casu, si causa cessat, nulla fit concessio privilegii, quia deficit voluntas Concedentis mota a causa finali, quae non existit. In secundo casu cessante causa non cessat privilegium, quia in conservando non pendet a tali causa, et locus est *reg. 73 in 6* — ibi — *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.*

6.° Demum, extinguitur, et cessat privilegium *revocatione* Concedentis, vel ejus Successorum: est enim haec ordinaria natura privilegiorum, ut dari soleant sub tacita revocationis conditione, prout cum Gloss. communiter sentiunt interpretes ad *Cap. Novit. 13 de Judiciis, et ad reg. 16 juris in 6.*

TITULUS XXXIV, et XXXV.

De purgatione Canonica, et vulgari.

Si quis antiquitus cum indiciis gravibus de crimine diffamatus fuisset, et condemnari ob defectum probationis nequivisset, non erat a judicio absolvendus, nisi prius delictum sibi affixum per purgationem diluisset. Hac de re B. Raymundus locutus de variis delictis tam Praelatorum, quam subditorum praesentes titulos subjicit, qui de purgatione pertractant.

Purgatio haec definiri potest « modus a jure » inventus, quo suspectus, et infamatus de cri-

» mine, quod per sufficientes probationes ostendi » nequit, cogitur demonstrare suam innocentiam ».

Ipsa duplex est, alia scilicet *canonica*, seu a sacris Canonibus statuta, et approbata, alia *vulgaris*, nullo scilicet legitimo modo introducta, sed vulgi usurpatione, ac superstitione recepta.

Purgatio canonica habita fuit veluti juridicum remedium, quo scandalum populi tolleretur, et infamato honor per ipsam restitueretur *Cap. in-juventute 12. Cap. cum dilectis 15 in fine h. t. Cap. Inquisitionis 21 § quaesivisti Cap. Qualitate, et quando 21 de accusat.*

Quamvis antiquitus varii fuerint modi purgationis canonicae, hodie tamen justis de causis omnes isti modi sublati sunt, et alia forma introducta, quae in *Cap. 7. h. t.* praescribitur, vi cujus reus, seu infamatus de crimine, tactis sacrosanctis Evangeliis, debet jurare quod crimen illud, de quo infamatus est, nec per se, neque etiam per substitutam personam, aut alium suo nomine scienter illud commiserit, et insuper alios honestos sui ordinis, et conditionis, v. g. Praelatus Praelatos, Clericus Clericos, si haberi possint, vel in ipsorum defectu etiam alios juxta numerum arbitrio judicis taxandum adhibent, qui simul juramentum *de credulitate* deponant, quod cum habeant notitiam infamati credant eum innocentem, et vero jurare *Cap. 5 et 7. h. t.*

Purgatio haec a solo judice competente indici potest, secus non valet, et perinde habetur ac si

facta non esset. Plura autem requiruntur ad hoc ut ea indici valeat, ac debeat. Et 1.° quidem ut reus sit publice de crimine diffamatus, vel verosimiliter suspectus. Ratio est, quia purgatio canonica ideo praecipue inventa, ac introducta est, ut casu, quo crimen, vel innocentia diffamati alio modo probari nequit, per purgationem detegatur. 2.° Ut infamia, aut suspicio non sit levis, sed verosimilis, et gravis, aut vehemens. 3.° Ut si purgatio indicitur propter infamiam, haec ortum habeat a personis honestis, et fide dignis, cum orta a malevolis non sufficeret ad indicendam purgationem. 4.° Requiritur ut crimen, aut innocentia per testes, aut alios legitimos modos probari nequeat, quia purgatio introducta est in subsidium aliarum probationum. 5.° Reqúiritur, ut crimen non sit notorium, cum notoria non indigeant probatione. *Cap 9 de accusat.* 6.° Ut diffamata persona sit fide digna, et de perjurio committendo minime suspecta. *Cap. 1 h. t.*

Hisce concurrentibus requisitis judex potest indicere purgationem canonicam, vel ex officio *Cap. 1, h. t.*, vel ad instantiam diffamati.

Multiplici vero modo fiebat purgatio vulgaris. Infamatus enim de crimine vel debebat tangere ferrum candens, vel accensos carbones, vel duellum inire, et ab exitu istorum concludebatur vel innocentia, vel culpa. Hanc reprobarunt canones, quia praeter gentilitatis ritus, continet Dei tentationem, hinc eam vel uti superstione, et cultu

daemonis infectam, vel uti Dei tentationem judicarunt. *Can. 7, ca. 2, q. 4 et tot. XI praesente.*

TITULUS XXXVI.

De injuriis, et damno dato.

In superioribus titulis egit Compilator Decretalium de variis excessibus, et criminibus. At cum ex his frequenter soleant derivare tum injuriae, tum damna, hinc haud immerito praesentem subjungit titulum.

Rubrica duo complectitur, scilicet injurias, et damna. Hac de re majoris claritatis gratia nos de ipsis separatis paragraphis agere duximus. Sit itaque

§ 1ª

De injuriis.

Injuria generaliter, et late accepta dicitur omne id, quod non jure fit, seu quod fit contra justitiam, sive cum culpa, sive sine culpa fiat, specialiter autem sumpta, seu in sensu tituli injuria nihil aliud est, nisi contumelia dicta, vel facta dolo malo contra honorem, existimationem, et famam alterius.

Injuria alia est *verbalis*, alia *realis*. Prima verificatur, quando per verba contumeliosa alienus honor impetitur, ac laeditur. Ad hanc injuriae speciem reducitur etiam *libellus*, seu *carmen famosum*. Secunda autem, seu realis habetur, quando quis eam infert aliquo facto, scilicet, vel alapis, vel verberibus, vel violenter alienam domum ingrediendo, vel aliquid aliud agendo in contemptum, dedecus, et contumeliam alterius.

Ipsam inferre possunt soli, et omnes doli capaces *leg. 3*, § *Sane ff. h. t.* Nec refert, an inferior sit, vel superior, qui eam infert: siquidem etiam judex, et magistratus id potest ad tramitem *leg. 32, ff. eod. tit.* Quin imo, et Orator Ecclesiasticus, etsi ei permissum sit in genere perversos hominum mores perstringere.

Pati autem injuriam possunt omnes homines cujuscumque generis, et conditionis, etiam rationis usu destituti, *cit. leg. 3* § *Sane*, imo etiam mortui ad monitum *leg. 1*, § *Etsi forte ff. h. t.* Ratio est, quia jus ad famam, et honorem isti haud perdunt. Neque interest, utrum quis injuriam patiatur in persona propria, vel in persona sibi conjuncta, quia ratione affectus, et conjunctionis injuria uni facta, facta etiam censetur alteri. Pirhing. *h. t. n. 8*, aliique.

Cum vero injuria sine dolo, et animo injuriandi non committatur, ceu docet *lex Si non convitii 5 Cod. h. t.;* hinc animus iste injuriandi semper praesumitur, si verba, aut facta suapte

natura sint injuriosa, nisi injuriam proferens probaverit se animum convitiandi non habuisse; secus contra eum semper stat praesumptio juris *cit. leg. Si non convitii, et ibi Glossa v. Probare potes.*

Ad hujusmodi autem reparandam injuriam duplex oritur actio, *civilis* nempe, et *criminalis.* Agitur *civiliter*, si injuriam passus summam pecuniae petit ad privatum commodum, utilitatemque suam: agitur autem *criminaliter*, si invocatur judicis Auctoritas ad publicam vindictam, seu ad puniendum reum. Notandum tamen hic est, quod una via electa, scilicet *civili*, altera idest *criminalis* perimitur, et viceversa. Quod tamen haud verificatur in actione ad palinodiam, quae moribus potius, et consuetudine, quam jure scripto introducta fuit pro injuria verbali, utpote falsa. Dicitur autem actio ad palinodiam, sive recantatoria, quia per eam petitur, ut injurans injuriam verbalem falsam publice in judicio revocet, et recantet: quae actio recantatoria cum sit mera condictio, seu repetitio honoris ablati, ideo per eam non excluditur alia actio, et poena injuriarum, sicut in simili pro furto, actio furti ad poenam quadrupli, et condictio furtiva ad restitutionem rei ablatae competit. § *ult. Instit. de Furtis.*

Hic autem si quaeratur, quot modis actio injuriarum tollatur, et cesset, responderi potest, ipsam multiplici modo finiri, et extingui posse. 1.° Scilicet expirat hujusmodi actio morte injuriantis, vel injuriati ante litem contestatam: cum

enim actio ista sit ex *delicto*, et poenalis, regulariter nec haeredi, nec contra haeredes datur. Ita *leg. Iniuriarum 13, ff. h. t., et leg. unic. cod. ex delictis defunctorum*, et DD. passim. Sed hoc si injuriatus contra haeredes injuriantis poenam prosequi vellet: si vero per realem injuriam in corpore, vel in bonis damnum accepit, tunc recte eo nomine similiter ad compensationem damni haeredem pro viribus haereditatis convenire poterit, ceu docent *Cap. ult. de Sepulturis, et Cap. In literis 5, de Raptoribus.*

2.° Cessat actio injuriarum per *lapsum temporis:* nam pro injuria verbali actio tantum praetoria annalis, pro injuria autem reali (saltem in illis tribus casibus, scilicet si pulsatus, verberatus, vel domus alicuius vi introitus sit) civilis perpetua, idest triginta annorum conceditur secundum communem interpretum sententiam.

3.° Cessare facit actionem injuriarum *remissio, seu condonatio iniuxiae*, non tantum expressa, sed etiam tacita, quae fit per dissimulationem, si nimirum injuriatus vel ab initio statim injuriam ad animum non revocaverit, vel postea cum adversario sine necessitate loquatur, comedat, aliaque signa familiaritatis eidem exhibeat, § *ult. Instit. h. t. leg. Non solum 11*, § *1, ff. eod.* Hic tamen advertendum est quod illi, qui in aliena sunt potestate, ut filii, religiosi etc. injuriam sibi illatam, invitis illis, in quorum sunt potestate, et quibus actio injuriarum concessa est, remittere

non valeant; e contra vero pater, vel Praelatus injuriam filio, vel religioso illatam etiam illis reclamantibus condonare non prohibeantur. *Leg. Sed si unius 17, § Plane 12, ff. h. t.*

4.° Tandem tollitur injuriarum actio *retorsione,* idest quando injuria verbalis honoris tuendi causa per modum defensionis naturalis, et moderaminis inculpatae tutelae in ipsum injuriantem incontinenti retorquetur.

Hisce omnibus absolutis monendum putamus, quod licet quis in conscientia teneatur deponere odium, et cupiditatem vindictae contra injuriantem, haud tamen tenetur remittere actionem injuriarum. Eleganter Engel *h. t. n. 16.* — ibi — « Ad forum conscientiae quod attinet, in » primis ex parte injuriati sciendum est, quod is » quidem teneatur deponere odium, et vindictae » cupiditatem illicitam contra injuriantem se- » cundum Christi praeceptum *Matth. 5,* non ta- » men teneatur remittere actionem injuriarum, vel » alia media justa ad recuperandum, vel tuendum » honorem concessa: nam ex laesa bona fama » alicujus non solum ipsi infamato multa damna » imminent, sed etiam aliis hominibus contemnendi, » scandali, et malam (quam de aliquo suspican- » tur) vitam imitandi occasio datur. Unde Ang. » *in c. nolo. 10 caus. 12 qu. 1. Duas res sunt,* » inquit, *conscientia, et fama; conscientia neces-* » *saria est tibi, fama proximo tuo: qui confidens* » *conscientiae suae negligit famam suam, crudelis*

» *est*, etc. Eadem habet *in c. non sunt audiendi* » *56 causa 11 q. 3.* »

§. 2.ª

De damno dato.

Nomine *damni* hoc loco non intelligitur illud, quod lucri causa infertur, de quo agitur in *tit. de Furtis, de Raptoribus, et de Usuris* sed illud venit, et intelligitur, quod damnificatus patitur in corpore, aut in rebus suis sine aliquo commodo, vel lucro ipsius damnificantis, ut si quis alterius aedes incendant, animalia occidat, vestes laceret etc.

Hoc posterius *damnum* jure Romanorum recuperabatur actione *legis Aquiliae*. Propterea huc pertinent ea omnia, quae tum per leges ipsas, tum per illarum interpretes fusius traduntur, tum in *lib. 4 Instit.*, tum in *Pandectis*, tum in *Cod. de Leg. Aquil.*

Nos hujusmodi civiles dispositiones hac in re omittentes ea tantum breviter exponimus, quae ad jus SS. Canonum pertinent.

Disponit itaque jus Canonicum in *Cap. ult. h. t.* quod nedum ille, qui dolo malo, sed et qui culpa sola alteri damnum intulit, praestare debeat damnificato congruentem satisfactionem, et compensationem. Praestat citati Capitis verba referre — ibi — *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria*

irrogata, aut aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut haec in peritia tua sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere. Concordant *Cap. 6, et 7, eod. tit.*

Sed quid dicendum, si quis omnem diligentiam adhibuerit, ne damnum obveniret, vel saltem absque sua injuria, et negligentia damnum obvenit? Hoc in casu ad damni reparationem minime teneri eruitur ex verbis ipsis *cit. Cap. 9 h. t.* — ibi — *Secus est tamen in illo dicendum, qui ut* (damnum) *non accideret, de contingentibus nihil omisit.*

TITULUS XXXVII.

De poenis.

Cum B. Raymundus in praecedentibus titulis de variis delictis, et criminibus fori Ecclesiastici sermonem instituerit, haud immerito nunc praesentem de poenis subjicit, eo quod propter delicta, et crimina poenae imponuntur, ne maximo Reipublicae damno impunita remaneant.

Et merito quidem. Quos enim in officio minime continet virtutis amor, aut timor Divinae vindictae, eos arcere a malo juvat, imo necesse est poenis propositis.

Hac ratione ducta provida mater Ecclesia tribus modis jugiter consuevit in malos animadvertere; 1.° scilicet poenitentiis, 2.° censuris, 3.° autem poenis, per quas quasi per diversos gradus correctionum, alios aliis terribiliores, Deo simul, et Christianae Reipublicae satis fieret. Uti enim tres sunt delinquentium conditiones, quorum alii sincero dolore correpti sponte confitentur delictum ad legitimam peccatorum expiationem sine fraude parati, alii contumaces sunt, corripienti Ecclesiae interea obsistentes, de quibus tamen necdum deposita est spes probabilis, quod brevi resipiscant, alii denique pertinacissimi, et pugnaces in crimine perseverantes sunt, sublata probabili spe conversionis; ita diversae similiter sunt eorundem coercendorum rationes. Adversus enim primos procedit poenitentiis, adversus posteriores censuris, adversus tandem postremos poenis regulariter Ecclesia animadvertit. Dixi regulariter, eo quod Ecclesia quandoque poenam etiam asperiorem infligere potest.

Poenae primae, et secundae sunt *medicinales*, tertiae *vindicativae*. De primis, idest medicinalibus agetur *tit. 39*. De secundis vero, idest vindicativis in praesenti titulo sermo praecipuus habetur.

Antequam vero de poenis istis loquamur, utile esse putamus innuere, quid sit poena. Ipsa definiri potest — *vindicta criminis ad disciplinae publicae emendationem inducta;* quandoquidem natura, et indoles propria poenae est reparare or-

dinem laesam ob criminis perpetrationem. Hoc posito ad poenas canonicas recensendas descendamus oportet.

Poenae canonicae proprie dictae sunt 1.° Inhabilitas ad beneficia, dignitates, et officia Ecclesiastica. 2.° Privatio beneficiorum, seu subtractio fructuum. 3.° Depositio. 4.° Degradatio 5.° Infamia. 6.° Irregularitas.

Inhabilitas est poena Ecclesiastica, qua quis juxta *Cap. 2 et 15 de haeret. in 6* inhabilis, et ineptus redditur ad valide recipiendum beneficium, vel officium Ecclesiasticum, adeo ut collatio ipso facto, et ante omnem judicis sententiam sit nulla; cum propter incapacitatem deficere censeatur subjectum ipsum collationis.

Privatio autem et ipsa est poena Ecclesiastica, qua quis privatur beneficio, dignitate, et officio Ecclesiastico prius rite obtento ad tramitem mox *cit. Cap.* Haec infligitur, vel per sententiam judicis, vel ab ipso jure. Si per sententiam judicis infligitur, tunc ante ipsam non obligat in conscientia, hinc potest quis beneficium retinere, et fructus percipere etc. Si autem infligitur ab ipso jure, tunc distinctione opus est: vel enim canon dixit eam incurrendam esse ipso facto etiam ante quamlibet sententiam declaratoriam, et tunc hoc in casu obligat statim in conscientia. Hujus rei exempla habemus in *Extravag. Ambitiosae de rebus Eccl. non alien.* et in *Concilio Trid. sess. 23, cap. 1, v. Si quis autem,* ubi agitur de poena privationis

fructuum contra Parochos, atque Episcopos legem residentiae haud observantes, et decernitur amissio fructuum beneficii ipso facto, et ante omnem judicis sententiam. Si vero canon haud expresserit praedictam clausulam, tunc *ordinarie* conscientiae obligatio haud exurgit ante sententiam judicis declaratoriam facti, quia poena requirens externam executionem, statim non obligat, cum prudenti judici praesto esse possint circumstantiae, quae benignam, et aequam interpretationem suadere valeant. Ita *Cap. 2, de Haereticis in 6.*

Succedit dein *depositio* proprie dicta, quae est poena pariter Ecclesiastica solis Clericis propria, qua ipsi perpetuo removentur, vel totaliter a *beneficio, officio,* et *ordine,* seu ab omni munere clericali, vel partialiter a beneficio, vel officio, seu usu jurisdictionis, vel ordine, seu usu ordinis, et vocatur depositio *simplex*, vel *verbalis*. Differt autem depositio a *privatione* beneficii, quia illa, et non ista inducit inhabilitatem ad alia beneficia. Differt autem a *suspensione*, quia depositio ex natura sua est perpetua, cum suspensio, vel non est perpetua, vel si perpetua est, non ab officio, et beneficio ipsomet, prout facit depositio, sed a beneficii fructibus dumtaxat, officii administratione, et jurisdictionis usu removeat. Quin obstet quod a beneficio perpetuo suspensus id etiam amittat, cum beneficium habere non debeat, qui ejus fructuum perceptione perpetuo est interdictus; quia haec amissio non inducitur ex vi suspensionis,

et hinc suspensione relaxata, suspensus beneficium retinet sine nova collatione, quae tamen necessaria est illi, qui depositus fuit, secus beneficium retinere non valet. Ita Schmalzgrueber *h. t. n. 134.*

Depositio olim infligebatur etiam ob minora delicta uti patet ex *cap. 4,* §. *at si Clerici de judiciis;* hodie vero nonnisi ob enormia crimina, et valde scandalosa ex. gr. homicidium praemeditatum, furtum sacrilegum rei pretiosae, stuprum violentum, fornicationes notoriae post monitionem continuatae, *Arg. cap. 6, de Cohab. Clerc. et Mulier. et sess. 22 Triden. in decreto de Observand. in Sacr. Miss.* Hoc modo depositus Clericus retinet privilegium fori et canonis, nisi et isto per sententiam privetur, *Cap. 10 de Judiciis;* si vero ob adulterium, et minora delicta depositus est, peracta poenitentia poterit cum eo jam emendato Episcopus dispensare ad monitum *cit. cap. 4 de judiciis,* quia misero misericordia non est deneganda: nec tali modo restituitur ei fama directe, sed indirecte quod profecto Episcopi potestatem non excedit, *arg. leg. 1,* § *10, de Postuland.*

His accedit degradatio, quae est poena Ecclesiastica, qua Clericus ob criminis atrocitatem, vel ob incorrigibilitatem solemniter, et authentice dejicitur ab ordine, beneficio, officio, et statu Clericali, ita ut in potestatem saecularem transeat, et ab ista instar laici incarcerari, condemnari, ac puniri secundum leges civiles possit. Ipsa duplex

est, scilicet *verbalis* una, *realis* altera. Verbalis est ea, qua ejusmodi privationis sententia solemniter, et authentice promulgatur, ideoque dicitur etiam *sententialis*. Realis vero, quae etiam *actualis*, et *solemnis* dicitur ea est, qua sententiae ita latae fit executio juxta ritum statutum *Cap. Degradatio h. t. in 6*. Differt autem degradatio verbalis a *depositione*, quia a sententia depositionis immediate transiri nequit ad degradationem sine nova sententia degradationis: bene vero a degradatione verbali ad realem.

Rursus differt degradatio *verbalis* a *reali*, quia verbalis fieri potest ab Episcopo solum confirmato nondum consecrato, et quidem vel per se, vel per alium, exercite non tollit privilegium fori, et canonis, et verbaliter degradatum Episcopus restituere potest; e contra degradatio realis fieri debet ab Episcopo consecrato, cujus ordini est adnexa ex praecepto Ecclesiae, et exercite privat privilegio fori, et canonis, ita ut instar laicus habeatur, ipse tamen character SS. ordinum, qui in anima imprimitur, indelebilis est, et auferri nequit, ideoque si contingeret, aliquem ex falsis probationibus condemnari, et degradari, demonstrata postmodum innocentia restitutus noviter ordinari non deberet, imo de plurimorum DD. sententia degradatus in casu extremae necessitatis, si Sacerdos foret aliquem absolvere posset. Barbos. *ad Trid. sess. 54. de sacram. poenit. cap. 14. n. 13.* At realiter degradatus a solo Papa restitui potest.

Crimen ob quod Clericus degradari potest nonnisi in jure expressum esse debet, prouti tradit *cit. cap. 10 de Judic.* ubi ordo puniendi Clerici praescribitur mandans, ut primo deponatur ab officio, et beneficio, deinde crescente contumacia excommunicetur, et anathematis mucrone feriatur: tandem si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, saeculari potestati tradatur iuxta leges civiles puniendus. Hoc tamen in casu juxta *cap. Novimus 27 de Verb. signif.* Ecclesia adprecari debet auctoritatem civilem quae praesens esse debet in reali degradatione Clerici, ut eum mitiori ratione pertractet. Ita procedendum est in casu incorrigibilitatis Clerici.

Praeter hunc autem casum dantur in jure et alii quatuor, scilicet 1.° crimen *haeresis* praesertim cum reincidentia. *Cap. 9 de haeret. et Cap. 4 eod. in 6.* 2.° Conspiratio in proprii Episcopi vitam. *Can. 18 Si quis Sacerdotem 11, q. 1.* 3.° Crimen falsificationis literarum Apostolicarum. 4.° Crimen assassinii in Clerico, etc. Quibus addi solet crimen *nefandum* contra naturam ex Constitutione Pii V, quae incipit: *Horrendum illud scelus* VII et VIII. *Celebratio Missarum, vel Auditio Confessionum* a non Praesbyteris ex Constitutione 81 Clementis VIII, quae incipit: *Etsi alias*. Etc. Hic vero quaeri potest, a quo hujusmodi degradatio fieri possit? Huic respondemus

distinguendo, vel sunt Clerici, et religiosi exempti, et tunc fieri debere a Papa tradunt canones *5, et 7, caus. 3, quaest. 6.* Trid. *sess. 13, cap. 4, de Reform.* Vel non sunt Clerici, et religiosi exempti, et hoc in casu facienda est a proprio Episcopo. Si autem subsumatur quaerendo, qua forma facienda sit haec degradatio? Resp. Quidquid sit de jure antiquo, hodie servatur Concil. Tridentinum *sess. 13 de Reformat. Cap. 4.*

Venit quinto loco *infamia,* quae definitur privatio, seu diminutio bonae famae, et existimationis, sive ut Jurisconsulti loquuntur: *infamia est laesae dignitatis status vita et moribus reprobatus. Leg. Cognitionem 6, § 1, ff. de Extraord. cognit.*

Ipsa duplex est, scilicet *facti,* et *juris.* Illa facti oritur ex pravis moribus, quando videlicet quis tale aliquid perpetret, propter quod ejus bona existimatio apud probos, et honestos viros laeditur, licet ab ipso jure expresse non notetur aliquid de infamia, nec per sententiam irrogetur. *Arg. leg. Neque famosis 2 Cod. de Dignitatibus.* Illa vero juris infligitur auctoritate legis ob turpe crimen, tribusque modis contrahitur, nimirum, vel *ipso jure,* vel *sententia judicis,* vel *genere poenae.* Ipso jure contrahitur, cum tale quid perpatratum fuerit, quod ante judicis sententiam, leges, vel canones probro, et ignominia dignum judicant, seu cum jus ante ullam sententiam judicis aliquibus delictis annectit infamiam, ut crimini lae-

sae majestatis, crimini haeresis, et crimini lenocinii, dummodo hujusmodi crimina fuerint notoria. Sententia judicis contrahitur infamia, dum judex ob certa delicta infamantia condamnat reum de rapina, de furto, de calumnia, et de praevaricatione etc. Tandem contrahitur infamia *genere poenae*, cum quis ignominiae causa ab officio, et dignitate amoveatur.

Si quis hic quaereret, quinam sint effectus infamiae? Responderi potest sequentes potissimum esse, scilicet 1.° *infames* sunt irregulares, ita ut neque Ordinem suscipere, neque in suscepto ministrare valeant ad monitum *Can. fin. dist. 51, can. Infames 6, q. 1.* Navarus *Cap. 27, n. 204.* 2.° Infamia tam ex turpitudine facti, quam a Jure proveniens excludit a dignitatibus, et honoribus praesertim Ecclesiasticis juxta *regul. 65 jur. in 6,* — ibi — *Infamibus non pateant portae dignitatum, et juxta legem neque famosis 2 Cod. de Dignitat.,* eo quod dignitates, et caetera beneficia Ecclesiastica acquiri, et administrari debeant nonnisi ab illis, qui probatae sunt vitae, et integrae existimationis ad tramitem *Cap. Inter dilectos de Excess. Praelat.* Etc.

Infamia facti aboleri potest per constantem vitae emendationem, uti traditur a *cit. leg. 2 Cod. de Dignitatibus.* Infamia vero juris durat perpetuo. *Leg. Ad. tempus 6, Cod. Ex quibus causis infam. irrogetur. Can. 7, cap. 3, quaest. 3.* Tolli autem potest sola auctoritate Principis, aut ex con-

traria sententia judicis innocentiam declarantis, vel saltem in relatione ad infamiam primam sententiam modificantis, et corrigentis.

Ultima tandem poena Canonica est *irregularitas*, cujus nomen licet derivet ex eo, quod significat aliquid intra regulam non contentum, in proposito tamen ipsa sumitur magis stricte, videlicet pro impedimento Canonico, quo quis excluditur a susceptione, vel executione Ordinum. Definitur autem a Subtili Doctore *4 sent. dist. 25, q. 1.* — *Inhabilitas ad susceptionem Ordinum, et executionem actuum Ordinis.* Et hoc modo *irregularitas* est una ex septem *Poenis Canonicis*, et dicitur poena saltem large loquendo.

Ipsa communiter dividitur in irregularitatem *ex delicto*, et in irregularitatem *ex defectu*. Prima contrahitur ex reiteratione baptismi, ex violatione censurae Ecclesiasticae, ex indebita susceptione Ordinum, ex delicto haeresis, et ex aliis delictis infamiam inducentibus, et tandem ex homicidio, vel mutilatione voluntaria. Haec autem irregularitas ex crimine solummodo impropria, et indirecta poena dici potest.

Irregularitates vero ex *defectu* sunt sequentes, videlicet quae proveniunt 1.° vel ex defectu animi, 2.° vel corporis, 3.° vel natalium, 4.° vel aetatis, 5.° vel libertatis, 6.° vel sacramenti ex Bigamia, 7.° lenitatis.

Effectus autem, quos parit irregularitas tres potissimum sunt. Primus, et principalis est privatio

Ordinis suscipiendi. Secundus est privatio usus, seu exercitii Ordinis jam suscepti alicujus, vel si totalis est, cujuscumque. Tertius denique effectus est privatio beneficiorum obtinendorum, si *irregularitas totalis* est. Ratio est, quia hoc ipso quod beneficium detur propter officium, *Cap. fin. de Rescriptis in 6*, et irregularis capax non sit officii divini, sponte veluti sua sequitur, ab ipso etiam beneficium obtineri non posse.

Possent hic et alia plura in medium proferri sed instituti nostri sat impedimento fuit, quominus oratio ulterius protraheretur.

TITULUS XXXVIII.

De poenitentiis et remissionibus.

Actum est titulo praecedenti de poenis, quae in foro externo, seu judiciali infliguntur; hac de re B. Raymundus ad istarum poenarum materiam plenius explendam, nunc transitum facit ad poenas, seu poenitentias, quae in foro interno, seu poenitentiali imponuntur. Cum vero hae poenae, seu poenitentiae saepe per remissiones relaxentur, ideo de iis quoque Compilator Decretalium agit praesentem subjiciens titulum.

Poenitentia sumpta pro satisfactione pro peccatis imposita, et exhibita definiri solet — *Satisfactio condigna pro peccatis imposita*, seu melius

operatio exterior laboriosa, et poenalis, voluntarie assumpta ad vindicandum peccatum commissum, et ad placandam divinam offensam. Est autem vel *publica*, vel *privata*. *Publica* est, quae imponitur, et peragitur pro manifestis peccatis juxta *Cap. Manifesta 1. h. t. Privata* est, quae imponitur pro peccatis arcanis in actu sacramentalis confessionis, de qua inferius. Publica vero subdividitur in *solemnem*, et in *non solemnem*.

Prima solemniter in Ecclesia cum caeremoniis certis indicebatur, et peragebatur, quae caeremoniae describuntur in *Can. 64, dist. 50*, ut scilicet initio quadragesimae publici peccatores, et poenitentes induti saccis, et nudis pedibus ad Ecclesiam venirent, et inde a ministris Ecclesiae certo ritu, et certis orationibus expellerentur. Haec solemnis poenitentia separabat poenitentem a communione fidelium, et a sacramentorum perceptione (excepto mortis articulo) usque ad plenam satisfactionem, quia vero minuebat existimationem, et famam poenitentis, propterea Clericis, nisi depositis, imponi non poterat: imo publice, et solemniter poenitentes, tamquam infames, et irregulares ad clericatum non admittebantur. *Can. Confirmandum 65, et sequen. dist. 50.*

Non solemnis autem erat, quae ex publica quidem confessione, seu publico delicto, sed absque caeremoniis Ecclesiae indicebatur, ut si alicui publice jejunium, vel peregrinatio imponeretur, de quibus poenitentiis videri poterunt canones poeni-

tentiales. Hujusmodi publicae, et solemnes poenitentiae licet jamdiu ab usu recessisse videantur, nihilotamensecius Concilium Tridentinum *sess. 24, Cap. 8 de Reformat.* mandat, ut publice cum scandalo peccantibus publica etiam poenitentia pro qualitate, et gravitate culpae imponatur, nisi Episcopus judicaverit pro circumstantia rei magis expedire, ut poenitentia publica in secretam commutetur.

Et optimo sane jure ita a S. Concilio statutum fuisse videtur. Siquidem Canones antiqui poenitentiales in imponendis poenis admodum rigorosi fuerunt ob fervorem primitivorum Christianorum; adeo ut pro uno peccato mortali septem, et plurium annorum poenitentiam nonnumquam injunxerint. Ex quo evenit, ut deinde dilatata Ecclesia, et refrigescente charitate ob gravitatem poenitentiae multi impoenitentes remanserint, et potius contempta poenitentia in profundum malorum descenderint. Hac de re pia mater Ecclesia succedentibus temporibus de illo primo rigore aliquid remisit, et pro sua amplissima potestate solvendi, et ligandi poenitentias arbitrarias concessit.

Privata vero poenitentia, de qua superius aliquid innuimus, est illud poenitentiae, et secretae confessionis sacramentum, quod unanimi consensu Ecclesiae tunc potissimum a Christo institutum creditur, quando resurgens a mortuis insufflavit in discipulos suos dicens — *Accipite Spiritum S.; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et*

quorum retinueritis, retenta sunt — *22 Math. 18*. Verum quia haec materia penitus theologica est, et de hac Theologi ex professo tractant, hinc lectorem ad ipsos remittimus, illa dumtaxat breviter tangentes, quae ad propositum nostrum magis animadversione digna videantur.

Primo itaque notandum occurrit relate ad hanc sacramentalem poenitentiam jure Ecclesiastico statutum esse in *Cap. utriusque 12 h. t.* ut hoc *privatae* poenitentiae sacramentum, et communio Sanctissimae Eucharistiae ab utriusque sexus fidelibus quolibet anno, tempore saltem paschali impleatur, idque severe ab Ecclesia praecipitur, ita ut qui temere, et sine legitima causa, ac sine proprii Parochi licentia alterutrum omittere auderent, vivi ab ingressu Ecclesiae arcerentur, et mortui sepulturae Ecclesiasticae honore privarentur.

Nec minus notatu digna est Constitutio *Cap. 13 h. t.* ubi medicis corporum praecipitur, ut cum ad infirmos in lecto jacentes vocantur, ante omnia ipsos moneant, et inducant, ut medicos animarum advocent, iisque confiteantur. Idque adeo rigide sancitur, ut si quis medicus hanc constitutionem post publicationem illius transgressus fuerit, tamdiu ab Ecclesiae ingressu arceatur, donec satisfecerit competenter. Decretum hoc innovavit *S. Pius V mot. prop.* incipiens *Super gregem Dominicum edito 8 mart. 1566* et addidit, 1.° ne medicus ultra tertium diem aegros visitet, nisi confessarius ex

juxta causa longius tempus concedendum infirmo judicet; 2.° ad infirmum non redeat, nisi eidem per fidem confessarii in scriptis factam constiterit, infirmum peccata sua confessum fuisse; 3.° praecipit idem Pontifex universitatibus, et collegiis, ut cum licentiam medendi alicui concesserint, aut ad doctoris gradum promoverint, exigant ab eo juramentum haec servandi, alioquin perpetuam infamiam incurrant, et e medicorum collegio ejiciantur, graduque doctoratus priventur, addita poena arbitraria a judice imponenda. Ita Schmalzgrueber *h. t. n. 101.*

Quibus omnibus accessit Decretum Benedicti XIII in *Conc. Romano sub tit. 32,* et subsequens declaratio secretarii ejusdem Concilii impressa in Append. Concilii *sub. n. 28.*

Nunc pauca raptim de secunda rubricae parte, scilicet remissionibus. *Remissio* hic est relaxatio poenarum temporalium, quae hodie fit per indulgentias ex thesauro Ecclesiae per applicationem meritorum Christi, et Sanctorum. *Extravag. 1, h. t.* juncto Tridentino *sess. 25, in Decret. de Indulg.*

Verum de hac materia vide theologos moralistas, qui fuse eam pertractant.

TITULUS XXXIX.

De sententia excommunicationis, suspensionis, et interdicti.

Postquam Decretalium Compilator de poenis vindicativis egit, transitum facit ad poenas spirituales, scilicet censuras Ecclesiasticas hunc titulum subnectens.

Ut lucido ordine etiam in hoc titulo procedamus, agemus 1.° de censuris in genere; 2.° descendentes ad species prius loquemur de excommunicatione, dein de suspensione, et tandem de interdicto. Idque absolvemus distinctis paragraphis. Sit igitur

§ 1.ª

De Censuris in genere.

Censurae nomen *a censendo* derivatum olim apud Romanos denotabat tum officium, tum sententiam *Censoris* mores corrigentis, et poenam decernentis. Posterioris acceptionis occasione factum est, ut etiam hodie *censura* adhuc significet correctionem quandam, et punitionem iuxta illud Juvenalis, satyra 1.ª *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.* Hinc et Ecclesia hoc sensu

illam accepit, ideoque definitur; *poena spiritualis, et medicinalis, qua homini baptizato delinquenti, et contumaci aufertur per potestatem Ecclesiasticam usus quorumdam bonorum spiritualium, donec corrigatur, et a contumacia recesserit.*

Dicitur *poena spiritualis* ad denotandam differentiam poenarum temporalium.

Dicitur *poena medicinalis*, quia censura per se, et primario ordinatur ad correctionem delinquentis, idest inobedientis potestati Ecclesiasticae sub censura aliquid praecipientis, vel prohibentis *Arg.° Cap. 1 de Senten. excom. in 6*, secundario tantum ad punitionem.

Dicitur *homini baptizato*, quia poena Ecclesiastica non in alium, quam in hominem baptizatum cadere potest. Sane Judaei, Pagani, Saraceni, aliique infideles, qui numquam per baptismum in Ecclesiam ingressi, ejusque subditi effecti sunt, non recte censura afficiuntur, dicente Apostolo 1 *ad Corinthios vers. 12, Quid mihi est de iis, qui foris* (idest extra Ecclesiam) *sunt judicare? Nam eos Deus judicabit.* Cui concinit Concilium Tridentinum *sess. 14, Cap. 2 de Poenit. Sacram.* — ibi — *Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus.* Addunt praeterea DD. communiter, quod homo censurandus debeat esse etiam *viator*, quia mortui censura ligari non possunt, neque *quoad animam*, neque *quoad corpus.* Non quoad animam, quia

haec est quid spirituale invisibile, ideoque subjici nequit Ecclesiae visibili; non quoad corpus, quia est quid inanimatum, ideoque incapax subjectionis.

Dicitur *contumaci,* quia censura ex indole, et natura sua fertur ad frangendam contumaciam, seu inobedientiam illius, qui scienter contra legem Ecclesiasticam peccat, et ideo ab ignorantibus non incurritur. *Cap. fin. de Constit. in* 6.

Dicitur *per potestatem Ecclesiasticam,* quia cum potestas mere saecularis spiritualia tractare nequeat ad tramitem *Can. Judicatum 5 dist. 89 Decernimus 2 de Judic.,* potestas ferendi *Censuram* soli potestati Ecclesiasticae, et quidem jure Divino competit.

Dicitur autem *aufertur usus quorumdam bonorum spiritualium,* quia censura non privat usu omnium bonorum spiritualium, sed solummodo *quorumdam,* quorum scilicet dispensatio Ecclesiae concredita est. Quod ut probe intelligatur, observandum ducimus hujusmodi bona spiritualia quaedam esse *publica,* quae in dispensatione, et applicatione Ecclesiae consistunt, uti sunt Sacramentorum administratio, et perceptio, spiritualis jurisdictio, beneficia ecclesiastica, item suffragia, et satisfactiones, quae pro omnibus fidelibus tanquam uno corpore in Christo ad *Ephes. 4* ab Ecclesia offeruntur, ita ut orationes, sacramenta, et alia opera, quae fiunt ab omnibus, prosint singulis de Ecclesia, sintque inter eos communia. Hinc ea

sanctorum communio in symbolo fidei appellatur. Haec ergo bona spiritualia cum sint in dispensatione Ecclesiae, illis privantur, qui censura afficiuntur, pro diversitate tamen censurarum, quia non idem est cujuslibet censurae effectus, ut inferius de censuris in specie dicemus. Alia vero *bona spiritualia* sunt *privata*, et propria cujuscumque, ut sunt dona gratiae, fides, spes, charitas, aliaeque virtutes, et pia opera, quatenus praecise ipsam personam, et animam operantis concernunt, atque his Ecclesia neminem privare potest, quin quacumquè censura ligatus hujusmodi virtutes coram Deo meritorie ad impetrandam remissionem peccatorum suorum operari possit, quamvis fortasse ob censuram communibus Ecclesiae suffragiis privetur.

Dicitur tandem *donec a contumacia recesserit*, quia cum Ecclesia censuras indicendo praesertim intendat peccatores ad meliorem frugem reducere, illos a censuris relevat, quando exhibent sufficientia signa emendationis. Ipso jure tamen, et citra absolutionem regulariter censura non tollitur, licet censuratus a contumacia recesserit, et resipuerit, uti patet ex *Cap. Cum desideres 15 h. t.* et inferius iterum sermo redibit.

Censura dividitur 1.° in *latam a jure*, et *latam ab homine*. Prima exprimitur a sacro canone; secunda ex arbitrio judicis Ecclesiastici infligitur. 2.° Dividitur in censuram *latae sententiae*, et *ferendae sententiae*. Prima incurritur ipso facto a

delinquente absque ullo ministerio judicis. Secunda, licet a jure statuta sit, non tamen prius incurritur, nisi per sententiam condemnatoriam a judice prolatam. *Ita Devoti tom. IV tit. XVII, § 8.*

Ex fromulis, quae in Ecclesiae legibus usurpant, facile intelligitur, quae ferendae, quae latae sententiae sit. Reiffenstuel *h. t.* § *3, n. 78, et seq.* Maschat *h. t.* § *1, n. 3.* In dubio autem, an censura sit latae, vel ferendae sententiae, censeri debet censuram esse ferendae sententiae, quia in dubiis, et praesertim in poenis benignior interpretatio facienda est juxta regulam *155,* § *fin. ff. et reg. 49 juris in 6.* Schmalzgrueber *h. t. n. 11.*

Censurarum tres sunt species, scilicet *excommunicatio, suspensio, interdictum,* uti aperte docet Innocentius III *in Cap. 20, de verb. signif.* ubi legitur — *Quaerenti quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, cum hujusmodi clausulam in nostris literis apponimus; respondemus quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, et excommunicationis sententia valet intelligi.*

Supervacaneum hic esse putamus inquirere, utrum Ecclesiae competat potestas ferendi censuras, cum nulla suppetere possit ratio dubitandi inter catholicos, illam soli potestati Ecclesiae, et quidem jure divino competere juxta illud *Math. 16.* — *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in caelis* etc. *et 18.* — *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus,* hoc est a fidelium communione segregatus. Hinc jam

inde a tempore Apostolorum hac potestate constanter usa est Ecclesia, ut fideles a contumaci, et rebelli inobedientia reducens, et avertens ad obediendum salutaribus suis preceptis, et sanctis legibus magis promptos efficeret. Sane hac potestate usus fuit S. Petrus excommunicando Simonem Magum *Actor. 8, v. 12,* S. Paulus excommunicando incestuosum Corinthum etc.

Haec autem potestas potest esse, vel *ordinaria,* vel *delegata.* Ordinaria potestas ferendi *censuras* in primis praecipue incumbit Summo Pontifici respectu totius Ecclesiae, Archiepiscopis, atque Episcopis in sua Provincia, et Dioecesi quoad sibi subditos. *Cap. 1, et cap. Conquerente 16 de Offic. ordinar. juncto Concilio Tridentino sess. 6, cap. 3, et sess. 14, cap. 4, de Reformat.* 2.° Eam habent omnes, et soli illi, qui in foro externo gaudent jurisdictione Ecclesiastica ordinaria, uti sunt Cardinales in suis titulis, Legati Sedis Apostolicae in provincia suae legationis. Praelati tam saeculares, quam Regulares jurisdictionem in foro externo contentiosam habentes ita ex *tot. tit. de Offic. ordin.*

Delegata competit omnibus, qui illam habuerunt ab eis, qui potestate ordinaria potiuntur. Ex delegatione autem quilibet clericus etiam primae tonsurae potestatem censurandi acquirere potest, cum ista potestas sit delegabilis. At non modo ex *delegatione,* sed et *consuetudine,* et *praescriptione* legitima, modo praescribens sit clericus,

atque ita capax possidendi jus spirituale: secus praescriptio non procederet ex regula *3ª juris in 6.*

Sed quid dicendum de laico, et foemina? Possunt ne acquirere hujusmodi potestatem? Quoad laicum, exceptis paucis, omnes conveniunt ex privilegio Apostolico laicum habilitari posse ad ferendas censuras, quia ipse ex Apostolico privilegio habilis fieri potest ad jura, et actus spirituales a potestate ordinis non pendentes, ut ad praesentandum, eligendumve ad beneficia, ad judicandas causas spirituales, clericosque examinandos juxta Tridentinum *sess. 24, Cap. 18, de Reformat.* Quoad foeminam vero Maschat *hoc. tit.* tenet, quod ipsa ne ex privilegio quidem Apostolico habilitari possit, quia Christus Dominus in suos Discipulos, et Apostolos elegit mares, non vero foeminas, illisque dedit potestatem clavium, exclusis foeminis, uti docet *Inn. III Cap. 10 de Poenit. et remiss.* inquiens — *Quia licet Beatissima Virgo Maria dignior, et excelsior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis claves Regni Coelorum commisit.* Schmalzgrueber autem *h. t.* ait probabilius esse, quod Papa ex plenitudine jurisdictionis suae possit habilitare foeminas ad ferendas censuras, quia foemina jure Divino non videtur esse incapax jurisdictionis spiritualis.

Censura ferri potest tantum in hominem baptizatum, sive clericum, sive laicum rationis, et doli capacem, viatorem, et subditum, ac subjectum jurisdictioni ferentis censuras, sed contumacem, quia

censura poena est medicinalis ad frangendam hominum contumaciam ordinata, hinc prono alveo fluit, quod ferri nequeat in paganos, et judeos, etiamsi jam cathecumeni sint. Sed quam ob causam ferri in aliquem censura potest? Resp. Ipsa regulariter loquendo ferri nequit, nisi ob culpam, quia est poena medicinalis, quae necessario supponit culpam corrigendam. Haec autem culpa debet esse gravis contumaciter commissa, opere externo prodita, et completa in genere suo secundum proprietatem verborum, quae in praecepto, seu lege infligente censuram continentur, et tandem debet esse jure Ecclesiastico prohibita. *Ita ex Can. 41, et sequen. 11, quaest. 4, Trid. sess. 25, cap. 3, de Reformat.*

Et quidem quod requiratur culpa gravis, seu peccatum mortale manifeste patet, nam poena, ut sit justa debet esse proportionata culpae, consequenter cum ex. gr. excommunicatio poena sit gravissima *Cap. 10 de Judiciis,* gravem utique requirit culpam. Quod vero requiratur, ut sit contumaciter commissa, id etiam manifeste patet ex eo, quod ad incurrendam censuram omnino requiritur contumacia, seu inobedientia contumax, qua delinquens praecipientis Ecclesiasticae potestatis auctoritatem spernere censetur. Nec necesse est, ut haec contumacia sit expressa, ac formalis, sed sufficit etiam virtualis, et contemptus Ecclesiae interpretativus in hoc consistens, ut sciatur aliquid per legem, aut Superiorem legitimum *sub censura*

esse prohibitum, et tamen illud facere praesumatur.

Quod autem requiratur, ut culpa gravis sit *opere externo* prodita, id pariter manifestum apparet ex eo, quod Ecclesia non potest cognoscere, ideoque neque judicare, ac punire peccata mere interna, quae relinquuntur soli Deo punienda. Ita DD. innixi *Can. Cogitationis 14 de Poeniten. dist. 1, Cap. Sicut tuis 33, in fin. Cap. Tua nos de Simonia.* Praeterea quod requiratur, ut sit in *suo genere completa,* id luculenter patet ex eo, quod in poenalibus leges sunt strictae interpretationis ; quapropter lex, quae delictum vetat indicta sanctione poenali, eos non attingit, qui tentaverint tantum crimen perpetrare, at opere non consumarunt. Hinc si homicida excommunicetur, non incurrit censuram, qui solum percussit, vel vulneravit.

Sed requiritur etiam, ut hujusmodi culpa sit nec *praeterita*, neque mere *futura,* sed de praeterito, et futuro participans. *Cap. 5. de sentent. excommunicat. in 6.* — ibi — « Nec in specie, nec in » genere pro culpis, et offensis praeteritis, vel prae» sentibus excommunicationis sententias promul» gent.... Caveant etiam ne tales sententias excom» municationis sive specialiter, sive generaliter in » aliquos pro futuris culpis..... proferre praesu» mant, nisi mora in exhibenda satisfactione, vel » culpa, seu offensa praecesserit, quibus merito » ad injungendam satisfationem hujusmodi, et ta» liter prohibenda similia inducantur, aut alia

» rationabilis causa subsit ». Concinit Barbosa in cit. *Cap. n. 6*. Cujus rationem reddit *Cap. 1.* pariter *de sentent. Excommunicat. in 6.* — ibi — « Cum medicinalis sit excommunicatio, non » mortalis, disciplinans non eradicans, dum tamen » is, in quem lata fuerit, non contemnat, caute » provideat judex Ecclesiasticus, ut in ea ferenda » ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit, et » medentis ».

Tandem requiritur, ut *jure Ecclesiastico sit prohibita,* quia ob peccatum solo jure naturali, aut Divino prohibitum nulla contrahitur *censura*, cum haec sit poena inobedientiae, contemptus, et contumaciae contra potestatem Ecclesiasticam, uti de excommunicatione patet ex *Cap. 1. h. t. in 6*, illis verbis Christi — *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*, *et Publicanus,* seu quia tale peccatum, scilicet jure naturali, et Divino prohibitum, nisi simul lege Ecclesiastica vetitum fuerit, inobedientiam, contemptum, aut contumaciam contra potestatem Ecclesiasticam nullam continet. *Ita Schmalzgrueber h. t. n. 55.*

Ast quaenam conditiones requiruntur ad legitime inferendam censuram ? Resp. Nonnullae requiruntur ex parte judicis ferentis censuras, nonnullae ex parte Rei, et tandem nonnullae ex parte juris. Ex parte judicis ferentis censuram requiritur 1.° potestas ordinaria, vel delegata, nullo obice ad sui exercitium impedita. 2.° requiritur, ut ferens censuram existat in proprio ter-

ritorio *Can. Episcopus caus. 9, q. 1, Clemen. unic. de foro competenti.* Et ratio est, quia extra territorium nemini datum est, jurisdictionem contentiosam exercere, ne judici illius loci injuriam inferat *Cap. 2 de Const. in 6.* Unicus tamen excipitur casus, quo Episcopus injuste pulsus esset a sede sua; hoc enim in casu in aliena dioecesi vicina, petita prius, licet non obtenta licentia Ordinarii, censuras ferre potest in suos subditos rebelles, et contumaces, servata forma *Clement. unic. de foro competenti.* 3.° Ferens censuram non debet ex pravo affectu duci, scilicet Judex zelo justitiae, et charitatis duci debet ad ferendam censuram, non vero ira, odio, vel alia passione: neque in propria causa per *modum judicii* potest ferre censuram, *Can. 27, inter 23, q. 4,* sed solum ad justam sui defensionem; quia vim vi repellere omnia jura concedunt.

Ex parte rei requiritur ut sit subditus censurantis, et delinquat cum contumacia, uti superius innuimus.

Ex parte juris tandem inspiciendum est, utrum censura feratur *judicialiter*, vel *legaliter*, nam ut ait Maschat *h. t. n. 17*, si censura *fertur judicialiter*, idest per modum sententiae, requiritur *monitio triplex*, seu una peremptoria, non necessario in scriptis, sed coram testibus idoneis facta, per quos probari possit, eam praemissam fuisse, assignato competenti termino, intra quem reus deliberet, an cessare velit a contumacia. *Cap. 48 h. t. et Cap. 5, et 9,*

eod. in 6, nam ante monitionem non constat, an reus sit contumax, et inobediens, seu quia censura fertur ob contumaciam, et inobedientiam actualem; at monitus qui non est a ferente censuram dici nequit illi rebellis et inobediens. Haec autem solemnitas monitionis, licet sit de gravi praecepto sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae per mensem, ceu patet ex *Cap. 48 h. t.*, non tamen est de substantia censurae, cum ipsa etiam sine monitione valida sit, sed injusta, prouti eruitur ex *cit. cap. 5* — ibi — *Absque competenti monitione praemissa,* etsi *contra praesumpserit, injustas noverint esse illas sententias.* Excipitur tamen casus, quo quis ob communicationem cum excommunicato, suspenso, aut interdicto majori excommunicatione feritur: tunc enim sententia excommunicationis sine praevia monitione lata non tenet, seu invalida est in vim *cap. 3, 9, et 13 h. t. in 6.* Maschat. *h. t. n. 17,* Schmalzgrueber *h. t. n. 26, 27 et 28,* licet alii contrarium sentiant, et censuram nullam esse dicant absque monitionis solemnitate. 2.° In delicto notorio notorietate *facti*, et simul *contumaciae*, dum palam constat reum deliquisse, et simul pertinaciter asserere, quod nolit obedire mandatis Ecclesiae, probabiliter adhuc requiritur monitio, ut judicialiter constet reum esse contumacem: nam casus iste in citatis juribus non excipitur, et reus a judice monitus mentem mutare potest, et timore censurae imminentis contumaciam depo-

nere. Verumtamen contraria sententia satis probabilis est, modo non solum delictum, sed etiam contumacia notoria sit.

Hisce circa monitionem praemissis, si lapso termino reus sit contumax, judex sententiam censurae profert in scriptis, expressa causa excommunicationis, vel alterius censurae, et exemplum hujus sententiae tradit reo intra mensem, si fuerit requisitus: super qua requisitione faciendum publicum instrumentum ad formam *cap. 1 h. t. in 6*, secus judex poenis obviam ibit cit. *cap. 1 h. t. in 6*.

Si vero censura fertur *legaliter*, idest per modum juris, seu statuti, ut ipso jure, et facto incurratur, tunc nullam requiri praeviam monitionem a judice faciendam monet *Cap. 26 de Appel.* ubi casus iste excipitur — ibi — *nisi forte talis sit culpa, quae ipso suo genere suspensionis, vel excommunicationis poenam inducat:* nam hoc in casu canon ipse, seu lex ipsa perpetuo monet.

Haec sed vero omnia procedunt, si censura feratur per modum censurae proprium. At si feratur per modum poenae vindicativae, tunc nullam requiri praeviam monitionem communis, et certa regula est, quandoquidem ad vindictam, et punitionem satis est, ut delictum praecesserit. Hoc autem verificatur tantum in suspensione, et interdicto particulari, siquidem istae solae censurae ferri possunt in vim poenae vindicativae, ceu monet *Cap. 1.* § *Si quis h. t. in 6. Cap. 48,*

eod. tit. et Cap. 7, § fin. de Elect. Quod adeo verum est, ut excommunicatio, et interdictum generale, cum privent pluribus bonis spiritualibus, numquam uti poenae vindicativae, sed semper uti poenae medicinales ferri soleant. Notandum hic tamen est, quod licet aliquoties monitio haud praerequiretur in censura a jure lata, citatio tamen requiritur in ipsa declaranda, ceu inferius videbimus. Idque eum ad finem, ut censuratus se defendere possit, et valeat.

Huc laeti cum pervenerimus, quaeri potest, utrum aliquae causae existant, quae excusent ab incurrenda censura? Huic interrogationi respondemus : in genere quidquid excusat a peccato mortali excusat etiam a censura v. g. excusat 1.° materiae parvitas, 2.° metus gravis, injustus, ex. gr. mortis, mutilationis, infamiae, gravis jacturae bonorum, qui impelleret ad agendum contra legem pure Ecclesiasticam, vel contra Superioris sententiam aliquid sub censura praecipientem, vel prohibentem; et ratio est, quia leges Ecclesiasticae regulariter loquendo non obligant cum periculo vitae, membrorum, vel alterius gravis damni, 3.° ignorantia invincibilis tam juris, quam facti, cui annexa sit censura. Sane quod ignorantia invincibilis juris, seu ipsius censurae, dummodo non sit crassa, aut supina, excuset ab incurrenda censura, habetur expresse in *cap. Ut animarum 2 de Constitut. in 6* — ibi — *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorum-*

cumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina. Quod autem excuset ab incurrenda censura ignorantia facti, qua quis ignorat factum suum esse tale, quod sit prohibitum sub censura, habetur in *Cap. Si vero 3 de Senten. excomm.* ubi statuitur, quod non incurratur excommunicatio ab eo, qui occidit Clericum, quem invincibiliter ignorabat esse talem, sed putabat esse laicum — ibi — *Si vero aliquis in Clericum nutrientem comam, manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico praesentari conspectui, nec etiam excommunicatione nodari dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit.* Imo quantum ad hoc excusat etiam inadvertentia, quia aequivalet ignorantiae.

4.° Excusat appellatio legitima interposita, antequam censura feratur: et ratio est, quia appellatio facta in tempore suspendit usum jurisdictionis in judice, ut habetur expresse in *Cap. Romana 3, et Cap. Si a judice 10 de Appellat. in 6.* Et idem omnino facit recusatio judicis, antequam sententiam excommunicationis, vel alterius censurae ferat, textu claro in *Cap. Quoties Episcopi 16, caus. 2, quaest. 6,* — ibi — *Quoties Episcopi se a suis comprovincialibus, vel a Metropolitano putaverint praegravari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent Sedem, atque eis libere ire liceat, et dum praedictam Romanam Ecclesiam appellaverint, aut ab ea se audiri po-*

poscerint, nullus eos excommunicare, aut eorum Sedes surripere, aut res eorum auferre, aut aliquam eis vim inferre praesumat. Haec tamen regula perdit officium suum, quando appellatio fit post jam latam excommunicationis, vel alterius censurae sententiam, quia tunc appellatio facta non habet vim suspendendi, sed solum devolvendi, ut Superior possit cognoscere de justitia censurae. Ita *Cap. Ad reprimendam 8 de Offic. judicis ordinarii.*

5.° Excusat a censura incurrenda innocentia notoria, contra quam judex censurando nulliter agit. *Cap. 2, et 7 h. t. in 6.* Si quis vero innocens est in foro interno, et probatur nocens in foro externo, non ligatur censura in conscientia; cum sententia lata sit ex falsa praesumptione; at in foro externo tenetur se gerere pro censurato; quia in hoc foro praesumptio justitiae stat pro judice. Si tamen executio sententiae peccatum contineret, non est hoc in casu ei parendum; ut si cogeretur quis uxori putativae debitum reddere. *Cap. 42 h. t.* Sed progrediamur.

Vidimus quid sit censura, et quotuplex, quinam eam infligere, et contra quos infligi possit, et valeat, vidimus culpas, ob quas censura infligenda sit, et conditiones ad illam legitime infligendam, nec non quaenam causae ab ea incurrenda excusent; reliquum nunc est, ut videamus, quinam a censura absolvere queant? Ut autem huic dubio, DD. et Canonistae satisfacere valeant, distinguen-

dum esse tradunt inter censuram latam *ab homine*, et inter censuram, quae *a jure* lata est. Inter eas autem latas ab homine, iterum subdistinguendum docent inter eas *specialiter* latas, et eas, quae *generaliter* latae sunt. A censuris specialiter latis *ab homine* dicunt, illum tantum absolvere posse, qui eas tulit, ejus successor, Superior, vel delegatus, et nullus alius, uti post S. Thom. *in addit. p. 3, q. 24, art. 1,* S. Bonav. *in 4, dist. 18,* colligitur *ex Can. Verbum 51 de Poenit. dist. 1, Cap. Pastoralis 11,* § *Praeterea de Offic. Ordin.* et favet *regula juris 1,* — ibi — *Omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur.* Cui concinit altera *reg. juris 35 ff.* — ibi — *Nihil tamen naturale est, quam eo genere quidquam dissolvere, quo colligatum est.*

Idque etiamsi reus domicilium mutet, quia mutatione domicilii subterfugere non potest jurisdictionem auctoris censurae. Imo absolvi adhuc debet a ferente censuram, etiamsi appellationem interposuerit, dummodo fuerit judex ordinarius. Ratio est, quia per appellationem interpositam judex *a quo* non privatur jurisdictione quoad ea, quae appellationi non obstant; atqui absolutio a censuris non obstat, sed imo favet appellationi, cum sit, id quod per appellationem intenditur. Dixi *dummodo judex sit ordinarius,* nam delegatus, etsi possit ante admissam appellationem, ea tamen excepta, et amplexa absolutionem impendere nequit, quia eo ipso

jurisdictione privatur. Ita Schmalzgrueber *h. t. n. 85, et sequen.*

Quod si censura non *specialiter*, sed *generaliter* ab homine fuerit lata, tunc omnes absolvere possunt, qui possunt a censura lata a jure, quia ex absolutione hujus censurae ab aliis Praelatis facta non perturbatur tribunal judicis ferentis censuram, cum reus non fuerit nominatim citatus. Si vero censura est a jure, lege, vel statuto generaliter lata, tunc iterum distinguendum oportet, vel est *reservata*, vel non est *reservata*. Si primum, idest si est reservata, tunc non potest tolli, nisi a conditore Canonis, vel ab eo, cui ipse dederit potestatem ad monitum *Cap. 9 h. t.* Si vero secundum, idest si censura non fuerit reservata, tunc relaxari potest a Praelato proprio habente jurisdictionem in foro externo, imo etiam a proprio Sacerdote, seu Confessario, ceu docet *Cap. 29 h. t.*

Notandum tamen heic occurrit, quod ex speciali potestate possunt absolvere ab omnibus censuris, et peccatis occultis, et ad forum contentiosum non deductis etiam Sedi Apostolicae reservatis 1.° Episcopi ex privilegio C. Trid. *sess. 24, cap. 6 de Reformat.* sive per se, sive per Vicarium specialiter deputatum. 2.° Regulares in privilegiis communicantes, ut tradunt DD. Excipiuntur tamen casus *Bullae Caenae,* a quibus nequeunt absolvere, nisi speciali concessione super ipsis muniti fuerint.

Caeterum in articulo mortis quilibet Sacerdos

potest absolvere a qualibet censura, ita tamen ut si infirmus evaserit periculum, teneatur se sistere legitimo superiori, eique se submittere. Videatur constitutio *Apostolicae Sedis,* quae aliquid novi secumtulit hac in re.

Verum qua forma, quo ritu, et quibus sub conditionibus haec absolutio est concedenda? Antequam huic dubio fiat satis, praemittendum est, censuras regulariter non tolli, nisi per absolutionem, ceu constat ex propositione 44 damnata ab Alexandro VII. Hoc obiter animadverso respondemus, ad absolutionis valorem nullam formam in jure praescriptam esse, sed sufficere, ut voluntas absolvendi declaretur, uti si diceretur: Ego te absolvo a vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti; et potest fieri, aut verbis, aut scriptis, prouti consuetudo erit. Ritus autem servandus in absolutione judiciali a censura excommunicationis praescribitur in *Cap. A nobis 28. h. t.*, et habetur in Pontificali Romano: omissio tamen illius non reddit invalidam absolutionem, ceu omnes fatentur. Conditiones vero aliae requiruntur ex parte *absolventis,* aliae ex parte *absolvendi.* Ex parte *absolventis* requiritur 1.° potestas absolvendi, quia sine hac nulla est absolutio. 2.° Libertas a coactione, et metu; nam coacte, et metu facta invalida est ad tramitem *Cap. unic. de his, qui vi, et met. caus.* Ex parte autem *absolvendi* regulariter requiritur 1.° absolutionis petitio; cum enim censura imposita sit ad delinquentis correctio-

nem, expedit postulatione humili demonstrare se correctum esse. Verumtamen hujusmodi conditio non necessario requiritur, sed tantum ut convenienter concedatur absolutio: hac de re etiam invito concedi potest, licet haud expediat. 2.° Requiritur, ut prius parti laesae satisfecerit, dummodo impotentia non excuset; hoc enim in casu praestita cautione, sive pignoratitia, sive fidejussoria, sive etiam juratoria absolvi potest.

Sed tempus est, ut quaeratur, quot modis absolutio fieri possit? Respondetur: *Primus*, et praecipuus modus absolvendi a censura est simplex, et absolutus, nempe cum absolute, et simpliciter reo emendato, et a contumacia recedenti conceditur absolutio. *Secundus* modus est conditionatus, cum absolutio sub conditione aliqua datur, ita ut ea conditione deficiente, corruat absolutio. *Tertius* modus absolvendi a censura vocatur *ad cautelam*, ut contingit in administratione sacramenti poenitentiae, et rescriptis Apostolicis ad effectum obtinendae gratiae. *Quartus modus* absolvendi, et satis frequens, est *ad reincidentiam*, eo quod absolutus in eam iterum incidat, si opus sub censura praeceptum non exequitur.

Heic tandem quaeri potest, an censura semel incursa tolli possit alia via praeter absolutionem? Huic dubio negative respondent DD. et Canonistae, et praesertim Pirhing *h. t. n. 179 vers. Hinc colligitur*. Reiffenstuel *h. t. n. 240*, et ratio est, quia censura auferri nequit, nisi a pote-

state concessa Petro solvendi ligatos; sed hujus potestatis actus est absolutio sicut potestatis actus est ligatio, ergo censura absolutione dumtaxat tolli potest. Ita Schmalzgrueber *h. t. n. 107*. Verum ad speciales censuras descendamus.

§ 2.ª

De excommunicatione.

Excommunicatio est — *censura Ecclesiastica, per quam homo christianus a communione, seu corpore fidelium excluditur, et bonis, quae illi inter se communicant, privatur.* — Haec saepius in jure sub alio nomine venit, et dicitur *anathema.*

At licet hoc essentialiter non differat ab excommunicatione, discrepat tamen accidentaliter, cum stricte sumptum superaddat aliquam solemnitatem, et specialem execrationem, ut videre est in *Cap. 106, caus. 11, q. 3,* cui concinit *cap. 10, de judic.*

Excommunicatio alia est *major*, altera *minor* juxta *cap. 59 h. t.* Excommunicationis tamen nomine simpliciter prolato venit semper, et intelligitur *major cit. cap. 59, h. t.* Excommunicatio *major* est, qua homo christianus totaliter a communione fidelium excluditur, idest privat activa sacramentorum administratione, passiva receptione, suffragiis Ecclesiae, et fidelium communione, sive privat

omnibus Ecclesiae bonis communibus. Qui autem hac irretiti sunt excommunicatione, alii sunt *tolerati*, seu *non vitandi*, alii *vitandi*, vel *non tolerati*. Excommunicatio autem *minor* est, quae privat sola passiva receptione sacramentorum, quae post Constitutionem *Apostolicae Sedis* non amplius incurritur, ut antea per communionem cum excommunicato vitando. Vide acta S. Sedis. vol. XVII, fasc. XI, pag. 556.

Sed quinam sunt effectus excommunicationis majoris et quinam effectus excommunicationis minoris ? Resp. Effectus excommunicationis majoris alii sunt *remoti*, seu mediati, alii *proximi*, seu immediati. Remoti, seu mediati sunt 1.° irregularitas, quam incurrit excommunicatus ordinis actum exercens. 2.° Si quis per annum perseveret in excommunicatione specialiter ab homine lata, fit suspectus de haeresi *Trid. sess. 25, cap. 3. de Reformat.*, si vero citatus se purgare recusaverit et impedimentum allegare noluerit, puniendus est, ut haereticus. *Cap. 7 de haeret. in 6*. 3.° Si insordescat in excommunicatione per annum, habetur pro convicto. *Can. 36, et sequen. 11, q. 3*, quia contumacia ista habetur pro confessione. 4.° Clericus per triennium in excommunicatione durans privandus est beneficiis. *Cap. 8 de aetat. et qualit.* etc. Effectus autem proximi, seu immediati sunt 1.° privatio usus sacramentorum tam activi, quam passivi. *Cap. 52 h. t. cap. fin. de Cler. excomm. ministr.* 2.° Privatio suffragiorum

communium Ecclesiae, provenientium ex sacrificiis, indulgentiis, precibus publicis etc. 3.° Privatio sepulturae Ecclesiasticae *Clem. 1 de Sepult.* 4.° Inhabilitas ad dignitates, beneficia, officia Ecclesiastica. 5.° Privatio omnis jurisdictionis Ecclesiasticae. 6.° Privatio communionis forensis, ut nec in saeculari, nec in Ecclesiastico judicio possit esse judex, actor, advocatus, testis etc.

Hic tamen quoad privationem activam sacramentorum notandum occurrit, quod extrema necessitate impellente baptisma, poenitentia, eucharistia, et extrema unctio peti possit ab excommunicato, etiam vitando. Quoad vero privationem jurisdictionis pariter notandum est, quod actus excommunicati tolerati substineri possint, nisi exceptio excommunicationis ei objiciatur.

Quid autem dicendum de effectibus excommunicationis minoris? Resp: Principalis directus, et unicus ejus effectus est, quod privet usu passivo sacramentorum, ideoque sic excommunicatus sacramenta licite non recipiat, sed graviter peccet. *Cap. fin de Cler. excomm. ministr.* Privatur insuper voce passiva in electionibus etc.

§. 3.°

De suspensione.

Suspensio est censura Ecclesiastica privans Clericum per se, et directe usu officii, beneficii,

vel utriusque simul qua talis, seu quatenus praeciso functiones Ecclesiasticae sunt, provenientes, et dependentes ab officio, et beneficio, solumque competunt Clericis. — Differt ipsa ab *excommunicatione*, quia haec privat omnibus bonis spiritualibus, et politicis externis: fertur in quamcumque personam fidelem, scilicet tam in Clericos, quam in laicos, et non per se, sed consecutive privat usu Ordinum, in quantum impedit sacramentorum administrationem: e contra suspensio non privat omnibus bonis; fertur tantum in Clericos, et directe impedit usum Ordinum ; licet ipso Ordine suscipiendo non privet, nisi consecutive. Differt autem etiam ab interdicto, quia hoc, ut inferius videbimus, privat receptione aliquorum sacramentorum, divinis officiis, et sepultura Ecclesiastica, et in quamlibet personam fidelem ferri potest, cum e contrario suspensio solam personam Ecclesiasticam afficit, eo quod soli Clerici capaces sint officii, et beneficii Ecclesiastici.

Triplex autem est, quarum prima est a *solo officio*, qua minister Ecclesiae removetur ab exercitio jurisdictionis, vel ordinis; altera a *solo beneficio*, qua Clericus, intacta ordinis, et jurisdictionis potestate, jure percipiendi fructus privatur. Tertia ab *officio simul*, *et beneficio*, et per eam personae Ecclesiasticae adimitur exercitium potestatis ordinis, et jurisdictionis, et perceptio fructuum beneficialium. Notandum hic occurrit, quod si suspensio absolute feratur, ita ut intelligi ne-

quoat ex contextu, an suspensio sit ab officio tantum, an tantum a beneficio, intelligi debet lata ab utroque, idest tam ab officio, quam a beneficio. Ita DD.

Dividitur in *totalem*, et *partialem*. Totalis autem subdividitur in *totalem simpliciter*, et in *totalem secundum quid*. Prima suspendit ab officio, et a beneficio. Secunda vel ab officio tantum, vel tantum a beneficio. *Suspensio totalis ab officio* ea est, per quam quis ab omni officio spirituali, tum ordinis, tum jurisdictionis, et administrationis Ecclesiasticae removetur. *Suspensio vero totalis a beneficio* est ea, per quam quis suspenditur ab omni beneficio Ecclesiastico quoad eius administrationem, et fructuum perceptionem. Pirh. h. t. n. 198. Schmalzgrueber *h. t. n. 266, et 267*. *Partialis suspensio* fit vel a certo tantum officio, aut parte illius v. gr. ab ordine tantum, per quam prohibetur omne exercitium ordinis, vel a certo ordine, per quam prohibetur exercitium ordinis illius etc.

Quando suspensio infligitur per sententiam specialem, et ut vera censura, tunc ad legitimam ejus prolationem exigitur praevia monitio. Ex quo fluit, quod si infligatur non ut censura, sed uti poena, tunc opus non est monitione. Item si feratur a jure, vel per sententiam generalem, tunc enim ipso facto incurritur. Ius enim ipsum, seu canon continuo monitio est. Reiffenstuel *h. t. n. 21*. Item tandem non requiritur monitio, si

delictum, et ipsa delinquentis non resipiscentis contumacia publica et notoria foret ad tramitem *Can. manifesta* 15. caus. 2. quaest. 6. etc. Quaeri tamen hic potest, si in censura lata a jure non requiritur monitio, utrum requiratur saltem citatio? Huic interrogationi respondet idem Reiffenstuel *h. t.* § *1, n. 22, et 23,* — ibi — « Etsi ad incurrendam » censuram ab ipso jure latam nulla praerequiratur » monitio, sed possit, et debeat judex Ecclesiasticus, » delicto commisso, delinquentem sine alia moni- » tione publice denunciare, vel declarare censura- » tum *Arg. Cap. Conquesti 22,* § *Nuntictis h. t.,* » ut delinquens publice confusus citius resipiscat; » nihilominus debet *citari* ad hoc ut defendere » se possit, si forsan causam habeat excusantem » a censura. Engel. *h. t. n. 9.* Navarrus *ead. tit.* » *consil. 9, n. 4,* qui non immerito volunt, denun- » ciationem, seu declarationem censurae a jure » latae esse nullam, nisi talis citatio delinquentis » praecedat per textum, et Glossam *Clement. 3, de* » *censuris,* et *Clement. 2 de poenis,* nisi delictum, » et contumacia Delinquentis non resipiscentis no- » toria esset ».

§ 4.ª

De interdicto.

Interdictum in sensu canonico acceptum communiter definitur — *censura Ecclesiastica, qua homo arcetur a participatione quorumdam sacra-*

mentorum, ab omnibus officiis divinis, et ab Ecclesiastica sepultura. Ita ex *Cap. Non est 11 de Sponsal. et Matrim.* Et ex *Cap. Quod in te de Poenitent. et Remission.*

Effectus interdicti tres praecipue sunt, ceu ex ipsa definitione scatet, scilicet privatio participationis quorumdam sacramentorum; prohibitio officiorum divinorum, et privatio Ecclesiasticae sepulturae. Primus igitur effectus *interdicti* est privatio quorumdam sacramentorum. Dicitur *quorumdam,* quia tempore *interdicti* non prohibetur administratio, et receptio omnium sacramentorum, sed tantum aliquorum. Sane tempore interdicti sacramentum Baptismi, et Confirmationis non tantum parvulis, sed etiam adultis propter morae periculum licite administratur ad tramitem *Cap. Quoniam de Excommun. in 6,* administratur etiam sacramentum poenitentiae non tantum morituris, sed etiam sanis (nisi sint excommunicati, vel nisi causam dederint *interdicto,* ac nec dum satisfaciant, neque idoneam de satisfaciendo cautionem praestent *Cap. Alma mater de Sentent. Excommun. in 6.* Administratur quoque Eucharistia aegrotis, et extrema unctio infirmis, prouti patet ex *Cap. Quod in te De Poenitentiis.* Tandem contrahitur etiam matrimonium, licet benedictio nuptialis prohibeatur. Etc.

Secundus effectus *interdicti* est privatio divinorum officiorum. Ita *Cap. Permittimus 57 h. t.* et *Cap. Si sententia 56 eod. tit. in 6,* ubi per

divina officia intelliguntur functiones, et actiones spirituales, quae primo, ac per se ordini sacro sunt annexae, atque ex Christi, et Ecclesiae institutione a solis clericis exercentur, uti sunt sacrificium Missae, solemnes benedictiones templi, fontis baptismalis, exceptis concionibus, quae etiam tempore *interdicti* in Ecclesia haberi possunt.

Tertius effectus *interdicti* est privatio sepulturae Ecclesiasticae, qui ita est intelligendus, ut in loco sacro *interdicto* nullus quantumvis innocens, nec infans, nec amens possit sepeliri juxta monitum *Cap. Quod. in te de Poenitent. et Remission.*, nisi privilegium habeatur.

Interdictum triplex est, scilicet *locale, personale*, et *mixtum*. Locale directe locum afficit, personale directe afficit personas, mixtum autem afficit personas, et loca.

Locale subdividitur in *generale*, et in *particulare*. Primum habetur, quando interdicitur locus varia sub se loca complectens v. g. Regnum, Provincia, Civitas. Secundum habetur, quando interdicitur particularis aliqua Ecclesia.

Item sicut *locale*, ita et *personale* interdictum aliud est *generale*, quo videlicet totus populus alicujus loci, districtus, civitatis etc. vel integra aliqua Universitas, Collegium, Capitulum, Conventus interdicitur. Aliud *particulare*, quo scilicet una dumtaxat, vel plures persone interdicuntur

Ulterius personale subdividitur in *totale*, et

partiale. Primum habetur, quando interdicitur usus omnium bonorum spiritualium, secundum vero habetur, quando prohibetur usus tantum unius, vel alterius rei, ut si interdicaris a celebratione Missae a receptione sacramentorum, vel ab ingressu Ecclesiae. Modo aliquid breviter est innuendum.

De Cessatione a divinis.

Interdicto ob quandam similitudinem annexa est *cessatio a divinis*. Cum vero ipsa non sit censura, definitur: *Prohibitio Ecclesiastica Clericis imposita abstinendi ab officiis divinis, et sacramentorum quorumdam administratione in aliquo loco ob grave delictum in contestationem moeroris*. Ita Auctores communiter *in Cap. 11 de sponsal., et Cap. 8 de Offic. Ordinar. in 6. Clemen. 1. princip. XI in cessationibus h. t.*

Duplici modo indicitur, scilicet vel a jure, vel ab homine. Prima existit ipso facto cum Ecclesia polluitur, vel exacratur; altera autem fertur ab eo, qui jurisdictione pollet in foro externo.

Indicere autem illam potest is tantum, qui habet jurisdictionem in foro externo. Relaxatur vero vel ab eo, qui eam imposuit, vel ejus Superiore, vel ab eo, qui ab imponente potestatem accepit. Huiusmodi autem relaxatio fieri potest vel *expresse*, vel *tacite*, ceu monet Cap. 8 in fin. *de Offic. Ord. in 6*.

Huc tandem aliquando perventi aliquid dicere deberemus de titulis XL et XLI, quorum primus tractat *de verborum significatione,* alter *de regulis juris.* At sicut Gregoriana Compilatio hoc peragens imitari voluit jus civile, quod digesta sua clausit per titulos generales *de verborum significatione,* et *de regulis juris;* et sicut de istis titulis passim per decursum hujus operis aliquid delibatum a nobis jam fuerit, hinc aliorum auctorum vestigiis inhaerentes eos missos facimus, et finem imponimus illis verbis utentes, quibus opus suum claudit Schmalzgrueber — « Ego hic calamum sisto, et operi huic » canonico finem impono. Laboris, quem in eo » conscribendo sat magnum posui, mercedem aliam » non desidero, nisi Deum, qui proinde, ut de piissima ejus misericordia spero, merces erit mea » magna nimis. Huic igitur, et magnae ejus Matri, » et divis coelitibus totum hunc meum conatum » dico, dedico ».

APPENDIX

ISTRUZIONE ALLE CURIE ECCLESIASTICHE

sulle forme di procedimento economico nelle cause disciplinari, e criminali dei Chierici

Questa S. Congregazione de' VV. e RR. maturamente considerando la presente condizione della Chiesa, quasi da per tutto impedita di spiegare l'esterna sua azione sulle materie e persone ecclesiastiche, e riflettendo anche al difetto dei mezzi atti all'organizzamento regolare delle Curie, è venuta nella determinazione di autorizzare espressamente gli Ordinari a far uso delle forme più economiche nell'esercizio della loro disciplinare giurisdizione sui Chierici. Ed affinchè resti salva ogni ragione della giustizia, e si mantenga la canonica regolarità, ed uniformità dei procedimenti, reputa opportuno di emanare le seguenti norme, a cui le Curie devono attenersi.

ART. I.

L'Ordinario ha l'obbligo pastorale di curare la disciplina e correzione dei Chierici da se dipendenti, vigilando sulla loro condotta, ed usando i rimedi canonici per antivenire, ed eliminare disordini fra i medesimi.

ART. II.

Questi rimedi altri sono *preventivi,* ed altri *repressivi* e medicinali. I primi sono diretti ad impedire che il male avvenga, a rimuovere gl'incentivi di scandalo, le occasioni volontarie, e le cause prossime a delinquere. I secondi hanno per iscopo richiamare i colpevoli a buon senno, e riparare le conseguenze del loro reato.

ART. III.

Sta alla coscienziosa discrezione dell'Ordinario l'applicare questi rimedi a tenore delle prescrizioni canoniche secondo la gravità dei casi, e delle circostanze.

ART. IV.

Tra le misure preservative si annoverano principalmente il ritiro spirituale, le ammonizioni, e i precetti.

Art. V.

A tali provvedimenti deve precedere una verificazione sommaria del fatto; della quale è d'uopo che l'Ordinario tenga nota per poter procedere, se occorra, *ad ulteriora*, ed anche per darne conto all'autorità superiore in caso di legittimo ricorso.

Art. VI.

Le canoniche ammonizioni si applicano o in forma paterna e segreta (anche per lettera, o per interposta persona), ovvero in forma legale, facendone però sempre risultare da qualche atto la esecuzione.

Art. VII.

Riuscendo le ammonizioni infruttuose, l'Ordinario prescrive alla Curia che sia ingiunto al delinquente analogo precetto, spiegando in esso quello che il precettato debba fare, o non fàre, colla comminatoria della corrispondente pena ecclesiastica, nella quale incorrerà in caso di contravvenzione.

Art. VIII.

Il precetto viene intimato al prevenuto dal Cancelliere innanzi il Vicario generale; oppure alla

presenza di due testimoni ecclesiastici, o laici di provata probità.

§ 1. L'atto si firma dalle parti che sono presenti, ed anche dal precettato, se vuole.

§ 2. Il Vicario generale può imporre ai testimoni il giuramento di conservare il segreto, se la natura del titolo di cui trattasi, prudentemente lo richieda.

Art. IX.

In quanto poi alle misure *penali*, avvertano i reverendissimi Ordinarii, che con la presente istruzione non s'intendono derogate le solennità dei giudizi volute dai sacri Canoni, Costituzioni Apostoliche ed altre ecclesiastiche disposizioni, ove queste possano liberamente, ed efficacemente applicarsi ; ma le forme economiche mirano a provvedere per quei casi, e per quelle Curie, in cui non si possa, o non si creda espediente attuare i solenni procedimenti. Rimane pure nel suo pieno vigore il rimedio stragiudiziale *ex informata conscientia* pei reati occulti, decretato dal S. Concilio di Trento nel cap. 1, sess. 14. *de Reform.* da adottarsi con quelle regole e riserve, che ha costantemente osservate nella interpretazione di detto capo la S. Congregazione del Concilio in più risoluzioni, e in specie nella *Bosnien.* e *Sirmien. 20 decembre 1873.*

Art. X.

Dovendosi agire criminalmente, o per contravvenzione a precetto, o per reati comuni, o per trasgressioni alle leggi della Chiesa, può essere compilato il processo nelle forme sommarie, e senza strepito di giudizio, osservate sempre le regole sostanziali di giustizia.

Art. XI.

Il processo s'intraprende *ex officio*, o in seguito d'istanza, di querela, e di notizia in altro modo pervenuta in Curia, e si prosegue fino al termine nello scopo di raggiungere con ogni cautela e riservatezza il discoprimento della verità, e di aver cognizione tanto del delitto, che della reità od innocenza dell'accusato.

Art. XII.

La compilazione del processo può commettersi ad un probo, ed idoneo Ecclesiastico, assistito dall'Attuario.

Art. XIII.

Ogni Curia è d'uopo che abbia il suo Procuratore fiscale nell'interesse della giustizia, e della legge.

Art. XIV.

Per le occorrenti intimazioni o notificazioni, se non può aversi l'opera dei cursori della Curia, si supplisce con farle presentare da persona qualificata, che ne dia discarico; ovvero trasmettendole raccomandate per la Posta nei luoghi ove è in uso tale sistema postale, richiedendosene certificato di presentazione, di ricevimento, o rifiuto.

Art. XV.

La base del fatto delittuoso può essere stabilita dalla esposizione che se n'è avuta in processo convalidata o da informazioni autentiche, o da confessioni stragiudiziali, o da testimoniali deposizioni : ed in quanto al titolo di contravvenzione a precetto, risulta dalla riproduzione del decreto e dell'atto d'intimazione eseguiti ne' modi espressi agli Art. VII ed VIII.

Art. XVI.

A ritenere poi in ispecie la colpabilità dell'imputato è necessario di averne la prova legale, che deve contenere tali elementi da dimostrare la verità, o almeno da indurre una morale convinzione, rimosso ogni ragionevole dubbio in contrario.

Art. XVII.

Le persone che convenga di esaminare, si sentono sempre separatamente.

Art. XVIII.

I testimoni a prova o a difesa, quando non vi si oppongano legali ostacoli, devono essere intesi con giuramento, estendibile, se occorra, anche all'obbligo del segreto.

Art. XIX.

I testimoni trovandosi lontani o in altra Diocesi, se ne domanda l'esame in sussidio all'Autorità ecclesiastica del luogo con invio alla medesima di un prospetto di fatto: e l'Autorità requisita corrisponde alla richiesta osservando le norme della presente Istruzione.

Art. XX.

Qualora vengano indicati testimoni per fatti e circostanze essenzialmente interessanti al merito della Causa, e non possano aversi in esame, perchè non si reputi conveniente d'intimarli, ovvero perchè invitati vi si ricusino, se ne fa menzione in atti, e si procura di supplire alla defi-

cienza di essi con le attestazioni di altri testimoni che *de relato*, o in altro modo, sieno informati di quanto si ricerca.

ART. XXI.

Riunito tutto ciò che sia necessario a stabilire il fatto e la responsabilità dell'imputato, viene questo intimato all'esame.

ART. XXII.

Nella intimazione, se la prudenza non lo vieti, gli si espongono per esteso le accuse portate a suo carico, onde possa prepararsi a rispondervi.

ART. XXIII.

Quando poi per la qualità delle accuse, o per altre circostanze, non sia prudenziale di esprimerle nella intimazione, in questa gli si accenna soltanto che è chiamato all'esame per discolparsi in una Causa che lo riguarda come inquisito.

ART. XXIV.

Rifiutando egli di presentarsi, si rinnova la intimazione, nella quale gli si prefigge un congruo termine perentorio a comparire, e gli si notifica, che, rendendosi ancora disubbidiente, si avrà

come contumace; e per tale sarà effettivamente tenuto, posto che senza dar prova di legittimo impedimento, trasgredisse pur questa intimazione.

ART. XXV.

Presentandosi, si sente in esame: e se fa induzioni valutabili, devono queste, per quanto si può, essere esaurite.

ART. XXVI.

Si procede indi alla contestazione del fatto delittuoso, e delle risultanze che se ne sono avute, per credere l'inquisito colpevole, ed incorso nelle relative penalità canoniche.

ART. XXVII.

Avendo in questo modo l'inquisito piena contezza di ciò che esiste in atti a suo carico, oltre al rispondere, può anche valersi del diritto che ha di difendersi da se stesso.

ART. XXVIII.

Può altresì, se lo richiede, ottenere la prefissione di un termine ad esibire la difesa con memoria scritta, specialmente quando pel disposto

dell'Art. XXIII non avesse potuto prepararsi alle risposte in sua discolpa.

ART. XXIX.

Ultimato il processo, il compilatore degli atti, forma il ristretto delle essenziali risultanze del medesimo.

ART. XXX.

Nel giorno che si propone la Causa, l'inquisito è in facoltà di farsi rappresentare e difendere da altro Sacerdote o da laico Patrocinatore preventivamente approvati dall'Ordinario.

ART. XXXI.

Ove il prevenuto si ricusi di deputare il Difensore, l'Ordinario provvede con destinargliene uno d'ufficio.

ART. XXXII.

Il Difensore con la dovuta riservatezza prende cognizione del processo e del ristretto in Cancelleria, onde sia in grado di far la difesa, la quale può essere esibita precedentemente alla proposizione della Causa in fogli manoscritti. È pur esso soggetto all'obligo giurato del segreto, qualora a

giudizio dell'Ordinario la natura della Causa lo esigga.

ART. XXXIII.

Si trasmette quindi al Procuratore fiscale il processo, ed il ristretto perchè adempia alle sue incombenze di officio: e poi si passa l'uno, e l'altro all'ordinario, il quale presa integra cognizione della Causa, destina il giorno, in cui debba discutersi e decidersi, facendone dare partecipazione all'accusato.

ART. XXXIV.

Nel giorno stabilito si propone la Causa innanzi al Vicario generale con l'intervento del Procuratore fiscale, del Difensore, e del Cancelliere.

ART. XXXV.

Dopo il parere fiscale, e le deduzioni difensive si pronunzia la sentenza, dettandosi al Cancelliere la dispositiva, con espressa menzione in caso di condanna, della sanzione canonica applicata contro l'imputato.

ART. XXXVI.

La sentenza s'intima al prevenuto, il quale può interporne appello all'Autorità ecclesiastica superiore.

Art. XXXVII.

Per l'appello si osservano le norme stabilite dalla Costituzione *Ad militantis* della sa. m. di Benedetto XIV. 30 marzo 1742, e le altre emanate da questa S.Congregazione col Decreto 18 decembre 1835, e colla Circolare 1 agosto 1851.

Art. XXXVIII.

La comparsa per l'appello deve farsi nel termine di giorni dieci dalla notifica della sentenza; scorso inutilmente questo termine, la sentenza stessa è in istato di essere eseguita.

Art. XXXIX.

Interposto l'appello entro i dieci giorni, la Curia senza ritardo rimette all'Autorità ecclesiastica superiore, innanzi cui si è appellato, tutti gli atti originali della Causa, cioè il processo, il ristretto, le difese, e la sentenza.

Art. XL.

L'Autorità ecclesiastica superiore, presa cognizione dell'atto di appello, fa intimare all'appellante, che nel termine di giorni venti deputi il

Difensore, che deve essere approvato dalla medesima superiore Autorità.

ART. XLI.

Trascorso l'enunciato termine perentorio senza effetto, si ritiene che l'appellante abbia rinunziato al benefizio dell'appello, e questo viene in conseguenza dall'Autorità superiore dichiarato perento.

ART. XLII.

Producendosi l'appello dalla sentenza di una Curia vescovile alla metropolitana, l'Arcivescovo nella cognizione, e decisione della Causa si attiene al metodo di procedura, tracciato in questa istruzione.

ART. XLIII.

Se avvenga che un Chierico, in onta al privilegio del foro, sia per reati comuni sottoposto a procedura e giudicato dal Potere laico, l'Ordinario in tal caso prende sommaria informazione del fatto delittuoso, ed esamina se a senso dei sacri canoni esso può dar luogo ad infamia, ad irregolarità, o ad altra ecclesiastica sanzione.

§ 1. Finchè pende il giudizio, o l'imputato sia detenuto, è cosa prudente, che l'Ordinario si limiti a misure provvisionali.

§ 2. Terminato però il giudizio, e reso libero l'accusato, la Curia, giusta i risultati delle informazioni come sopra assunte, procede analogamente a quanto è disposto nella presente istruzione.

ART. XLIV.

Nei casi dubbi, e nelle varie difficoltà pratiche in cui possano incontrarsi gli Ordinari, prendono consiglio da questa S. Congregazione per evitare contese e nullità.

Ex Aud. SSmi diei 11. Junii 1880.

SSmus Dominus Noster LEO div. prov. PP. XIII, audita relatione praesentis Istructionis ab infrascripto Sacr. Congreg. Episcopor. et Regularium Secretario, eam in omnibus approbare, et confirmare dignatus est.

Romae die, et anno quibus supra.

J. Card. FERRIERI *Praef.*

I. B. AGNOZZI *Secret.*

MOMITUM PRIMUM.

In libro IV, tit. XV, num. 6 operis sui b. m. Professor De-Angelis promiserat, se fusius loquuturum de modo procedendi in causis matrimonialibus in lib. *De Judiciis;* sed morte praeventus id exequi haud potuit.

Prosequutor Operis *in lib. II, tit. I, n. 13 circa finem de judiciis* sermonem habuit de causis istis matrimonialibus, earumque processu, satis tamen esse duxit indicare Constitut. *Dei miseratione* Bened. XIV, et instructionem S. C. Concilii die 22 Augusti editam, utpote quae satis aperte inuunt modum procedendi in tabulis processualibus causarum matrimonialium conficiendis. Dixit enim — *Verum hodie causae matrimoniales pertractantur juxta ordinem specialem praescriptum a Benedict. XIV in Constit. Dei miseratione anno 1741, et ad normam instructionis editae a S. Congregatione Concilii die 22 Augusti 1840.* Modo si quis hac super re uberiores notitias habere desiderat, consulat Instructionem S. Inquisitionis Congregationis die 20 Iunii editam pro tabulis processualibus earumdem causarum matrimonialium conficiendis, et alteram Instructio-

nem a S. Congregatione de Propaganda Fide eodem anno editam. Hujusmodi Instructiones fuse tractantes de hac materia reperiuntur penes acta S. Sedis in volumine XVIII, fasciculo VII, et VIII.

Instructiones istae licet pro nonnullis determinatis regionibus conditae fuerint, tamen omnibus aliarum regionum Ordinariis, atque judicibus Ecclesiasticis, qui causas matrimoniales pertractare debent perutiles fore non dubitamus. Quandoquidem praecepta, quae in ipsis praescripta reperiuntur, et regulae, quae indigitantur, utpote ad tramitem juris concinnatae, Ecclesiasticis cujusvis regionis tribunalibus accommodatae sunt, et ad processus rite conficiendos maximopere conferunt.

MONITUM SECUNDUM.

Constitutione Pii IX s. m. quae incipit *Apostolicae Sedis* moderationi IV id. Oct. 1869 cautum fuit — « excommunicationem Romano Pontifici » reservatam speciali modo incurrere — *Cogentes » sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahen- » dum ad suum tribunal personas Ecclesiasticas » praeter canonicas dispositiones: item edentes le- » ges, vel decreta contra libertatem, et jura Ec- » clesiae* ».

Cum de vero sensu, et intelligentia hujus capitis saepe dubitatum fuerit, haec Suprema Congregatio S. Romanae, et Universalis Inquisitionis

non semel declaravit — Caput *Cogentes* non afficere nisi legislatores, et alias auctoritates cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum Tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones. Hanc vero declarationem SS. D. N. Leo Papa XIII probavit, confirmavit, ideoque supradicta S. Congregatio illam omnibus locorum Ordinariis pro norma communicandam esse censuit, etc. Vide acta S. Sedis fascicul. VIII. Voluminis XVIII.

ERRATA CORRIGE.

Pagin. 48 lin. ultim. loc. ***Cap. Ex tenore h. t.*** **lege** ***Cap. Ex tenore 4. de temporibus ordinationum, et qualitate ordinandor.***

IMPRIMATUR
Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Julius Lenti Patriarc. Constantinop. Vicesgerens.

INDEX

LIBER V.

DECRETALIUM GREGORII IX

DE DELICTIS, ET POENIS

